De cauteriis libri quinque. In quibus vires, materia, modus, locus, numerus, tempus ponendorum cauteriorum, ex veterum Graecorum, Arabum, Latinorum, necnon neotericorum sententia quàm dilucidè explicantur / [Thomas Feyens].

Contributors

Feyens, Thomas, 1567-1631

Publication/Creation

Lovanii : Apud Joan. Baptistam Zangrium, 1601.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ufs24m9g

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


FIENUS T.
DE CAUTERIIS
1601

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

FIENUS, T.

65312/A

V, 1

THOMÆ FIENI
ANVERPIANI,
SERENISSIMI DVCIS BAVARIÆ MEDICI ET
IN ACADEMIA LOVANIENSI
Medicinæ Professoris Primarij.

DE CAVTERIIS
LIBRI QVINQVE.

In quibus vires, materia, modus, locus, numerus, tempus ponendorum cauteriorum, ex veterum Græcorum, Arabum, Latinorum, necnon neotericorũ sententia quàm dilucidè explicantur.

LONDON. MEDICAL SOCIETY

LOVANII,
Apud Ioan. Baptistam Zangrium, Typogr.
ANNO cIↃ. IↃ. cI.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

CENSVRA.

Hos quinque libros de Cauterijs nihil continere quod Catholicæ fidei quoquomodo repugnet, atteſtor

GVILIELMVS FABRICIVS
Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.

Hipp. ſect. 7. aphor. vlt.

Quæ non ſanat medicamentum, ſanat ferrum; quæ non ſanat ferrum, ſanat ignis; quæ non ſanat ignis, ea incurabilia putare oportet.

Illustribus ac Generosis viris Do. CAROLO vanden TIMPEL, Vrbis Louaniensis Prætori æquissimo, & Do ERARDO van SCHOOR, eiusdem Consuli vigilantissimo, Equitibus Auratis: necnon amplissimis eiusdem Scabinis, Consiliarijs, ac toti denique Magistratui.

QVOD ij, *qui lucubrationes suas publicas faciunt, soleant eas principibus ac magnis viris inscribere, Illustres Equites, & Amplissimi Senatores, complures causæ sunt. Vel enim id faciunt, vt ijs, quorum stipendia merentur, hac ratione muneris sui fideliter gesti, & studiorum ac diligentiæ quodammodò reddant rationem: vel, vt eorum authoritate & æstimatione tanquam scuto induti, minùs obnoxij sint inuidorum*

calumnijs & irrisionibus: vel, vt ab eorum nominis splendore scriptis suis aliquem claritatis radium mutuentur: vel denique, vt ijs tanquam munere quodam literario suam pro acceptis beneficijs gratitudinem testentur. Quæ singulæ alios mouent, omnes coniunctæ me impulerunt, vt primum hunc ingenij mei nixum Amplissimo Vestro Nomini nuncuparem. Nam si muneris mei rationem intueor; quid minus agere potui, quàm aliquod studij mei specimen ac diligẽtiæ testimonium vobis edere, ex quo cognoscere possitis, qualem professorem in Vniuersitate vestra habeatis: nimirum talem, cui nulla alia cogitatio sit, quàm Spartam suam exornare, & scholæ vestræ ac suæ decus indefesso labore, studendo, docendo, scribendo amplificare. Si hæc tempora & ingeniorum consydero peruersitatem: vos eligere debui operis mei tutores,

qui

qui non solùm facultatis Medicæ, sed & totius nostræ Almæ Vniuersitatis & estis & ex officio esse debetis, protectores. Si meam obligationem, quibus magis debeo? In vestra vrbe sum educatus, in ea omni disciplinarum genere sum instructus, in ea hausi quidquid est literariæ meæ officinæ, in ea omnibus gradibus sum honoratus, & (quod maximum est, quodque non merito meo, sed vestræ beneuolentiæ & humanitati ascribo) primariâ in Medecina Cathedrâ donatus. Si huius operis obscuritatem, lux illa nominis vestri in eius fronte radians ipsum lumine quodam ac splendore claritatis non exiguo perfundet. Nominis vestri: Nam qui estis vos! illi qui clauum tenetis primæ Brabantiæ, adeoque Belgij vrbis: & sic tenetis, vt eam in hoc diuturno & tempestuoso bellorum mari nullis hæreseôn procellis abripi passi sitis, sed tot

fluctibus, tot nebulis, & imbribus agitatam, omnium aliarum naufragium spectantem, solam superstitem ad portum hodiernæ tranquillitatis perduxeritis. Vobis ergo, Amplissimi Viri, hunc librum dedico, rogoque, vt, quo ego affectu & obseruantia eum vobis offero, eadem vos beneuolentia & humanitate accipiatis. Valete.

LOVANII, Ex Musæo nostro
12 Februarij, Aⁱ 1598.

Vestrarum Amplᵐ. obseruantiss. ac deuotiss.

THOMAS FIENVS.

IN LIBRVM CLARISSIMI
ac doctiſsimi viri Di. THOMÆ FIENI
Medicinæ Primarij Profeſſoris,
Gulielmi Barclayi Scoti
EPIGRAMMA.

SCire Lector aues quis hic FIENVS.
Eſt MACHAONAS *vnus inter oẽs,*
Cui ÆSCVLAPIVS *immolare gallum,*
Et gallum pater ipſe APOLLO *debet.*
MVSA *Cæſaris huic dediſſet vltrò*
Locum, Cæſare non negante, primum.
Ne putes nimiûm virum me amare,
(Quanquam non queo non amare talem)
Et plus dicere amore quàm meretur.
Hoc Lector lege, quæſo te, volumen.
Dices: nunc ſcio, non amat FIENVM,
Quiſquis non amat eruditionem.

IN EVNDEM.

Scripta hominũ ſi quis ſcriptoris pendet ab annis,
Falletur ſcriptis docte FIENE *tuis.*
Quæ ſi etiam Liuor legat ipſe, ita ſentiet: iſta
Arbitror Hippocratem compoſuiſſe ſenem.

CLAVDII HEEMS Atreb.
Medicinæ Candidati.

ALIVD.

MOrborum omne genus MALIGNIORVM
Faceſſat procul. En GALENVS *alter,*
Alter HIPPOCRATES, *ſuæ* FIENVS
Mentis IGNE *potentias latentes*
IGNIS *detegit, & nouus* MACHAON
Fretus præſidio nouo, medentem
Non experta priùs manum deinceps
Per VVLCANIA *nos iuuabit arma.*

Franciſci Saſſeni Louanienſis,
Medicinæ ſtudioſi.

INDEX CAPITVM

Libri 1. De Vsu Cauteriorum.

CAPVT I.

OPeris componendi ratio. Scriptores de cauterijs. Dicendorum propositio.

Cap. 2. Quod hoc remedium sit antiquum.

Cap. 3. Quid sit cauterium.

Cap. 4. De effectibus cauterij in genere, & quod aliqui sint per se, aliqui per accidens.

Cap. 5. Cauterium alterare, & in qua complexione valeat.

Cap. 6. Quod cauterium discutiat.

Cap. 7. Quod cauterium attrahat.

Cap. 8. Quod cauterium consumat & annihilet quidquid superuacaneum.

Cap. 9. Quod cauterium perforet & aperiat apostemata.

Cap. 10. De viribus cauterij per accidens, & primum ratione crustæ.

Cap. 11. De viribus cauterij ratione cicatricis.

Cap. 12. De viribus cauterij ratione vlceris, & de fontanellis.

Cap. 13. An fontanellæ antiquis notæ.

Cap. 14. De effectibus fontanellarum, & an alterent.

Cap. 15. Quid euacuent fontanellæ.

Cap. 16. An fontanellæ reuellant, deriuent, intercipiant & euacuent à parte.

Cap. 17. Ex quibus partibus fontanellę euacuẽt.

Cap.

Cap. 18. An fontanellæ generalem an particularem euacuandi vim habeant.
Cap. 19. De differentijs fontanellarum, fonticulo, setone, phœnigmo, & eorum viribus.
Cap. 20. Quibus indicationibus cauteria satisfaciant, & quomodo roborare dicantur.
Cap. 21. Omni affectuum generi cauteria conuenire.
Cap. 22. An cauterium sit vltimum remedium.

Lib. 2. De materia caustica.

Cap. 1. Cauteria alia esse actualia, alia potentialia, & eorum effectus.
Cap. 2. De actualibus solidis & eorum differentijs ac viribus, ac primum de metallicis.
Cap. 3. De actualibus solidis, quæ non sunt ex metallis.
Cap. 4. De causticis potentialibus, ac primum de vesicatorijs.
Cap. 5. De cathæreticis.
Cap. 6. De sepcticis. (ticis.
Cap. 7. De causticis propriè dictis & escharo-
Cap. 8. Qua ratione causticorum vis minuatur aut augeatur.
Cap. 9. De causticis compositionibus magis famosis.

Lib. 3. De modo vtendi cauterijs.

Cap. 1. De noxis quæ proueniunt à cauterijs male adhibitis.

Cap.

Cap. 2. De modo vtendi cauterijs in generali.
Cap. 3. De modo muniendi partes, ac primum de medicamentis repellentibus.
Cap. 4. De ratione muniendi per ferrea instrumenta.
Cap. 5. De materia & figura huiusmodi munimentorum.
Cap. 6. De modo detrahendæ crustæ.
Cap. 7. De correctione symptomatum.
Cap. 8. Quomodo vtendum cauterijs ad calefactionem, exiccationem, discussionem & attractionem.
Cap. 9. Quomodo vtendum cauterijs ad annihilandum, & consumendum, & primùm quomodo apostemata cauterio auferantur.
Cap. 10. Quomodo in vlceribus & carne cauterijs sit vtendum.
Cap. 11. Quomodo ad perforandum cauterijs sit vtendum, & quomodo abscessus cauterijs aperiantur.
Cap. 12. Quomodo cauterijs vtendũ sit ad crustam.
Cap. 13. Quomodo propter vlcus cauterijs sit vtendum, ac primum quomodo fonticuli sint faciendi.
Cap. 14. Quis sit modus infigendi setonem.
Cap. 15. Quomodo vesicatio sit instituenda.
Cap. 16. Quomodo pro ictibus venenatis fontanellæ inurantur.
Cap. 17. Quomodo cauterijs vtendum propter cicatricem.

Cap.

Cap. 18. De modo vtendi cauterijs ſecundum diuerſam eorum materiam, & primò quomodo potentialibus ſit vtendum.
Cap. 19. Quomodo cauterijs actualibus ſit vtendum & primum ſolidis ac metallicis.
Cap. 20. Quomodo vtendum ſit cauterijs actualibus ſolidis, quæ non ſunt ex metallis.
Cap. 21. Quõ actualibus liquidis ſit vtendum.
Cap. 22. Quomodo cauterizandum ſecundum diuerſas partes & quomodo vrendum in parte ſubiectos, neruos & vaſa habente.
Cap. 23. Quomodo caput ſit vrendum. (tur.
Cap. 24. Quomodo capitis venę & arterię vrã-
Cap. 25. Quomodo abdomen ſit vrendum.

Lib. 4. De loco cauteriorum.

Cap. 1. Vnde ſumatur indicatio loci & de loco cauteriorum in genere.
Cap. 2. De loco fonticuli, ſetonis, phœnigmi in particulari. (pta.
Cap. 3. De indicatione loci ab affectu deſum-
Cap. 4. Quis ſit locus cauterij cum fluxus ſunt ſiſtendi. (ne à parte.
Cap. 5. Quis ſit locus cauterij pro euacuatio-
Cap. 6. Quis ſit locus cauterij pro interceptione & deriuatione.
Cap. 7. Quis ſit locus cauterij pro reuulſione.
Cap. 8. An cauterio in cõtrariũ ſit reuellendũ.
Cap. 9. An cauterio ad diſtantiſſimas partes ſit reuellendum.

Cap.

Cap. 10. An ad originē, ſecundū cōmunionem venarum, & edirecto cauterijs ſit reuellendū.
Cap. 11. De cauterijs ſingularum partium à capite ad calcem.
Cap. 12. De cauterijs capitis in particulari & quas vires habeant.
Cap. 13. De viribus vſtionis ac ſectionis venarum & arteriarum capitis.
Cap. 14. De cauterijs brachiorū & eorū viribꝰ.
Cap. 15. De cauterijs crurum & eorum viribus.
Cap. 16. Quomodo ſingularum partium affectibus cauterijs ſit ſubueniendum & primùm primarijs, ac per congeſtionem genitis.
Cap. 17. Quomodo ſingularum partium affectibus per ſympathiam atque à fluxione genitis cauterijs ſit medendum, & primò ſuperiorum, quæ laborant vitio inferiorum.
Cap. 18. Quomodo ſingularum partium inferiorum affectibus per cōſenſum ſuperiorum genitis cauterijs ſit ſubueniendum.

Lib. 5. De numero & tempore ponendorum cauteriorum.

Cap. 1. Quo numero cauteria ſint ponenda, & quo antiqui eis vſi ſint.
Cap. 2. Quo tempore cauteria ſint ponenda.
Cap. 3. Quo tempore cauteria claudenda ac quamdiu geſtanda.
Cap. 4. An in cauterijs expectāda ſit cōcoctio.

INDICIS CAP. FINIS.

Authores quorum opera vsi sumus.

A

Aetius.
Alyabbas.
Albucasis.
Alkindus.
Altomarus.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Paræus.
Andreas Crucius.
Arculanus.
Aretæus.
Aristoteles.
Auerroes.
Auicenna.
Albertus Bottonus.

B

Bartholomæus Magius.
Brichtus.
Brunus.

C

Cælius Aurelianus.
Celsus.
Chalmeteus.
Conciliator.
Costæus.

D

Damascenus.
Dioscorides.

F

Fallopius.
Fernelius.
Fumanellus.

G

Galenus.
Gauassetus.
Guido de Cauliaco.

H

Herodotus.
Hippocrates.
Hieronymus Capiuaccius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Cardanus.
Hollerius.
Hugo Senensis.

I

Iacobus de Partibus.
Isaac.
Ingrassias.

Lan-

L

Lanfrancus.
Leonus Lunenſis.
Lodoicus Mercatus.

M

Maſſa.
Matthiolus.
Meſue.

N

Nicolus Florentinus.

P

Paulus Ægineta.
Paparella.
Petrus Paulus Magnus.
Plinius ſecundus.
Proſper Alpinus.

Q

Quintus Serenus.

R

Razes.
Rondeletius.
Rogerius.
Rolandus.

S

Sauanarola.
Serapion.
Soranus Epheſius.

T

Tagautius.
Theodoricus.
Trincauellius.
Trallianus.
Theodorus Priſcianus.
Theopraſtus.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ *Catholicæ Maiestatis literis conceſſum eſt* Do. Thomæ Fieno *Antverpiano Medicinæ in Academia Louanienſi Profeſſori Primario, vt ſuos quinque libros* de Cauterijs *cuicunque velit Typographo iurato in Brabantia tradat imprimendos ac diſtrahendos. Alijs omnibus Typographis & Bibliopolis interdicẽdo, ne quis eos intra quadriennium imprimat, aut alibi impreſſos diuendat, ſub pœna confiſcationis librorum, & vnius floreni Carolini pro vnoquoque exemplari inſuper ſoluendi: quorum altera medietas Regio Fiſco, altera authori ſit applicanda. Vti latius patet in dictis literis, datis Bruxellæ die 9. Octob. Aº. 1597.*

Signat.

C. WYTFLIET.

Prædictum Priuilegium conceſsi Ioanni Baptiſtæ Zangrio Typog. Iurato.

THOMAS FIENVS.


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

Post paginam 104.

1. 2. *Simplicia ac communia munimenta.*

3. *Triplex munimentum pro triplici cauterio.*

4. *Munimentum ad cauterizandum in naso, ore, angulis oculorum.*

5. 6. *Pro angulo oculorum in ægilope.*

7. *Munimentum instar cochlearis pro vuula vrenda.*

8. *Cannula cum cauterio ad cauterizandum in omnibus locis profundis cũ repagulo ne vltra profundetur.*

9. *Simplex forceps pro setone.*

10. *Forceps seu tenacula pro setone commodissima cum volubro versatili ad stringendum.*


a
b
c
d
e
f
g
h
i
k
l
m
n
o
p
q
r
s
t
u
x

Post paginam 156.

a *Cauterium commune pro fonticulis.*
b *Cauterium cum arresto seu stylo ferreo, qui per foramina altiora aut demissiora potest transfigi.*
c *Cauterium cum arresto versatili, quod sursum & deorsum potest moueri.*
d *Cauterium cum nodo.*
e *Cauterium radiale seu lanceiforme.*
f *Cauterium gladiale seu ensiforme.*
g *Aliud ad diuidendum.*
h *Aliud cum acie obtusa.*
i *Sphæricum cuspidatum.*
k *Planum ac quadratum.*
l *Cauterium Pauli seu gammatum.*
m *Cauterium Albucasis habens figuram formæ T.*
n *Cauterium pyramidale.*
o *Cauterium conuexum.*
p *Cauterium fistulare.*
q *Cauterium lunare ad cauterizandum cum membrum amputatur.*
r *Cauterium circulare.*
s *Cauterium cum foraminibus.*
t *Cauterium cum pluribus punctis ad plures simul crustas faciendas.*
u *Acus cum filo pro setone.*
x *Stylus pro setone.*


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15

Post paginam 140.

1 *Scutellula concaua cum marginibus.*
2 *Globulus cum marginibus ne profundetur.*
3 *Globulus cum filo ad extrahendum.*
4 *Globulus intus cauus cum foraminibus in qua pus absorbeatur.*
5 *Simplex globulus ex quacunque materia.*
6 *Fascia cū tenuibus ligulis ne crassus fiat nodus.*
7 *Fascia cuius pars tenuior circumuoluta per foramen ducitur & cum altero extremo ligatur.*
8 *Fascia pro occipitio cuius duo extrema ducuntur per caput & in vertice ligantur, alia collo circumligantur.*
9 *Fascia pro cauterio occipitij cum lamina desuper premente ad vitandam super caput fasciationem, & cauterium occultandum.*
10 *Fascia pro cruribus.*
11 *Lamina area cum cingulo coriaceo & triplici fibula.*
12 *Lamina ex ære rubro aut albo cum foraminibus vt expiratio non impediatur, qua brachijs aut cruribus circumligatur.*
13 *Lamina cum ponticulo & fascia ex corio cum vncino ad foramina ponticuli astringendo.*
14 *Fascia integra ex ære aut argento qua cardinibus ducitur, cum ponticulo & vnco.*
15 *Fascia simplex.*

THOMÆ FIENI ANTVERPIANI, IN ACADEMIA LOVANIENSI MEDICINÆ Professoris Primarij DE CAVTERIIS, LIBER I.

CAP. I. Operis componendi ratio. Scriptores de Cauterijs. Dicendorum propositio.

HVNC DE CAVTERIIS librum confeci & in lucem dedi propter tres causas. Prima est, quòd hoc remedium sit admodum vtile & necessariũ, &, si non præcipuum, saltem vnũ inter præcipua Medicinæ præsidia: adeò, vt ipsum sit vltimum in diuturnis, desperatis morbis refugium, vltima spes, & meritò dictum sacra anchora medicorum. Nam, sicut infrà dicemus, nullum remedij genus est, quod tam multiplici vsu, tàm varijs morbis, tàm varijs membris gratiam suam præstare & opitulari, ac ipsum cauterium, possit. Adeò vt, qui medicus in doctrinâ cauteriorum non est apprimè versatus, non possit dici omnibus artis Medicæ auxilijs sufficienter instructus. Secunda est, quod eius vsus perdifficilis sit & periculosus, propter summam vim & efficaciam quam habet.

bet. Etenim cauteriorum omnis vis & potestas est ab igne, ignis autem actiuissimus est & efficacissimus, ac proinde maximè corruptiuus inter omnia corpora, & ab ipsius actione multæ aliæ resultant in corpore operationes & effectus, ex quibus multifariæ ei accidere possunt læsiones. Quia autem propter summam actiuitatem celerrimè agit, ideò actio ipsius est periculosa: nam antequam iam præuideris & occurrere possis, effectus productus est: tum etiam, quia agit vltima corruptione & incinerat & propter debilitatem agentium aliorum in respectu ignis, effectus ipsius non potest itaa impediri, corrigi, & restaurari. Propter quodd oportet medicum in ipsius applicatione essee valdè circumspectum, & in naturæ ipsius, graduum effectuumque omnium cognitione admodùm versatum, & scire quomodo pro subiecti agentis, siue eius in quo ignis est varietate, pro varia graduum ignis intensione, pro obiecti patientis, corporis & membri temperie & conformatione, proque modo diuersæ applicationis, operatio & effectus permutabuntur. Pendet autem medici fama maximè ex talium præsidiorum administratione, potestque per eam vel summum dedecus vel summum honorem consequi. Etenim nihil potest medico æquè æstimationem aliquam parere, & vulgi astantiumque admirationem, quàm si in magniss

& dif-

& difficulter curabilibus malis, qualia sunt quæ cauterio curari solent, remedio aliquo huiusmodi magno, nouo & periculoso æstimato intrepidus sine damno, sed magno potius ægri emolumento vtatur. Talem enim, qui tanto præsidij genere audacter fœliciterque vsus fuerit, necessariò aliquid supra vulgus medicorum sapere, & artis fundamenta firmiter callere homines arbitrantur. Quod si in illius vsu errorem aliquē, qui in talibus facile euenire potest, committat, aut quæ futura erant non præuiderit, aut infœlix tanti moliminis sit euētus, multò amplius quàm ex familiari aliquo aut noto præsidio infamiæ referet. Tunc enim & tortoris & homicidæ nomen audiet, ac temeritatis & imprudentiæ arguetur, quòd quodammodò à desperatis agens, ac quasi iactâ extremę & ancipitis fortunæ aleâ ægrum tam crudelibus, tam naturæ nostrę, vt apparet, & vulgi iudicio contrarijs remedijs martyrizauerit ac confecerit. Tertia causa est, quod de hoc tam necessario, tam periculoso præsidio nullus tamen perfectam tradiderit scientiam, quod est causa, vt hodie tam pauci medici in doctrina cauteriorum sint versati. Nā vt taceam, quòd pauciſſimi sint qui in vniuersali cauteriorum natura & applicandi modo sunt instructi, quàm multi hodie medicorum nostrorum sunt qui tota vita sua nulli vnquam cauterium inusserint! qui,

quid verè cauterium sit, quæ eius differentiæ, facultates, vtendi ratio, ignorent! vt si de cauterio applicando in quæstionẽ veniat, adeò ab eo deterreantur, tantiq́ue id esse putent, vt de ægro quodammodò conclamatum esse debere arbitrentur, antequàm ad tam magnum & tam difficile (vt ipsi putant) remedium debeat peruenirí. Huius ignorantiæ & timoris causa, alia non est, quàm quòd nulli in tradenda hac doctrina & describenda vniuersali eius methodo hactenus seriò perfectèque laborarint. Certè eorum qui eruditiores haberi volunt, plurimi non nisi fontanellarum vsum cognouerunt, qui tamen apud antiquos minimus, imò vix notus habebatur, apud quos nihilominus cauteria tantis encomijs fuerunt celebrata. Multa præclara apud antiquos de eorũ viribus leguntur, quorum hodie in modernorum scriptis non extat memoria. Crebriùs in pluribus malis, in pluribus membris, multis quoque pulcherrimis vtendi modis cauteria antiquis in vsum veniebant, qui hodie recentiorum & vsu & memoriâ planè videntur excidisse. Sed & ex antiquis pauci & pauca eaque particularia de Cauterijs scripserunt, plerique tantum in particularium morborum curationibus eorum meminerunt. Maximè atque ex professo nõnulla de ijs memoriæ prodidit Paulus in sua Chirurgia: Auicenna in Canone vno capitulo de cauterijs breuiter

uiter tractauit; Razes caput vnum de Cauterijs inscripsit; Isaac in Pantechne 9. pract. c. 75. & Halyabbas eodem libro nonnulla de particularibus membrorum vstionibus ex professo tradiderunt. Omnium latissimè hanc materiam pertractauit Albucasis libro primo suæ Chirurgiæ. Inter neotericos sunt Nicolus Florentinus, Iacobus de Partibus, Conciliator, Fallopius, Mercatus, Crucius, & nonnulli recentiores, qui de fonticulis aliqua scripserunt: verùm qui absolutè atque vniuersaliter de Cauterijs tractârit, de viribus eorum, materia, loco, tempore, &c. nemo est. Itaque operæ pretium facturũ me putaui, si de remedio tam magno, utili, necessario, difficili, & à nullo tractato scriptionem instituerem. Quid præstiterimus, videbit, qui nostra hæc præcedentium scriptis & vtraque antiquorum monumentis comparârit. Ego quæcunque ab antiquis & neotericis particulatim hinc inde scripta sunt, vniuersali methodo cõplexus sum, & ita totam ordinis mei rationem instituí, vt primò de natura & viribus cauteriorum, tum de differentijs, & quo fine à medico expetantur, quibus morbis prosint, denique quo modo, loco, quantitate, numero, tẽpore adhibenda sint, sim dicturus; quêis cognitis nihil ad eorum perfectam cognitionem desiderari potest. Sed medicum me profiteor non rhetorem aut oratorem, ideoque nudam

ipsam rem docere contentus sum sepositò verborum delectu. Eam autem breuiter, quantum materiæ difficultas patitur, pertractabo, & ita antiquorum omnium, Græcorum, Arabum, Latinorum, quos habere licuit, authoritatibus cõfirmabo, vt quisq; videre queat, nihil à nobis temerè, gratis & inconsideratè esse effutitum.

CAP. II. *Quòd hoc remedium sit antiquum.*

QVis huius remedij inuentor, aut quo tempore primo cognitum sit, non facilè dici posse putârim. Etenim eius vsus non est nouus sed perantiquus, & antiquitas ipsos primos inuentores obscurauit. Ostendam autem, omni ætati hoc remedium cognitum, vsitatum, in frequentiq; vsu habitum fuisse. Equidem, vt posteriorem ætatem taceam, in qua plurimi Arabum viguerunt, à quibus plurima de hoc remedio scripta sunt, Aetius, qui sub Constantino Magno floruit, & Ægineta ipsius coætaneus, & ante eos Cælius Aurelianus, plurima de Cauterijs perscripserunt, multosque morbos per ignem & vstionem curare docuerunt. Qui ante eos sunt Plinius secundus lib. 3. c. 5. & Theodorus Priscianus lib. 2. ad Timoth. c. 2. & 5. & 8. vstionis per ferrum candens meminerũt. Q. Serenus Sammomicus, qui tempore Imperatoris Gordiani floruit, podagram

gram dixit ferro candenti curari, & T. Liuium dixisse apostemaquod Carbo vocatur, eodem exuri. His senior Galenus cauteria in familiari vsu habuit, & præter caustica etiam igne & cãdente ferro quamplurimos affectus docuit curare, vt 2. de art. cur. ad Glauc. c. 2. & 9. & 10. & 5. meth. & alijs plurimis in locis videre est. Sed & multò ipso antiquius hoc remedium est: nam & ipse in 7. com. Aphor. de vstionibus loquens, citat antiquos suos, dicitque eos laterali morbo affectos vrere solere, citatque Platonem Comicum, qui in Cynesia de Euagoræ filio refert, quod ipse laterali morbo affectus, multis corpus ab Euryphonte crustis inustus, in cõcionem prodiret. Certè & Celsus qui sub Nerone vixit, & Areteus Galeno sunt antiquiores, & cãdentis ferri in morborũ curationibus meminerunt. Cælius Aurel. lib. 3. curat. diutur. pass. c. 4. scribit de antiquis suis quod de vstionibus concertarint, & 1. eiusdem operis c. 4. dicit quòd Themison & Praxagoras pro epilepsia caput vrerent, & lib. 2. c. 1. dicit quod Asclepiades singulariter adurentia medicamenta prædicabat. Aetius autem lib. 6. c. 24. ex Rufi & Possidonij, alibi ex Leonidis, Archigenis, Seueri, antiquissimorum medicorum sententia, docet vstiones faciendas: constat autẽ eos Galeno multò esse antiquiores, & imprimis Asclepiadem & Archigenẽ antiquissimos esse,

& illum Pompei Magni temporibus vixisse. Omnium horum antiquissimus Praxagoras diu ante Christi tempora vixit. Hanc huius remedij antiquitatem auget, quòd antiquissimorum illorum medicorum plurimi etiam antiquos suos circa vstiones citauerunt. Etenim Actius tetrat. 3. ser. 4. c. 3. dicit ex Archigene, quod veteres (ipsius nempe Archigenis) ischiadicos struthij & aristolochiæ radice vrerent, & quòd Archigenes & Antyllus dixerint, quòd eorum veteres in ischiadicis vstione per stercus caprinum vterentur. Theophrastus, qui etiam antiquissimus author est, in lib. de igne, & Dioscorides lib. 2. c. 73. docent medicos ligno viticis & stercore accenso vrere solitos esse, & illo antiquior præceptor Aristoteles in libris problematum problemata de cauterijs posuit.

Quid dicam de Hippocratæ & Herodoto, qui inter primos, qui extant scriptores, trecentis amplius ante Christi natiuitatem annis floruerunt? Equidem Hippocrates, qui primus Medicinam scripsit, non ipse tantum creber in curandis plurimis per vstionem morbis est, sed & antiquum tunc & alijs etiam vsitatum remedium fuisse non obscurè declarauit. Etenim in lib. de aër. aq. & loc. quærens rationem cur Scythæ infœcundi essent, eam esse dicit, quod ad auertendas in articulos fluxiones cauteriorum vstionibus assueuissent. & lib. de art. c. 12. alios medi-

medicos corripit, quòd malè humeros in eorum dislocationibus incendissent. Herodotus verò 4. suæ historiæ scribit Lybiæ populos quosdam consueuisse omnibus pueris quadrimis ceruicem vrere, vt sic eos à catharris & destillationibus præseruarent. Atque ex his quidem patet hoc remediũ & antiquissimum esse, & nulli non ætati vsitatum: Quis autem primus inuentor fuerit nusquam puto extare. Porrò diuersis quoque nationibus solet hoc remediũ vsurpari: de Lybiæ populis ex Herodoto, de Scythis ex Hippocrate iam audiuimus. Trallianus lib. 3. c. 26. scribit quòd barbara gens multum solet vstionibus vti, & Celsus lib. 7. c. 7. tradit, quàm Afri soleant in vstionibus suis esse crudeles. Quod verò & Græci & Latini & Arabes hoc remedium in vsu habuerint, nemo ignorat, nisi qui fortè earum nationum authores qui de Medicina scripserunt, nunquam legit. Fuit etiam in vsu apud omnes sectas medicorum. Cælius Aurelianus, qui Methodicæ sectæ fuit, 1. curat. tard. pass. c. 4. & lib. 3. c. 1. & alibi dicit, quòd aliarum sectarum principes in multorum morborum curatione cauterijs ignitis vti soleant. Ipsi verò Methodici etiam ea vsurparunt. Cælius Aurelianus vbique testatur Themisonem, qui, vt scribit Celsus in principio libri primi, Methodicæ sectæ princeps fuit, in plerisque morbis vstiones commendasse.

CAP.

CAP. III. *Quid sit cauterium.*

CAuterij appellationem authores confundunt, nec in eadem semper vtuntur significatione. Interdum sumitur pro ipso medicamento caustico, vel ipso ferro aut quouis instrumento ignito, quo vstionem molimur: interdum pro ipsa actione siue vstione: interdum significat aliquid ab ipsa vstione relictum; quo modo & crusta & vlcus & cicatrix etiam quæ remanet, cauterij non raro nomine appellantur. Nos qui non volumus verborum proprietatibus aut appellationibus astringi, fortè etiam hæc sæpissimè confundemus. Cauterium sic definio. Est combustio partis alicuius opera chyrurgi facta à re actu vel potentiâ vrente ad superuacuorum ablationem, vtilium retentionem, partisque roborationem comparata. Dico quod sit combustio, in quo ambigere quispiam possit: cauterium enim est remedium & præsidium membrorum, adeóque bonum, combustio est mala, & toto genere contra naturam: nam vt inquit Arist. 4. Meteor. combustio est corruptio rei naturalis, id verò quod est corruptio, nõ videtur posse esse auxilium. Sed respondeo id diuersa ratione fieri posse. Nam vt est combustio, ita non conuenit illi particulæ quæ comburitur, quia est eius destructio, sed conuenit illi quæ non comburi-

buritur, quatenus illa parte combusta aliquid aufertur, quod vel toti vel alteri parti incommodabat; itaque corruptio est respectu vnius illius particulę, auxilium respectu totius, atque ita inter remedia collocari debet. Nõ expetitur cauterium quatenus lædit, sed quatenus lædendo partem vnam, alteram sanat. Sic brachia, manus, pedes sæpe amputantur, non fine lædendi, sed prodesſendi. Parum enim est membro vni incommodare, cuius præsentia ad vitam non est necessaria, aut cuius damnum resarciri potest, vt toti prosimus. Huiusmodi sunt præclarissima omnia artis præsidia, adeóque tota chyrurgia, quæ nihil aliud, quàm vstiones, sectiones, diuulsiones docet: huc trepanum, phlebotomia, lithotomia, suturæ, scarificationes, & infinita alia sunt referenda. Multa enim per accidens remedia sunt quæ per se ac primò læsionem inducunt, in quibus effectum per accidens consequi minimè possumus, nisi prior effectus, qui cum læsione erat, præcesserit, etsi minimè quidem fuerit expetitus. Sic phlebotomia non est remedium quatenus continui solutionem in vena facit, sed quatenus cauſſat effluuium sanguinis, quod contingere non poterat sine præcedente continui diuisione. Eâdem ratione & morbi, etsi inter res non naturales reponantur, ac toto genere contra naturã sint, aliorum tamen morborum nõnunquam remedia

dia fiunt: diuerso autem respectu cõtingit idem modo bonum, modo malum esse; sic mediciin apoplexia, conuulsione, paralysi, alijsque frigidis affectibus febres inducere tentauerunt, non animo lædendi, sed minore malo maius pellendi. Diximus quòd sit combustio, per quod excluduntur alia vlcera quæ à combustione non sunt facta, qualia sunt, quæ aliquandò fiunt à causis externis aut ab ipsa natura, vt humoribus salsis & acribus, qui particulam erodunt & exulcerant; quæ vlcera, licet sæpe idem quod fontanellæ præstare valeant, non sunt tamen ideo cauteria, quia non sunt ex combustione nata: tum etiam, quia fiunt casu & natura, non autem generantur ex medici intentione. Excluduntur etiam scarificationes, quę sæpe sic à medicis fiunt, vt longo aliquo tempore apertæ relinquantur, tum etiam fontanellæ & setones quæ absq; igne fiunt, sola ferro frigido, vulneratione aut punctione, sic vt vulnera in vlcera permutentur; vt cum ad oculorum affectus aliquando annulum aureum per aures aut apprehensa cute per collum aut aliam partem, frigidam tantum acum ferream perfilatam transmittimus, aut cum contritione in manibus aut pedibus vesiculæ excitantur; quæ si aperta seruarentur, eundem quem illa quæ adustione fiunt vsum præstarent. Hæc enim etsi effectum ferè cauteriorum adæquarent, non tamen verè cauteria

teria appellanda sunt, quòd nulla vstione sint inducta. Diximus (operâ chyrurgi facta) per quod excluduntur extrinsecæ omnes combustiones, quia nec chyrurgi operâ factæ sunt, vt chyrurgus est, nec ad vllum finem bonum, nisi læsionis, diriguntur. Diximus (superuacuorum ablationem) ex quibus verbis breuiter omnem cauteriorum effectum & vsum explicamus. Nihil enim est, propter quod cauterium expetatur, aut quod ipsum efficere queat, quod non sub aliquo illorum trium vsuum contineatur. Sub (superuacaneorum ablatione) continetur, cum cauterio excrescentiæ, tumores, partes putridæ & gangrenosæ & quæuis adnascētiæ auferuntur; tum quoq; cum humores in corpore abūdantes per cauterium, fontanellæ & vlceris vsum exhibens, euacuantur. Sub (vtilium retentione) comprehenditur, cum eo vtimur ad retinendum sanguinē qui ex apertis arterijs aut magnis venis effluit, ope inductæ crustæ, aut ad retrudendum & cohibendum partes aliquas, vt intestina, ossa, articulos, quæ excidere volunt extra locum naturalem, mediante solida cicatrice. Sub (particulæ roboratione) continetur, cum partem aut refrigeratam calefaciendo, aut siccam humectādo, aut humidam exiccādo, aut laxā constringendo & coarctando roboramus. Adeò vt sub his tribus generalibus terminis oēs cauterij effectus vtilitatesq; comprehendantur.

CAP.

CAP. IIII. *De effectibus cauterij in genere, & quod aliqui sint per se, aliqui per accidens.*

CAuterij variæ sunt vtilitates quæ recensentur ab Auicenna in Cant. part. 4. Aphor. 32. & Fen. 4. 1. c. 29. Prima est in corporibus humidis ad exiccandum, & laxis carnibus ad indurandum eas, & ad confortandum membrum cuius complexio ad naturam reduci debet: Secunda est ad calefaciendum corpora infrigidata, ad tollendas humiditates & materias corruptas & nõ naturales in membro retentas: Tertia est ad restringendum fluxum sanguinis: Quarta ad impediendam corruptionem & putredinem partium. His aliæ adduntur, ad aperiendum abscessus, ad humorum fluxus intercipiendos & reuellendos, ad dolores antiquos, ad superflua omnia auferenda, ad puncturas & morsus animalium venenatorum. Verùm non eodem modo has omnes vtilitates præstat. Quapropter considerandum est, quòd cauterium, cum corpori nostro applicatur, necessariò plures facit effectus sese mutuò consequentes, quorũ omnium ratione potest in nobis producere operationẽ vtilem corpori. Cauterium igitur cùm sit ignis, ignis autem calidus sit & siccus, prima applicatione calefacit & siccat, applicatus verò fortiter & diu, non

tantum

tantum hoc agit, sed discutit & attrahit, tandem vrit, & vrendo, partem & quidquid tangit, vertit in carbonem, & facit crustam aut cinerem, hoc agendo consumit & annihilat. Crusta illa ob nimiam ab igne alterationem ablatis ab agente violento dispositionibus ad vitam requisitis, putrescit & decedit à toto, decedente sequitur cauitas & vlcus in membro, ad quod fluit sanies & sordes, vlcere curato sequitur cicatrix, quæ est cutis quædam durior solidior & expers pororum. Hæc omnia necessariò vstionem comitantur : quoscunque autem horum singula effectus producere possunt, ad eos omnes sese cauterij virtus extendit. Potest autem & combustio illa, & calefactio, & crusta, & vlcus, & cicatrix aliquam, vt infrà audiemus, corpori vtilitatem adferre. Verum distinguendum est, quòd eorum effectuum alij sint per se, alij per accidens. Per se voco illos effectus, qui per se pendent à calore, & qui fiunt à rebus calidis propter calorem, fluuntque ex natura caloris: per accidens voco illos, qui non pendent à calore & sunt præter naturam caloris, sed tantum pendent à tali causa quæ est à calore producta, quæque est effectus caloris, quæ tamen non operatur ratione caloris aut quatenus à calore facta, sed propter aliam naturam. Effectus cauterij seu caloris per se sunt, calefactio, exiccatio, constrictio, & quæ mediantibus illis fit, robora-

roboratio, attractio, vstio, incrustatio, & quæ mediante hac fit annihilatio & perforatio, & vlceratio & cicatrix. Etsi autẽ hos effectus cauterij per se esse dicã, non sunt tamẽ omnes immediati, neque merè per se, sed vnus magis per se quàm alter, & eorum multi sunt maximè per accidens, vt vlceratio, quæ sequitur ob casum crustæ & cicatrix; tamẽ sunt magis per se quàm sequentes, & propterea vocantur effectus per se: nam inter effectus per accidens, alij sunt magis alij minus per accidens, & qui minus per accidẽs sunt, in respectu aliorum sæpissimè vocantur per se. Effectus per accidens voco illos qui fiunt à crusta, vlcere, cicatrice: crusta, vlcus, cicatrix sunt effectus per se cauterij eo modo quo dictum est, sed effectus crustæ, vlceris, cicatricis non sunt effectus per se cauterij, sed tantum per accidens, quatenus crusta, vlcus &c. quæ illorum effectuum causæ sunt, à cauterio sunt producta. Etenim repellere & retrudere partem quę excidit, non est effectus cauterij, caloris, ignísve, sicut est inflammare, inflammando attrahere, exulcerare, assare in crustam, sed est crustæ, & etsi crusta facta sit à calore, non tamen hunc effectum facit per calorem, sed etiamsi crusta à frigore induci potuisset, eundem effectum præstaret; facit enim non quia calida, sed quia dura, quam duritiem accidens est à calore esse inductam, cum in multis alijs

rebus

rebus etiam à frigore inducatur. Sic etiam profundere humores & sordes non est caloris, sed vlceris, & quamuis vlcus sit factum ab vstione, tamen hoc est per accidens vlceri, nec propter illam vstionem vlcus profundit humores, sed quia est quædam continui solutio, quandoquidem etiam vlcus à frigore & mortificatione fieri potest, & sic sordes humoresque profundere. Idem de cicatrice est sentiendum. Quapropter eiusmodi effectus per accidens tantùm cauterijs contingunt, non alia ratione, quàm mortis causa dici potest artifex ille, qui statuam, quam fecit, posuit in illo loco, vnde in caput alterius est delapsa; non enim ipse causa est nisi per accidens, sed statua. Per se ergo cauterium calefacit & exiccat, & eatenus roborat membra, quorum complexio in illis qualitatibus consistit; quia verò caloris est discutere & attrahere, ideò quoque cauterium discutit & attrahit: & quia ignis quoque per se omnia absumit & annihilat, ideò cauterium per se absumit omnes excrescentias, adnascentias, tumores, omnia superuacanea & corrupta. Quia autem absumendo aliquid, in loco absumpti foramen relinquitur, ideò apostemata, abscessus, concauitates perforat & aperit. Per accidens verò tripliciter prodest: primò quatenus crustam facit; secundò quatenus facit vlcus, ad quod fluunt humores & sanies; tertiò quatenus

facit cicatricem, quæ est pars cutis durior, soliditate sua resistens nec facilè dilatabilis. Et quãuis cauterium semper hos tres effectus producat, nihilominùs tamẽ modò propter vnam, modo propter alterã rationem expetitur. Nam in sanguinis fluxibus, etiamsi post decidentiam escharæ vlcus fiat, non tamen ibi cauterium expetitur propter vlcus, sed tantùm propter crustam: contrà dum fontanellam inurimus, crusta quidem etiam fit, sed tamen eius intentione vstio facta non est, cum nullus in hoc casu eius sit vsus, sed quatenùs post ipsius lapsum vlcus relinquitur. Itaque etsi in omni cauterizatione hæc tria fiant, id est ex necessitate materię, non fine nostro, sed in vno malo vnum, in altero alterum tãtum locum habet, reliquis neglectis.

CAP. V. Cauterium alterare, & in qua complexione valeat.

PRimus ac propriissimus cauterij effectus est exiccare & calefacere, cauteriũ enim est ignis, & ab eo habet omnem actiuitatem, ignis autem natura est exiccare & calefacere. Hoc testatur Auicenna loco citato, & Halyabbas 9. pract. cap. 68. dicentes, præcipuas cauterij vtilitates esse, partes humidas exiccare, laxas constringere & cõsolidare, & refrigeratas calefacere. Auicenna 1. 3. c. vlt. & Damascenus lib. 3. cap. 24. in cura phlegmaticæ apoplexiæ

plexiæ docuerũt ſartaginem ferream capiti applicare, ad caput, inquiunt, calefaciendum: & Albuc. lib. 1. c. 2. in ſoda frigida dicit cauteria conuenire ſuper caput, vt ipſum ex eis incaleſcat. Quia verò cauterium exiccat, ideò, inquit Auerroës in commento, eo vtimur in catharris, & in rupturis, quia partes laxatas conſolidat & indurat. Hoc ſine Hipp. lib. de inter. affect. c. 21. & 38. ſplenem tumidum & pituita imbutum, & 27. & 33. hepar in hydrope frigidum aquoſum & inflatum vſſit. Sed & in omnibus omnium partium humiditatibus Hippocrates cauterijs eſt vſus: ad carnis à contuſione aut oſſis corruptione muccoſitates vrere docuit lib. de art. c. 54. In articulorum humiditatibus, quantòpere humidæ coxæ vſtione roborentur, docet 7. apho. 60. Quibuſcunq;, inquit, à coxẽdicũ dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, ijs crus tabeſcit & claudicant, niſi vrantur; vbi Galenus in cõmento docet, ideò ipſum vſtionẽ commẽdare, vt & id quod muccoſum eſt abſumatur, & laxitas cutis ad quam articulus lubricat, ex aduſtione arctetur. Sic Aetius lib. 12. c. 25. Quibuſdã, inquit, & articulos ipſos exurere expedit, qui ſubmuccidi valde conſpiciuntur, & Ægineta li. 6. c. 76. in coxẽdicum, inquit, ab humiditate diſlocationibus ideò vrere oportet, vt humor redundans qui de fluxu os extrudit, exiccetur. Maximam porrò eorum vim ad

exiccandas articulornm humiditates oſtendit Hippocrates libro de Aër. aqu. & locis. Ma-
» gnum, inquit, argumentum humiditatis cor-
» porum Scytharum eſt. Multos enim, præcipuè
» quos Nomades appellant, reperias exuſtos hu-
» meros ac brachia habentes, manuumque iun-
» cturas, pectora, coxas ac lumbos, nullam ſane
» aliam ob cauſam, niſi ob humoris & mollitiei
» naturæ detractionem. Nam neque arcum ten-
» dere, neque telum torquere poſſunt præ impo-
» tentia humiditatis humerorum. Cùm autem
» vrũtur, humor ipſe à iuncturis exoluitur, fiunt-
» que corpora ipſorum validiora, & magis red-
» duntur articulorum vſu potentia. Hanc caute-
rij vtilitatem ita latè extendit Albucaſis, vt in omni cuiuſcunq; partis ſiue internæ ſiue externæ humiditate & frigiditate, vt palpebrarum, gingiuarum, dentium, veſicæ, matricis, hepatis, ſplenis, renum, ſtomachi, pectoris, capitis, ad earum curationem cauteria docuerit applicare. Sed notandum eſt quòd cum duplex ſit complexio frigida & humida, alia nuda, alia cum affluxu humoris, in vtraque valet cauterium per ſe, alterando: in hac verò etiam valet per accidens, humorem frigidum per vaporem diſcutiendo, vel mediante vlcere & fontanella ſenſibiliter euacuando. Et de hac quidem cauterij vtilitate hactenus medici nunquam diſſenſerunt. Hoc autem dubium multis fuit, an

etiam

etiam in calida & ſicca complexione cauteria valeant. Guido de Cauliaco, Brunus, Gulielmus, Lanfrancus, Henricus negant, & id videtur ratione comprobari. Etenim ſimilia ſimilibus intenduntur non remittuntur; cauterium calidum eſt & ſiccũ, vt ſenſus docet, quare potius intendet intemperiem calidam & ſiccam quàm remittet aut curabit. Hoc confirmatur authoritate Razis in libello de Cauterijs: ibi enim iſchiadem, ſi à frigida cauſa eſt, docet curare vſtione, at ſi, inquit, à calida cauſa eſſet, tunc vſtio magis noceret. Sic Albucaſis nuſquam morbis, qui à calida cauſa ſunt, vſtiones præſcribit, ſed cum ab vtraque cauſa fieri poſſunt, exprimit, ijs tantum vſtiones eſſe adhibendas, qui à frigida cauſa atque plegmate oriuntur: ac quod magis eſt, lib. 1. c. 25. in tuſſi & apoplexia, tunc tantum iubet ignem adhibere, quando ijs nulla febris eſt coniuncta. E contrario tamen plurimi authores etiam in calidis ſiccisque morbis igne vſi ſunt. Razes in libello de cauterijs dixit in omni genere febris erraticæ cauteria in brachio facta conuenire. Hippocrates 2. de morbis laudat in ijs, quibus pulmones ſunt inflammati, vt pectus & dorſum inurantur, idemque faciendum ibidem docet in ſputo ſanguinis, antequam ad puris ſputum deuentum ſit. Porrò in ſuppuratis vtilem eſſe vſtionem tradidit 7. aphor. & in lib. de

inter. aff. & 3. de morbis, & Galenus 7. com. aphor. refert pthysicos vri solitos fuisse: Euagoræ, inquit, filius Cynesias è morbo lateralii aridus, puris expers, calamacea gerens crura,, nuncius tabis, pluribus escharis corpus inustus, prodijt in concionem. Sed distinctione opus est: dupliciter enim intelligi potest an cauteria in calida & sicca complexione valere possint; nempè an sic valeant in ea, vt eam curent, & vt ei per se conueniant, & propter illum finem possint adhiberi: an verò ita in ea valeant, vt non quidem eam curent, sed ab ea tamen non impediantur, quò minus propter eius præsentiam ad aliud malum, ad quod cauteria per se valere sciuntur, possint adhiberi. Dico itaque primò, quòd quando graue aliquod symptoma contingit, ad quod curandum cauterium ex natura sua est destinatum, etsi id coniunctum sit cum complexione calida & sicca, siue naturali, seu morbosa, simplici aut humorali totius corporis, posse illi cauteria adhiberi: nam etiamsi cauterium calefaciendo & siccando intemperiem illam acuat & sic obsit, curando tamen alterum illud malum ita potest prodesse, vt damnum, quod inde euenit, multò minus sit auxilio, quod ex hoc est secuturum. Nam si verbi gratiâ in aliquo febricitante arteria læsa funderet sanguinem qui sisti alijs remedijs non posset, aut si febricitans quispiam

aut

aut pthysicus morsus esset à venenato animali, liceret vtique illi cauterium adhibere: nam etsi cauterium ratione suæ qualitatis in respectu ad febrim nonnihil obesset, tamen, quia alterum malum tanti est, vt vitam adimat, nisi ocurratur, nullo autem remedio citiùs & securiùs occurri possit quàm cauterio, ideò ipso est vtendum, postposito altero illo damno, quod ab eius qualitate promanabit. Tali ergo ratione frigidos abscessus in febricitãtibus licet aperire, cum necessitas vrget; vbi nempè ab apertione profluuij sanguinis periculum esset; quod cauterio melius quàm ferro cauetur: sic in peste, calidissimo morbo, anthraces vrere licet: sic vlcera maligna, fistulas, gangrenas etiam in calidissimo & febricitante corpore, in pthysico licet cauterizare; scilicet, cùm necessitas vrget, & alia remedia non sufficiunt. Adeò, vt, etsi ad curationem calidæ & siccæ intemperiei non indicetur cauterium, ab ea tamen præsente alio graui malo, quod cauterij præsidium indicat, non impediatur. Dico autem secundò, quod cauterium etiam à tali intemperie indicetur, & quod ipsum etiam aliquando expetatur ad ipsius intemperiei curationem. Pro quo notandum, intemperiem talem vel nudam esse, vel cum affluxu humoris. In calida & sicca intemperie nuda, dico cum Albucasi lib. 1. cap. 1. suæ Chyrurgiæ cauteria simpliciter non

conuenire: nam neque conueniunt per se nec per accidens; non per se, quia non conueniunt sua alteratione aut vstione, nam alteratio talis est ad calidum; non per accidens ratione vlceris, nam, cum sic conferunt, id est, euacuando, in simplici verò intemperie nihil est quod euacuari debeat. In calida verò & sicca intemperie cum affluxu humoris dico cauteria sæpè conuenire, verùm non per se alterando, sed per accidens euacuando humorem aut vaporem qui talis intemperiei causa est, vel absumendo totum in quo calor & siccitas inest, quatenus nimirum absumpto toto subiecto etiam accidentia auferuntur; vel causam morbificam in longinqua saltem reuellendo. posse autem fontanellas calidos & bilioſos humores euacuare, infra à nobis dicetur. Hac ratione rhabarbarum etsi calidum, febrim tamen quæ calida est curat, bilis, quæ febris causa est, euacuatione. Hoc dicit expressè Lanfrancus doctr. 3. tr. 3. c. 18. & Albucasis lib. 1. suæ chyrurg. c. 1. Hugo cap. 29. therapeut. alijque. Probatur verò etiam Gal. exemplo 5. meth. cap. 13. qui in Romana muliere laborante calido & acuto catharro in thoracem descendente, vesicatorium ex columbino stercore capiti inducebat: quod malè Alexander Trallianus reprehendit. Quapropter hac ratione dico in multis calidis affectibus cauteria conuenire. In febribus longis &

gis & diuturnis, fonticuli, in acutis & peſtilentibus veſicatoria ſalutare ſunt remedium, hodieque frequens eſt fonticulis peſtem præcauere, & veſicatorijs, tracto foràs veneno, eam quæ iam inuaſit, & externis particulis, pedibus manibusque exulceratis ſuperare; quod inſinuare voluit Razes loco ſupra citato, quando in febribus erraticis brachio cauteria docuit eſſe inurenda. Sic in ophthalmia veſicatoria in occipite poſita ſedant intemperiem calidam; acutum humorem qui præſentia ſua illam cauſabat, deriuando, reuellendo aut euacuando. Sic internæ ſuppurationes, abceſſus, facto foramine, & pure acri, putrido, calidoque educto, perſanantur, febresque, quæ eas inſequebantur, extinguuntur; vt non mirum ſit pthyſicis cauteria profuiſſe. Sic in vertigine cauteria conferunt, quatenus calidos vapores qui ſpiritus percellunt & agitant, euacuant & intercipiunt, & in maniâ, omnium iudicio, futuræ coronalis vſtio eſt celebrata; non alia ratione quàm vt ſic acres illi & aduſti fumi per eam commodè poſſint exhalare. Porrò & maligna vlcera & cancri & æſtiomeni, & calida apoſtemata, carbones, anthraces hac ratione à cauterijs curãtur, aut ſaltem curari à medicis tentantur, vt nimirum per ipſum toto caloris & intemperiei ſubiecto ablato, omnis maligna qualitas, & quod eis inhærebat accidens, vnà è medio

dio tollatur. Quare etsi cauteria in tali cõplexione aliqua ex parte & per se noceant, per accidens tamen sæpe multo amplius possunt prodesse: etenim nocent tantum quamdiu corporii hærent, & dum crusta, vlcus aut vesica est in fieri, factis, actio omnis & alteratio cessat. Vstió verò illa & alteratio non penetrat ad interna viscera, sed limitibus suis continetur, ideòque non potest febrim magnopere augere, neque totum alterare, sed si quid efficit, id tantum est in membro illo quod vritur, cuius intemperies exiguam potest toti noxam inferre. Quod si periculum inflammationis fore dicatur, solùm locus eo magis refrigerantibus est muniendus. Quid si autem quispiam acutâ febri laboraret, & casu ferrum candens in brachium aut crus incideret, quod aut vesicam aut exiguam crustam induceret, an exinde eum magis periclitaturum aut febrim multum auctam iri verebimur? minimè certè, neque quisquam est, qui talem casum nõ sit flocci habiturus. Etenim vstio momentanea est, dolor breuis, nec verisimile est calorem, qui in corde remotè residet, inde accensum magis fuisse: ideòque nihil magis de vstione per cauteria est cogitandum. Verùm hoc intelligendum est de cauterijs actualibus: nam potentialia & caustica diu operantur & penetrant, & calorem in remotas partes & cor statim transmittunt, & sic attrahunt, agitant &

agitan-

agitando magis accendunt humores. Ideo bene monuit Gulielmus in calida & ſicca complexione curanda à cauterijs potentialibus eſſe abſtinendum. Porrò quia, vt dictum eſt, cauteria talem intẽperiem non per ſe curant, ſed per accidens, ideò non ſemper curant; quæ enim per ſe quidpiam agunt, illud ſemper agunt, non item quæ per accidens. Quare diligenter animaduertẽdum, quando in ea huic præſidio locus ſit; ſæpè curant quidem, ſed ſæpè etiam reddunt affectum multò peiorem, & ſemper periculoſus eſt cauteriorum in calidis affectionibus vſus. Vnde Albucaſis cùm dixiſſet cauteria etiam in calida intẽperie conuenire, ſubiunxit, non eſſe tamen cuiuſuis, ſed prudentis tantum & experti artificis ſcire quomodo & quando in tali rectè adhibeantur: & Aetius, etſi non ſimpliciter, vt Trallianus, Galenum damnârit, corripit tamen eos, qui in acri ex capite in ventriculum deſtillatione, ſtatim capiti veſicatoria applicarent.

CAP. VI. *Quod cauterium diſcutiat.*

AN cauteria vim habeant diſcutiendi facile ſciemus, ſi cognouerimus, quænam ſit natura remediorum diſcutientium, quidque ſit diſcutere, & in quo ipſius eſſentia cõſiſtat. Eſt autem diſcutere nihil aliud, quàm humorem particulæ impactum, craſſio-

rem

rem, quàm vt queat per cutis poros pertranſire, fundere, attenuare & conuertere in ſubſtantiam vaporoſam & aëream, quæ propter tenuitatem ſit leuis, & propter leuitatem acquirit motum localem, & ſurſum fertur in cutem, & per eius poros inſenſibiliter exhalat. Differt enim in hoc diſcuſſio ab euacuatione, quod per euacuationem humor exeat ſenſibiliter, & ſicuti eſt, ac in ſua conſiſtẽtia naturali: per diſcuſſionem verò inſenſibiliter & non ſicuti eſt, neque vt humor, ſed vt vapor & aër. Adeò vt in illa conuerſione humoris in aëream ſubſtantiam ipſius diſcuſſionis eſſentia conſiſtat, neque ſine ea eſſe poſſit. Talis diſcuſſio & rarefactio à calore neceſſariò perficitur: frigus enim condẽſat humores, & immobiles reddit, & poros conſtringit, at verò calor eos aperit, humores fundit, eoſq; in vaporem & aërem conuertit. Propterea, quæcunque diſcutiũt, calida debent eſſe per ſe, &, ſi etiam tenuium partium, id quidem cauſa adiuuans eſt; at verò calor eſt per ſe ratio & cauſa principalis diſcuſſionis, & propterea omnia calida diſcutiunt, maximè quæ calorem aliquem inſigniorem habent, vt quæ ad ſecundum gradum aſcendunt. quæ infrà ſunt, ea tantum rarefaciunt poros; quæ vltrà, etſi, cùm ad tertium gradum peruenerunt, etiam attrahant, & cum ad quartum, vrant, non tamen diſcutientia eſſe deſinunt. Etenim calor per ſe eſt ratio

diſcu-

discutiẽdi, & propterea maior calor magis discutit per se, etsi per accidens fieri possit vt minus discutiat. Videmus enim paruum ignem aquam conuertere in vaporem & sic discutere, magnum verò adhuc multo magis & citiùs. Quod si minùs discutiat, id ex accidenti euenit. Etenim rubificantia etsi maximè discutiant, videntur tamen minùs discutere, quia postquam multum discussérunt, nouum denuò humorem attrahunt, & escharotica, eò quòd crustam faciant, quæ impedit exhalationem vaporum, minus discutiunt, etsi non minorem habeant discutiendi facultatem: ita enim discutiunt, vt omnem particulæ humorem in aërem conuertant, relinquantq; ipsam siccam, terrestremque instar carbonis. Quapropter, cùm cauteria intensum habeant calorem, imò sint ipse ignis, vtique quoque eximiam discutiendi vim habere debent. Etenim cum cauterium parti apponitur, calefacit eam, & in ea contẽtos humores, calor verò necessario humores fundit & vertit in vapores: quotiescũque enim ignis in aquam agit, eam vertit in aërem, vapores ij attenuati per poros cutis, apertiores quoque caloris beneficio factos, exhalãt, atque hoc est discussio. Hanc actionẽ experientiâ videmus: nam si parti præhumidæ & muccidæ candens ferrum adhibeatur, fumum ex particula excitat; quod fit humidi eius in vaporem conuersione. Hoc autem dis-

tem discutere est, & eâ discussione pars quæ antea humida erat, humidi exhalatione redditur sicca. Sed hæc discussio est excitato fumo, ob magnitudinem caloris qui assat; at verò similis discussio fit insensibiliter, excitato vapore, ab ipso empyreumate post vstionem in particula relicto, quod paulatim subiectum humorem in vaporem conuertit; aut cum actualis ignis nõ confertim ipsi particulæ immediatè adhibetur, sed mediatè & à longè; vt cum in apoplexia apposita à longè candente sartagine frigidam pituitam fundere, discutere atque exiccare studemus; aut cum potentialia cauteria, sinapismos, phænigmos particulis adhibemus. Atque hac ratione dictum nobis antea est cauteria exiccare, in eumque vsum à medicis esse vsitata: ideò enim exiccãt, quia discutiunt, omni que eorum exiccatio est propter discussionem. Ex quo constat cauteria discutiendi vim habere. Sed distinguere oportet modum, quo cauteria discutiunt, ab illo, quo discutiunt ea quæ propriè discutiẽtia vocantur; nam cauteria dupliciter discutiunt, & excitato vapore insensibili propter calefactionem, & excitato fumo propter vstionem & assationem. Potentialia discutiũt, quatenus calore suo subiectum humidum conuertũt in vaporem, qui lentè exit & insensibiliter, & ferè tantum discutiunt humores, propter debilitatem eorum actionis; at

vero

verò actualia tum illo modo discutiunt, nempe cum mediatè parti applicantur; vt cum sartago ignea à longè adhibetur, aut contra candentes muros corpora à longè paulatim torrentur, aut aliter mediantibus sacculis aut liquoribus ferramenta candentia adhibentur, aut cum actualis ignis est debilis vt hælioſis aut sepelitio sub arena maris, vt scilicet sua debilitate nequeat vrere aut assare, sicque visibilem excitare fumũ, sed tantum calore attenuare in vaporem: tum etiam discutiunt excitato fumo sensibili, quod fit propter actualis ignis excellentiam. Talis autem discussio fit cum corruptione particulę, quatenus multis membri particulis vstione cõsumptis & exiccatis, magna quantitas subiecti humoris & mucoris morbifici vnâ exiccatur consumitur & absorbetur. Ratione autem huius discussionis cõstat medicos etiam cauterijs vsos fuisse: nam in articulorum mucoribus & dislocationibus, in partium contusionibus & putredinibus, ad absorbendam humiditatem ignem Hippocrates vsurpauit. At verò, quæ verè discutientia vocantur, omnia resoluendo tantum humorem in halitum insensilem, id præstant, & talia debiliorem habent cauterijs calorem. Tunc vtimur cauterijs ad discutiendum, cum id quod discuti debet resistentiam habet insignem: resistentia est à substantiæ modo, temperie & multitudine.

Paucus

Paucus humor, calidus, tenuis, vt sanguis, bilis, leuioribus & propriè dictis discutientibus est consumendus; multus, crassus, frigidus, fortioribus, adeòque cauterijs. Ideò non vtimur cauterijs ad discutiendum sanguinem aut bilem, sed tãtum ad crassam, frigidam & multam pituitam, & quæ alijs discutientibus nõ cessit, ac præcipuè quę in parte profunda, aut ad quam paruus calor non pertenit, vt in viscеribus, in capite, hæret, discutiendam; aut cum aliquo in loco multa serositas est congregata. Sic ad pituitam capitis in catharris, apoplexia, epilepsia, hemicrania, astmate, in articulorũ humiditatibus, dislocationibus, hydrope, &c. & vbicũque pertinax malum est, synapismis phœnigmis, ferramentis candentibus, ignita sartagine, galeâ, insolatione, paroptesi, arenatione medici antiqui & neoterici vtuntur. Vbi pituitosa materia fundenda est & consumenda, potentialibus, nimirum synapismis & phœnigmis, vbi serosa & vbi pars mucciditate defluit, actualibus prædictis maximè est vtendum.

CAP. VII. *Quod cauterium attrahat.*

QVæ insigniter discutiunt, ea quoque attrahunt, & finis discutientium medicamentorum est initium attrahentium. Tractio enim discussione fit, cum in absumpti humoris locũ alius successione quadam ingre-

ingreditur. Dictum autem est cauterium quàm fortissimè discutere, quare etiam attrahere necessum est. Denique omnis calor causa est tractionis & fluxionis ad partem, & infrà ostendemus libro sequente, quomodò calor sit ratio tractionis in medicamentis, atqui cauteriũ particeps est summi caloris, quare & tractionis. Docet id experientia, nam cauteria sæpissimè pariunt inflammationes, quod fit ratione tractionis eorum, & propterea iniungi solet, vt frigida & repellentia in circuitu cauterij applicentur, quò pars à defluxu & inflãmatione reddatur immunis. Duplex autem est ratio trahendi in cauterijs, altera per se, altera per accidens. Per se trahunt cauteria calore suo, per accidens verò, quatenus relinquũt post se vlcus ad quod materia fluit: verùm hæc non est propria tractio, nec de ea hic loquimur, sed infrà, cum agemus de fontanellis; hæc verò est propria & per se, & fit à cauterio in quantum tale, & in quantum calidum: illa incipit tempore facti vlceris, hæc tunc finitur, sed incipit cum primum causticum corpori adhibetur, & durat quamdiu ipsum corpori adhæret; facto autem vlcere terminatur: illa lenta est, durans mensibus & annis, & ideò valet in lentis & diuturnis fluxionibus, hæc repentina & durans aliquot horis sed violenta, ideoque locum habet in fluxionibus quæ & ad longinqua & extrà in altum &

ſubitò trahi debent. Etſi autem hæc tractio repentina ſit in reſpectu illius quæ ratione vlceris exercetur, vt tamen vtilitatem habeat, debet non minus eſſe celer, ſed quæ ſaltèm pluribus aliquot horis perduret. Hinc cauteria illa quæ lentè vrunt, magis valent ad hanc tractionem obeundam, ac propterea eſcharotica & cauſtica hanc intentionem non ita bene complent, ſicut dropaciſmus, ſinapiſmus, phœnigmus, eò quòd hi non vt illa ſpatio vnius aut alterius horæ, ſed longiſſimo tempore, decem, quindecim, viginti, & plurium horarum operationem ſuam perficiant. Patet autem tractio veſicantium ipſo ſenſu. Nam & ægri eo applicato ſentiunt tractionem, & apparet eleuatio cutis, & ſub eâ attractâ copioſi humoris ex internis partibus abundantia. Hæc cauteriorum attrahendi facultas plurimas in morbis curandis adfert vtilitates. Etenim in ophthalmiâ frequens hodie eſt veſicatoria occipiti apponere ad humores, qui in oculum fluunt, retrorſum atque in oppoſitum ſui motus retrahendum. Æquè familiare eſt pedũ brachiorumque extremis ea inducere in febribus & peſte, ad acres materias extrorſum ſub cutem euocandas. In epilepſia ad auram venenatam in caput aſcendentem, in lethargo, cephalalgijs, vertigine, melancholia cruribus ea adhiberi, ad vapores qui ſurſum ferũtur, reuellendos, teſtantur Areteus 1.

teus 1. acut. c. 2, Trallianus lib. 1. c. 14, Aegineta lib. 3. c. 9. Super ictus venenatos, ad venenum discutiendum & ex alto euocandum, sinapismum laudauit Galenus 13. meth c. 16. Thoraci phœnigmum induci, ad puris extractionem, testis est Celsus lib. 4. c. 6. Porrò super inflammationes profundas, vt in angina, super anthraces & carbones aliaq; maligna apostemata quæ intùs repunt & occultantur, ad ea à corde & visceribus ad cutem tanquam partem ignobilem extrahenda, nihil præsentius ac magis necessarium est, quàm sinapismum & phœnigmum inducere. Denique in quibuscunque frigidis & contumacibus ac diuturnis viscerum affectibus, alijs remedijs frustrà tentatis, in mania, apoplexia, astmate, cæliaca, colica passione, arthritide, deiecta appetentia, intestinorum leuitate, ad calefaciendum, discutiendum, & materias ijs impactas extrorsum violentè educendũ, veteres sinapismis ac phœnigmis ventri, thoraci, stomacho, capiti, coxæ adhibitis semper vsi fuerunt; vti videre est apud Oribas. 10. coll. c. 13, Paulum 7. c. 19, Aëtium, Celsum, aliosque.

CAP. VIII. *Quod cauterium consumit & annihilat quidquid superuacaneum.*

CAuterium non tantum discutit & attrahit, sed consumit & annihilat, &

quod anteà toti hærebat, facit discontinuari ab eo & perire. Etenim cauterium est ignis, ignis autem comburit, & ob summam suã actiuitatem, quæcunque obuia sunt, destruit & vertit in carbonem, carbo verò calore & formâ qua regebatur destitutus, priuatur communi vita & putrescit, tandem & decedit à toto, sicque, quod antea toti hærebat, actione cauterij ab eo diuellitur & abscinditur. Hac ratione auxilium præbet cauterium, cum aliquid est quod toti quomodocunque adhæret, quod ad eius essentiam aut sanitatem non requiritur, sed præsentia sua noxium est, quod tamen alijs remedijs difficulter aufertur. Hoc interdum est pars totius, vt sextus digitus, aut hypersarcosis quæ in vlceribus contingit, aut alia qualiscunque carnosa adnascentia aut eminentia, quæ in membris non rarò suboritur: interdum est aliquid aliud, quod non est pars, nec cõmunem cum toto vitam habet, sed parti viuæ adnascitur, ex humoribus confiatum, vt apostemata. Etenim & hæmorrhoidas, vuulam tumentem, cancros, anhtraces, polypos, strumas, varices, callos, verrucas, phymata, thymos, ganglia, steatomata, lupos, herpetes, æstiomenos, & quidquid præter naturam corpori adnascitur, tùm ferro candente, tùm causticis potentialibus exuri & exedi medicis solitum est. Hęmorrhoidas Hippocrates lib. de hæmorrhoidibus docuit

docuit ferro candente exurere, & Paulus & Celsus & Aëtius: polypum & ozænam idem 2. de morb, Paulus lib. 6. c. 25, Celsus, Albucasis: vuulam tumentem Raz. 9. rei med. c. 47, Galenus 4. de comp. secund. loc. cap. 9. Ægineta, Mesue: scrophulas Aëtius lib. 15. c. 5, Albuc. lib. 1. c. 23: varices Aëtius lib. 14. c. 85, Celsus: cancros, Auic. lib. 4. fen. 3. tr. 2. c. 6. & 11. Denique omne tumorũ genus cauterio auferri videbit, quicunque Auicennam, Aetium, Æginetam, Celsum, Albucasim, Razim, aliosque antiquos legerit. Interdum etiam cauterio aufertur aliquid ipsius membri, quod si sanum esset, necessarium quidem esset parti, sed cum iam corruptum est & putridum, & serpit & inficit partes vicinas, indicat sui ablationem antequam totum inficiat. Sic vruntur vlcera putrida, serpentia, antiqua, ossa corrupta & cariosa, fistulę, partes emortuæ & gangręnosæ; & Auicenna 4. 1. cap. 29. docens quatuor cauterij vtilitates, primo loco ponit, quòd ipsum resoluat materias corruptas in membro, ne corruptio spargatur in eo: & Galenus 2. art. cur. ad Glauc. c. 9. de cura gangrænarum loquens: Et melius est, inquit, infallaciæ cau- »
sa, quando incidis quid putridum, eam quæ ve- »
lut radix eius est, copulatã impassibilibus cor- »
poribus vrere quandoque quidem ipsis patien- »
tibus particulis cauteria adhibentes. Quapro- »

pter in putridis, depascentibus & mali moris ac difficulter curabilibus vlceribus, nihil melius, quàm causticis medicamẽtis, ac præcipuè, cum putredo adest, igne actuali vti. Nihil enim æquè quod putridum ac corruptum est aufert, sicut ipsum cauterium. Nam, præterquam quod in vlceribus non possit commodè semper quod corruptũ est frigidi ferri sectione auferri, hanc etiam prærogatiuam cauterium habet, quod id, quod corruptum est, combustione auferendo, reliquam partem sanam exiccet, roboret, & putredini ineptam reddat; adeò vt non tantum, quod nunc actu corruptum est, auferat, sed etiam id, quod successiuè corrumpi posset, à putredine vindicet, totamque putrẽdinis auferat radicem. Ac propterea etiam cum aliquid putridum aut corruptum & gangrænosum ferro ablatum est, præstat, idque medici docent, vt insuper etiam ignis adhibeatur, ad putredinis radicem funditùs extirpandã. Porrò etiam in talibus vlceribus, vbi nerui, venæ & arteriæ substernuntur, & vbi metus est vllus profluuij sanguinis, nulla ratione sectione vtendum est, sed quod putridum est, vel causticis potentialibus est auferendum, vel ferro candente; vtroque enim remedio sanguis sistitur; illo verò, quod lentè operetur, subiecta illa vasa caueri facile possunt. Quod autem ad huiusmodi putredines & corruptiones cauterijs sit:

sit vtendum, veterum authoritatibus comprobabo. Putrida, phagedænica & maligna vlcera sic curari docet Galenus in libris de compos. med. sec. loc, Auic. lib. 4. fen. 3. tr. 2, Razes lib. diuis. c. 138, Aëtius lib. 14. c. 52. & 9. Fistulas exurit Auic. lib. 4. fen. 3. tr. 2. c. 11, Albuc. lib. 1. c. 37, Aëtius lib. 14. c. 56. In gangræna vstione vtitur Auic. lib. 4. fen. 3. tr. 2, Ægineta lib. 4. c. 19: in ossium carie & corruptione Auic. lib. 4. fen. 4. tr. 4, Celsus lib. 8. c. 2. ferro candente vtuntur, & in ægilope cum os carios um est & corruptum, Galenus 5. de comp. medi. sec. loc. c. 2, Ægineta lib. 6. c. 22. & ad corrosos dentes Auic. lib. 3. fen. 7. c. 11. ignem adhibuerunt. Infinita alia loca liceat in medium adferre, quæ tædio afficiant legentem. Hæc attulisse sufficiat ad vtilitatem quæ à cauterijs ratione exustionis & consumptionis prouenit, firmius astruendam.

CAP. IX. Quod cauterium perforat & aperit apostemata & internas cauitates.

QVatenus cauterium vrendo vim habet particulas aliquas annihilandi & consumendi, eatenus quoque facultatem sortitur cauitates & vacuitates perterebrandi & perforandi. Cùm enim alicuius membri cauitatem intra se continẽtis particulam aliquam exurit & excidere facit, efficit vt in eo loco

 postea

posteà contingat foramen, vnde id quod exustum est decessit, per quod cõtentus intra humor effluat ac euacuetur. Hac actione cauterium etiam nonnullum corpori nostro beneficium præstat: Etenim hac ratione cauterio vtimur, ad aperienda apostemata quę pus continent, vt facto foramine ipsum elabatur, sicut Celsus lib. 7. c. 2. attestatur. Sciendum autem est apostemata cum maturuerunt, esse aperienda; nam si id non fiat, pus propter acrimoniam quam acquirit, subtus carnem corrodit, & sinus excauat ac profundum & sinuosum post se relinquit vlcus, sæpè subiectas venas & arterias exedit. Aperiũtur autem apostemata interdum sponte à natura; quod fit partìm, quia cutis tensione est attenuata, partìm, quia pus acrimoniâ suâ eam exedit & perforat & hoc maximè fit in abcessibus cutaneis minimcque profundis: interdum debent à medico aperiri; aperiuntur verò interdum allisione & compressione, vt cum interna sunt, ad quæ non potest gladio peruenìri, plerumq; aperiuntur ferro frigido & acuto, vel igne siue potentiali, siue actuali. Quamuis autem ferro & sectione optimè apostemata aperiantur, in nonnullis tamen multò satius est vstione vti. Id declarat Aristot. 1. sect. probl. 34: quærit enim, qui nam abscessus vrendi, qui verò scindendi sint, respondetque, latos & progressu multiplici & in locis venosis, esse vren-

vrendos, alios verò esse incidendos. Quapropter sciendum est in quinq; casibus apostemata magis cauterio quàm sectione esse aperienda: Primò, cum in ijs locis sunt, vbi subtùs magnæ venę & arteriæ latẽt, atque vbi profluuium sanguinis timetur; ratio est, quia tunc ab illo non est tantus metus, cũ cauterio restinguatur, ferro verò non item: secundò, cum abscessus sunt frigidi; tum enim insimul à cauterio membrum roboratur; aut cum sunt venenosi, vt carbo; aut cum metus est alicuius depascentiæ aut putredinis; dictum enim suprà est nihil æquè putredini & veneno atque ignem resistere: tertiò, vbi abscessus profundiores partes occupãt; tũc enim cõmodè per cannulam immisso cauterio apertio fieri potest: quartò, quãdo ægri gladiũ timent; tum enim cauterio potentiali superposito suauiter perforantur: quintò, cum abscessus sunt in locis humidis; nã tum, propter cauterij exiccationem, & pars roboratur, & à putredinis periculo arcetur. Atque hæc est prima, ratione huius actionis, vtilitas: altera est, quod hac ope etiã pectoris & abdominis cauitas perforatur, cum contentus præter naturam in ea humor arte facta via est euacuandus. Hoc contingit in empyeumate: etenim ad educendum pus in thorace contentum, spatia, quæ inter costas sunt, veteres nonnunquã cauterio perforârunt: testis est Hippocrates sect. 7. aphor. 45.

cùm

cùm inquit; Quicunque ſuppurati aut aquam intercutem patiẽtes vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluat moriuntur. Etenim non de fonticulis ſed de totali capacitatis per cauteriũ perforatione intellexit, vti 3. de morbis oſtendit, vbi totum perforationis faciendæ modum deſcribit. Teſtis etiam eſt Auicenna 3. fen. 10. tr. 5. cap. 5, Ægineta, Celſus, Damaſcenus, alijque. Idem contingit in hepate, liene inflammatis & in abſceſſum permutatis: teſtis eſt Hippocrates 7. aphor. 45, Ægineta lib. 6. c. 47. Albucaſis, Iſaac. In hydrope porrò ventrem cauterio aperiri ad ſeroſi humoris eductionem, Hippocrates lib. de inter. aff. cap. 27. & Celſus lib. 7. cap. 15. docuerunt.

CAP. X. *De viribus cauterij per accidens & primum ratione cruſtæ.*

HActenus de effectibus quos cauterium per ſe & ratione ſui caloris & vſtionis præſtat, egimus, nunc de iis, qui per accidens ſunt, eſt tractandum. Horum aliqui ſunt ratione cruſtæ, alij vlceris, alij cicatricis; de primis hoc loco eſt docendum. Cruſta itaque eſt particula quędam carnis, quę propter ablationem humidi vi iginis factam, euaſit dura, ſolida & terreſtris, quæ verò ſolida & dura ſunt, ea nata ſunt quæ hiant & patent reſerare & occludere, & rebus transfluentibus aditum

tum impedire ; quapropter non incommodè aperta venarum & arteriarum foramina per inductam cruſtam pręcludi, & ſic profluens ex ijs ſanguis ſiſti poteſt. Hac ratione medici cauterijs ad ſiſtẽdum fluxum ſanguinis vtuntur. Patet hoc authoritate Auic. 4. 1. c. 29. & in canticis parte 4. aphor. 32. ibi enim enumerat quatuor cauterij vtilitates, & inter eas, quod fluxum ſanguinis compeſcere poſſit. Auerroes quoque in commento illius cantici dicit, cauterijs vti nos ad fluxum ſanguinis à venis pulſatilibus aut alijs venis magnis ſiſtendum, cum non ceſſat per vſum aliarum medicinarũ. Hippocrates quoque lib. de loc. in hom. c. 49, Razes lib. 7. cap. 20, & Albuc. lib. 1. c. 57. ad fluxum ſanguinis venas & arterias vrere docent. Porrò & Albuc. & alij, vbicunque ſectio aliqua in corpore eſt adminiſtranda, vbi profluuij ſanguinis periculum eſt, aut magnæ venæ arteriæque ſubſunt, iubent in eum vſum, ſemper loco ferri cauterio vti, & cum ferro quicquam præciderunt aut amputârunt, ex quo ſanguis ſit promanaturus, inſuper cauterio circumquàque vrunt. Sic cum quis membro mutilatur aut brachium aut crus abſcinditur, locus vulneratus circumquàque cauterio aduritur vt venæ omnes atque arteriæ hac ratione occludantur. Quod autem cauterium ſanguinem ſiſtat ratione cruſtæ docet Galenus lib. 5. meth.

cap. 3.

cap. 3, 1. de simpl. med. facul. c. 18, Auic. lib. 2. tr. 1. c. 4, Auer. 7. coll. c. 33, Aëtius lib. 14. c. 52. alijque: dicunt enim id fieri, quatenus crusta est quasi vallum & murus, qui sanguinem retinet, & quasi operculum quod claudit vas, vt quicquam ex eo effluere nequeat. Ideoque monet Galenus, vt cum ad hunc vsum cauterio vtimur, curemus vt talis crusta fiat, quę & durissima sit, & quàm diutissimè hæreat; ac cùm potentialibus vstionem molimur, non septicis, sed escharoticis, ijsq; quæ astringendo simul firmam ac permanentem generent crustam, vtamur. Dum enim crusta hæret & fluxus cessat, natura paulatim carnem sub ipsa crusta ante foramen generat, sicque antequam crusta decidat, locus carne est oppletus. Verùm in quonam sanguinis profluuio cauterio sit vtendum, videamus. Dico autem tunc tantum ei locũ esse, cùm magna est necessitas, & alia remedia non profuerunt, aut saltem non profutura metuuntur. Primò autem necessitas tunc est, vt testatur Auicen. in Cant. par. 4. aphor. 32. & Auerroës ibi, cùm ex arteria fluit sanguis, saltem maiusculâ, aut etiam venâ valde magna, ita vt effluat magna quantitate, vt neque medicamentis neque vinculis sisti possit: secundò, vt inquit Galenus 5. meth. c. 3, & Aëtius lib. 14. cap. 52. cùm sanguis effluit propter erosionem aut putredinem, præcipuè in pudendorum aut

sedis

sedis vitijs, eò quod huiusce modi membra ob redundantem humiditatem, & quod acribus recrementis transitum præstent, facillimè putrefiant. Ideò autem, tantum cum necessitas vrget, cauterio est vtendum, quia eorum, inquiunt, occludendi modus non est admodum securus. Etenim crusta decidere facile potest, decidẽte vlcus excauatur, & vulnus arterię magis nudatum est & spoliatum proxima carne quæ succrescendo eam tegere possit, propterea quod crusta circumpositam carnem abstulit; tunc verò posterius periculum multo maius est priore, & nouus maiorque ac deterior fluxus oboritur: tunc enim multò, quàm antè, difficilius potest vulnus carne, cooperiri, ob factam plurimæ carnis à cauterio deperditionem, quæ antequam regenerari potest, profluuij magnitudo ægrum è medio sustulit. Hoc etiam comprobat Auerr. 7. coll. c. 33. qui ob id dicit non laudari cauterium, nisi cum fluxus fuerit propter corrosionem venæ; quia, inquit, tunc cauterium superpositum est loco rei quæ remouet causam facientem corruptionem: quibus verbis videtur significare Auerroes non tam prodesse cauterium quatenus ipsum symptoma curat, quàm quatenus, ex parte oppugnando symptoma, simul etiam causam symptomatis aufert. Verum in omni fluxu sanguinis, curando symptoma & sanguinem sistendo medi-

mediante cruſtâ confert cauterium, at cum fluxus à corroſione factus eſt, tũc multò magis & duplici nomine cauterium prodeſt & ſymptoma oppugnando ratione cruſtæ & deſtruendo cauſam, nempe putredinem, ratione ſuæ exiccationis & conſumptionis. Porrò periculum huius remedij hoc auget, quod cruſta inducta facile decidat ob pluralitatem cauſarum ad hoc concurrentium. Decidit enim vel propter continuum motũ arteriæ qui eam ſeparat, vel propter impetum irruẽtis ſanguinis qui eam excutit, vel propter commotionem aut agitationem partis; vt ſi eſt caput, propter maſticationem, loquelam, circunductionem; ſi brachium aut crura, propter eorũ cõtractionem, vel propter compreſſionem faſciarum, vel quod non ſatis ſolida ſit, vel quod eius caſus citiùs, quã oporteat, putrefacientibus procuretur, vel quod natura negligentius carnẽ generet, vel quod non æqualiter; ita vt vno loco extrudat cruſtã, altero vacuò relicto, vel quod depoſitione faſciarum, cataplaſmatum ei vel ob exiccatũ pus aut pultem aut aliquid emplaſticũ aut farrinaceum adhærentium, vel lotione aut alia quaque ratione detrahatur. Interim, etſi hæc faciant vſum cauterij difficilem & periculoſum, & non niſi cum neceſſitas vrget vſurpandum, tamen cum ea adeſt & artificio adhibetur, in quocunque profluuio, ad quod cauterium peruenire poteſt,

test, præsentissimum, vltimum ac necessarium est remedium. Verùm notandum est, quòd illi fluxus præcipuè cauterio sisti possunt qui externi sunt, atque à vulneribus aut vlceribus externis; illis enim tantum cauterium potest adhiberi: in mictu, sputo sanguinis, fluxionibus hepaticis, aut cum interna aliqua in corde, mesenterio, hepate, vena rupta est, nequaquam potest cauterium adhiberi: quod enim candens ferrum eo infigi nequeat nemo ignorat, quòd verò neque cauterium potentiale, ex eo patet, quòd omnia escharotica, caustica & septica sint venenata, neque sine certo mortis periculo intra sumi aut ad viscera penetrare possint. An ergo tantum externi fluxus cauterio sisti possunt? Testis est Galenus 3. de compos. medicam. secundum loca c. 4. Andromachum & Asclepiadem caustica & escharotica fortissima ad sistendum fluxum sanguinis cum linamentis naribus imposuisse, Idem 9. eiusdem operis recenset ex pluribus antiquis varias compositiones & infusiones ex causticis, escharoticis, septicis conflatas, quas ipsi ad curandam dysenteriam cum clystere infundebant, non aliò absque dubio fine, quàm vt sanguinis profluentis impetum crustæ inducendæ beneficio coercerent. Verum hæc curandi ratio meo iudicio non meretur imitationem; nam præterquam quod sit periculosa, non

etiam

etiam videtur esse vtilis. Nam primò si hęmorrhagia narium causaretur ex apertione vasorum, quæ sunt in ipso naso, aut ibi, quò linamentum cum causticо peruenire potest, ipsum quidem cauterium hac ratione prodesset, at verò talis, quæ abunda est & periculosa, oriturr ex internarum & altiorum venarum apertura, ad quas ipsum generãdo crustam nequeat penetrare. In dysenteria verò vel tota intestinaa crusta obduci necessum est, quod pernicioſum; vel illic crustam induci contingit, vbi fortè vlcus non est, & tunc lapsâ crustâ alterum vlcuss generatur; vel, vt rectè in loco fiat, crusta cadente nouum maiusque periculum oritur. Interim & tormina & sitis & febris quę inde proueniunt, & venenata qualitas in cor & heparr delata, dubium non est, quin & malum augeant, & mortem accelerent.

CAPVT XI. *De viribus cauterij ratione cicatricis.*

ORdine generationis post crustam sequitur vlcus, inde cicatrix. Quia verò de vlcere disceptatio longior est, nec ordo doctrinæ nostræ interrumpi videatur, priùs de vsu, quem cauterium præstat rationee cicatricis, dicemus. Cicatrix itaque nonnullass corpori nostro in curandis morbis adferre potest vtilitates, quę in cauterium, tanquam illiuss causam

causam etsi remotam redundant. Quæ qualesque eæ sint, ex natura cicatricis est petendum. Cicatrix itaque est quædam cutis durior & nõ habens poros, & hoc est in cute quòd callus est in osse. Nam cùm os & cutis sint partes spermaticę, eas semel deperditas non potest natura restituere, sed in eorum locum substituit aliquid naturæ eorum, quàm maximè potest, simile. Quod poros non habeat, ex eo patet, quòd sit glabra, & nunquam super eam pili nasci videantur: quod verõ reliqua cute durior, ex eo quòd minus, quàm illa, flexilis & plicatilis sit. Porrò vbi cicatrix est, præcipuè ab vstione, ibi semper quandam esse tensionem videmus, propterea quòd ea magis densa minúsque dilatabilis sit. Hinc cicatrix duplicem præstat vtilitatem; prima est propter eius soliditatem, propter quam fit, quod non habeat poros; altera est propter eius duritiem, propter quam fit quòd non sit dilatabilis, nec cedat corporibus incumbentibus, nec allabentibus transitum concedat, sed præcludat & constringat. Quatenus poros non habet, eatenus vbi est, impedit generationem pilorum; pili enim non possunt per solidam cicatricem perrumpere. Hinc vbicunque pilorum generatio impediri debet, stygmatibus & cicatricibus locus inurendus est, manebitque glaber & nudus. Testis est Alyabb. 9. pr. c. 71. In ijs, inquit, quibus pili in palpebris abun-

dant, post euulsos pilos, specillo singulos poros inurere oportet, vt crusta fiat, indèque cicatrix, & nunquam, inquit, pili crescent. Ægineta quoque lib. 6. c. 13. idem facere docet, sicque, inquit, cute densata nullus pilus enascitur. Docet quoque id experientia. Nam, quam partem quis igne combustam seu gladio vulneratam aut vlceratam habuit, siue in capite seu mento, aut palpebris, eam postea inducta cicatrice glabram & pilis nudam in perpetuum permanere videmus. Quatenus autem cicatrix minimè dilatabilis est, eatenus facit, vt, vbi ipsa est, nihil in altum attolli aut excidere, à suaq; sede moueri possit: etenim sua duritie & inextensibilitate illi quod incidit aut excidit non cedit, sed cõtranititur, ipsumq; repellit, & partes vicinas ita contrahit, vt non possint dilatari. Hac ratione multæ non contemnendæ à cicatrice proueniunt vtilitates; nam imprimis hoc modo articulorum ab humiditate dislocationes sanantur. Id docuit Hipp. lib. de art. c. 11. & 12. Ibi enim dicit humeros luxatos ab incidente multa pituita quæ eos è loco extrudit, postquam repositi sunt, vri debere, vt non iterum è loco suo excidant; quod non ratione exiccationis humiditatis aut confortationis temperamenti membri, quanquam hæc etiam ibi prosint, sed duræ cicatricis, quæ articulum repellit & reprimit, eum facere liquidò constat. Etenim vstionem

fieri

fieri docet ſuper illo loco ad quem excidit os, nempe vt ibi ab obſiſtente cicatrice reprimatur; quòd ſi ibi nõ ponatur, dicit plus nocere, quia, inquit, tunc cicatrix potius extrudit os. Quod ſi non propter cicatricem, ſed ob ſolam ſiccationem aut humoris euacuationem aut alterationem conferre putaret, indifferens eſſet hac an illa parte vſtio fieret. At verò alios medicos culpat, quòd ibi vrerent, vbi os non excidebat. Multi, inquit, medici humeros luxatos vſſerũt, & iuxta ſupernam humeri partem & iuxta anteriorem, qua parte caput brachij extuberat, & iuxta poſteriorem paululum retrò ſupernã partem. Hæ quidem, inquit, vſtiones, ſiquidem ſurſum brachium excidiſſet aut in anteriorem aut poſteriorem partem, rectè inuſtæ eſſent: nunc verò, cum deorſum excidit, eijciunt magis hæ vſtiones quàm impediũt; à ſuperna enim ſpatij amplitudine caput brachij excludunt. Quare, inquit, hæc ſic vrere oportet. Cutem ſub ala attrahere neceſſum eſt, & ſecũdum rectitudinem, qua caput excidit, vrere. Quod ſi conſumptionis humoris extrudentis cauſa vſtionẽ Hippocrates faceret, deberet eam potius in oppoſito luxationis feciſſe; ibi enim humor eſt: nam vbi luxatio aliqua in vnam partem eſt, ab aliquo extrudente, neceſſum eſt id quod extrudit in oppoſita parte eſſe. Clarius autem ratione cicatricis id fieri docet, cum inquit: non magnis

sed paruis ferramentis vstio fiat; latiora enim magnas crustarum faciũt elapsiones, & periculum est, ne cicatrices rũpantur. Ac paulò post, vt cicatrix arcta fiat, docet brachium alligatum tenere costis, vt sic parua, inquit, non diducta fiat cicatrix, vt nempe sic articulum fortius à se repellat; luxatio enim deorsum erat, at brachio eleuato cutis deduceretur & cicatrix fieret lata. Hanc vstionem Hippocratem feciſſe, tùm ratione exiccationis pituitæ, tùm maximè ratione cicatricis, declarat Galenus in com. 6. Aphor. 60. Nam cum etiam ibi Hippocrates propter dislocationem coxam vrere doceret, dicit Galenus propter eandem causam eum ibi vstionem præcipere, propter quam in libro de articulis in humeri dislocatione eam commendârat, vt, inquit, lenta illa & mucosa pituita absumatur, & vt cutis laxitas, ad quam articulus lubricat, per aduſtionẽ firmata & contracta humerum arctet, & loco moueri prohibeat. Quod clariùs declarat Ægineta lib. 6. c. 76. coxendicem inurens cum inquit; & humor redundans exiccetur, & (quasi hoc præcipuum sit, sicut etiam ex Hippocratis verbis facilè patuit) vt locus cicatrice denſatus nõ amplius os suſcipiat. Eodem modo, quo Hippocrates, in humerorũ dislocatione sub alis vrere docuerunt Paulus lib. 6. c. 42. & Alyabbas 9. pract. c. 73. & in coxendicis procidentia ratione cicatricis, Aetius ex Rufi

ex Rufi ſententia lib. 12. c. 25. & Albuc. lib. 1. c. 26. vſſerunt. Cicatrix enim conſtrictionem facit in parte, & quandam contractionem, à qua fit, vt arctatus articulus fixus immobilisque reddatur. Sunt & aliæ propter cicatricem vtilitates. Albucaſis lib. 1. c. 44. in incipiente gibbo locum circum cauterio circulari, quod plures intra ſe circulos, alios alijs minores haberet, eſt complexus; vt dura cicatrice cutis impediendo extenſionem, eamque potius contrahendo gibbi auerteret incrementum. Auicenna quoque in eum finem fen. 14. lib. 3. tr. 4. c. 13. in aſcite, poſt aquoſi humoris euacuationem, conſulit ventri cauteria adhibere; ad conſtringendum, inquit Iacobus de Partibus, & corrugandū panniculos, vt fiant inepti dilatationi & ſuſceptioni plurium aquoſitatum. Sed hoc remedium locum non habet in magnis capacitatibus. Nam non poteſt cauterio venter ſic conſtringi, vt omnis eius capacitas tollatur; quæ autem reliqua eſt, non ideò magis inepta eſt nouorum humorum receptioni. Propter hanc etiam cicatricem Aetius lib. 14. c. 7. ex Leonida ſedem in ani procidētia inurere docuit. Nam inuſtio, inquit, ad peruincendum defluxum ſufficiet, cum ſuperueniens cicatrix ſedem circulatim conſtringat. Etenim cicatrix contractionem facit in parte, quæ excidens inteſtinum includit. Sed & in ſtrumis hac ratione cauterio

locus est secundum Celsum. Nam lib. 5. c. 28. aliqui, inquit, adurunt & cicatrice constringunt locum, ac si diceret, ne locus suscipiat defluxum. In hernia quoque vmbilicali hac ratione prodest. Nam cùm ea ab omento & intestino est, docuit Celsus lib. 17. c. 14 ligare vmbilicum, & id, quod supra cordam est, vrere medicamento aut ferro; non alia ratione, quàm inducendæ cicatricis. Hoc explicuit doctissimus meus præceptor Hieronymus Mercurialis
» in libro de morbis puerorum: impulso, inquit,
» intestino locus ruptus vritur, & crusta lapsa
» locus sanatur; facit enim, inquit, istiusmodi
» vstio cicatricem in loco affecto ita duram, vt
» à se in posterum repellat & intestina & omnem
» materiã. Vltimò, quatenus cicatrix duritie sua est imperuia, eatenus, quando media est in aliquo ductu aut canali per quem humores aliqui ferri solent, tanquam septum quoddam ipsius ductus extrema distinguens & separans à se inuicẽ, potest illorum cursum & transitum impedire, & hac quoque ratione pluribus affectibus auxilium præstat. Scribit Aristoteles sect. 5. probl. 31. quòd in fluxibus oculorum solent venas temporum inurere, humorum, inquit, ductus occludentes. Etenim hac ratione solent medici ad plurimos antiquos humorum & vaporum fluxus impediendos, venas & arterias præsecare, vt, intercrescente carne & cicatrice,

eorum

eorum ſuſque deque commeatus interciperetur. Sic Auicen. lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. & 1. 3. tr. 5. c. 3. pro affectibus capitis per conſenſum, ad impediendos vapores ex quacunque parte aſcendentes, docet vrere venas & arterias temporum; vt, inquit, ſtrictio ſit ſuper duas arterias: & ſæpe, inquit, arteriæ extrahuntur, inciduntur & cauterizantur. Sic Albuc. lib. 1. c. 13. in defluxu humorum ad oculos iubet cauterizare duo tempora, vt inquit, ab ſcindantur omnes arteriæ & venæ quæ ſunt ſub cute. Idem in ijſdem affectibus fecere Aetius lib. 6. c. 50. ex ſententia Archigenis, & lib. 7. c. 88. ex ſententia Seueri, Celſus lib. 7. c. 7, Razes li. 9. c. 12, Paulus lib. 6. c. 4, Alyabb. 9. pract. c. 77. Solent quoq; antiqui pro externis fluxionibus in oculum per latitudinem capitis vrere & frontem duabus tribúſue lineis præſcindere, quò omnes venæ & arteriæ amputarentur, & inter fiſſuras linamenta ponebant ne coiungerentur; quam curandi rationem periſchytiſmon & hypoſpatyſmon, ſicut Paulus lib. 6. c. 6. teſtatur, appellabant. Etenim, inquit ipſe, cicatrice craſſiuſcula cute denſata, & occluſis vaſorum oribus, priorē pituitæ impetum in oculos deferri prohibebant; quod & Celſus loco citato affirmauit. Hanc interceptionem beneficio cicatricis fieri declarat quoque Hippocrates lib. de genitura cap. 3. Nam cum alibi dixiſſet Scythas ad

auertendum humorũ in articulos defluxum ſibi venas poſt aures vrere atq; ex eo ſteriles euadere; hic ſterilitatis illius cauſas aſſignat, & inquit, id fieri, quia impeditur deſcenſus ſeminalis materiæ quæ per eas venas ex capite fertur. Ipſe enim tranſitus, inquit, cicatrice ſectione inducta conſolidatus eſt. Huiuſmodi quoque cicatricis ope Celſus lib. 6. c. 18. docet hæmorrhoidum fluxum curari. Aduſtis enim, inquit, capitibus hæmorrhoidum fit cicatrix quæ ſanguinem fundi prohibet. Simili interceptione etiam curatur hernia inguinalis, & hanc curam plurimi ex antiquis tradidere. Alyabbas 9. pr. c. 3, Hernia, inquit, inteſtinalis quæ ex dilatatione fit, meatus inguinum, & humiditate, ſi maior eſt, quàm vt per medicamenta curari poſſit, igne tantum curari poterit. Cauterium namque, inquit, humiditatem deſiccat, reducitq; vltima meatuum & ad inuicem arctat. Damaſcenus lib. 7. c. 16. docet etiam cauterizare inguem læſum repoſitis primò inteſtinis, donec, inquit, complicetur amplitudo foraminis per vlcus quod fit à cauterio; per vlcus autem intelligit cicatricem vlcus ſequentem. Eandẽ vſtionem docet Aegineta lib. 6. c. 66, Albuc. lib. 1. c. 46, alijque; ideóque vſque ad pectinis os vrendum eſſe inquit, alioqui operationem nõ valituram. Alius quoq; modus interceptionis beneficio cicatricis faciendæ apparet in Hippocrate lib. de loc. in ho-

in homine c. 33. in quo non vruntur venæ, ita vt cicatrix eas diuidat, sed vt tantm intra & supra venas sic inducatur, vt saltem desuper eas stringat, faciatque vt non ita laxæ sint aut amplæ, vt non ita liberè & confertim humores per eas delabi possint. Ibi enim in humorum retrò in carnem iuxta vertebras è capite ad hæpar defluxu, à quo hydrops contingit, iubet ad auertendum & impediendum fluxum intra venas(ni fallor iugulares)tres crustas vrere,& statim claudere,& tenuissimas inducere cicatrices, vt,inquit,fluxus obturetur: quo facto, vt materia impedita ex parte illac transire magis obturetur,& tamen locum habeat per quem euacuetur, iubet errhina exhibere & occiput retrò refrigerare, synciput verò calefacere: vt nempe auertatur ad partem anteriorem & per nares euacuetur, syncipitis calore ad nares trahente. Quod enim tres crustas inuri iubeat, quòd intra venas, quòd eas statim claudi velit, quòd illac fluxum velit impediri, auerti verò ad nares,quòd moneat inducendas cicatrices & quidem tenuissimas, indicium est quòd non alio fine vstione vtatur, quàm vt illac decurrentes arteriæ, beneficio superinductarum cicatricum coarctentur,vt non ita liberum concedant cursum humoribus per eas fluere solitis. Ideo enim tenuissimas induci vult cicatrices,quia eæ maximè stringunt,& multas,vt paruę & multæ

multam

multam cutis latitudinem exiguis circulis comprehendant. Quod si alio fine vstionem ibi moliretur, vel esset ad vrendas venas, & hoc non; quia intra venas vri iubet: vel ad fontanellam; & hoc multò minus; quia vult crustas statim claudi, & vult fluxum obturari, tunc autem non obturaretur; & humores alio auerti & occiput refrigerari, quod minimè esset faciendum, si illic ad euacuationem aut vlcus vstionem præcepisset.

CAP. XII. *De viribus cauterij ratione vlceris, & de fontanellis.*

REstat videre quæ commoda cauterium præstet ratione vlceris quod excitat, nam ea præcipua sunt, & multo alijs maiora. Cauterium in quantum vlcus facit, prodest ratione euacuationis, estque remedij genus euacuans. Euacuat autem per modum sordium & saniei, & sanies illa quæ continuò ad vlcus fluit, sunt illi humores quos euacuare intendimus, qui ad vlcus fluentes à natura concoquuntur & vertūtur in saniem. Hoc ex eo patet, quòd, cum prope locū aliquem in quo humoris copia abundat, vlcus aliquod sponte factum est, totus humor ad ipsum fluit & per ipsum expurgatur. Hinc est quod in corporibus cacochymis & partibus debilibus ac humorum receptioni idoneis vlcera fiant sordida & cura tu dif-

tu difficilia, quatenus tota materia eò continuò allabens efficit, vt vlcus nequeat claudi, propter quod neceſſum eſt in eorum curatione primò cacochymiam purgantibus medicamentis auferre. Quocirca prudentes medici iſtiuſmodi naturæ motu conſyderato didicerunt etiam arte vlcera facere, vt per ea ſic humores in profundo latentes euacuarentur. Quia verò nulla eſt commodior ratio ea infligẽdi quàm per cauterium, eò quòd & cruſtâ lapsâ cauum ſtatim ac ſordidum vlcus appareat, & quòd propter debilitatem parti à cauterio inductam, magis ad illud humores fluant, quàm ſi alio modo paratum eſſet; hinc eſt quod cauterijs ad eiuſmodi vlcera paranda præcipuè vtantur. Vlcera ergo in eum vſum facta lato nomine fontanellæ appellantur, omni fontanellarum generi, fonticulo, ſetoni, ac veſicatorio communi. Quapropter nos diſtinctionem facimus inter fonticulum & fontanellam, quòd fontanella ſit nomen generale omnibus talibus vlceribus à combuſtione factis conueniens & genus, fonticulus verò ſit ſpecies ipſius. Fontanellam ſic definio, vlcus quoddam præſtans vicem emiſſarij & euacuatorij cuiuſdam quaſiq́ue canalis factum opera Chyrurgi à re comburente, primò & per ſe ad euacuationem tum humorum, tum etiam vaporum, per accidens verò ad alterationem etiam & alios vſus conferens. Huius ergo vſus in generali

nerali est ad humorum, præcipuè frigidorum, euacuationem, ad reuellendum, ad intercipiendum, deriuandum, ad fluxiones humorum in partes, quæ fieri non debent, sistendas, ad eas quæ fieri debent, cum suppressæ sunt, eliciendas: ad dolores acutos euacuata materia dolorem faciente mitigandos & sedandos: denique ad diuturnos omnes morbos à materiæ præsentia causatos curandos. Quod vt fiat, particulatim infrà docebimus.

CAP. XIII. *An fontanellæ antiquis notæ.*

VStionis præsidium antiquum esse, & ad multifarios vsus à veteribus vsurpatũ, ex eis quæ hactenus dicta sunt, facile est cognoscere. An verò ipsi habuerint scientiam ea vtendi ad vlcus & fontanellam, quæ longo tempore aperta remanẽs prauos è corpore euacuaret humores, multi ambigũt & negant. Mihi antiquorum scripta perlegenti dubium non est, quin hic auxilij modus ipsis quoque cognitus & vsurpatus fuerit. Hippocrates & Galenus, etsi nusquam, quod sciam, apertè scribant sese vstionibus vti ad faciendum vlcus aut paulatinam humorum euacuationem, neque, quod alij faciunt, post iiunctas vstiones subiungant eas diu apertas esse relinquendas; non est tamen verisimile quòd hunc vsum ignorârint, qui alijs, qui

qui non multum post imò ante illos fuerunt, cognitus fuit. Dioscorides, Archigenes, Asclepiades, Antillus, Rufus, Posidonius eum non ignorârunt, qui Galeno tamẽ fuerunt antiquiores, & quorum ipse scripta legit & excerpsit. Adde quod Hippocrates varijs in locis vstiones præcepit, quæ intelligi nequeunt alio finè præscriptæ, quàm ad humorũ per eas sensilem euacuationem obtinendam, quod tantùm ratione vlceris fieri certum est. Nam si non eo fine præscriptæ esse dicantur, inutiles imò & noxiæ aliquando esse meritò videbuntur. Exempla sunt in libro de locis in homine, de internis affectionibus, in libris de morbis, quorum loca tædiosum esset recensere. Etenim in suppuratis & hydropicis, præterquàm quòd varijs in locis præscribat vstionem & sectionem penetrantem, vt confertim totum pus & aqua per eam tanquam epistomium exhauriatur, quod vnico vulnere perficitur, sicut 3. de morb. c. 27. & 2. c. 51. docuit; etiã præscribit alibi vstiones pluribus crustis dorso & pectori inducẽdas, quas superficiarias esse oportet, & ad nullũ alium finem dirigi, quàm ad paulatinam puris per eas iam in vlcus cõmutatas & tanquam fontanellas longo tempore apertas permanentes, euacuationem. Etenim & alij multi qui Hippocratem sunt imitati ex antiquis, non alio quoque fine similes in eisdem affectibus vstiones fieri docuerunt. Docet id Al-

id Albucasis lib. 1. c. 32, qui, postquàm pro hydrope plurima cauteria super ventrem posuit, addit rationem, vt, inquit, emittat pus longiore tempore. & paulò post, vt, inquit, resudet aliquid aquæ: Et Cælius Aurelianus dicit quòd antiqui solebant hydropicos vrere, & quod etiam solebant vlcera diu aperta tenere, vt sanies efflueret, & quod ad hoc etiam acribus medicamentis superpositis vtebantur. Sic & Ægineta lib. 6. c. 44, & Aetius serm. 4. tetrab. 2. sect. 57, in empyicis, non aliter quàm Hippocrates, multas crustas super dorsum & pectus inusserunt; sed non alio fine, quàm vt per eas in vlcus conuersas longo tempore pus euacuaretur: quod clarissimè exprimit Ægineta alio loco, nempe lib. 6. c. 48. cum in prorsus simili malo, nempe suppuratione hepatis, apposito ventri setone, rationem vstionis assignat, vt nimirum pus inde excernatur. Multò clarius dicit Cælius Aurelianus lib. 3. c. 4. quòd antiqui solebant concertare de vstione hepatis facienda, & vlcera diu aperta tenere vt materia expurgaretur. Quòd si non illo fine in suppurationibus tam multæ crustæ inurerentur, nulla esset alia ratio qua prodessent, sed potius maximè nocerent, puris acrimoniam & partis calorem & febrem suo calore adaugendo. Porrò etiam in hæmoptoicis, antequam & cum iam pus expuere inceperunt, multas crustas pectori & dorso

dorso circum infligi præcepit Hippocrates; quo fine, nisi vt genitis vlceribus, quod genitum est puris aut generandum, illac paulatim euacuetur? Ibidem in tumoribus hepatis & splenis multas crustas iubet abdomini inurere: equidem scio quòd ad exiccandum, calefaciendum, confortandum & discutiendum, sed forte etiam ad euacuandum; vlceribus diu permanẽtibus & fontanellæ vicem gerentibus. Etenim & Auic. li. 3. fen. 16. tr. 1. c. 7. etiam pro tumore splenis cauteria multa inurit, sed subiungit, vt cauteria diu aperta teneantur, id est, vt ex ijs fonticuli generentur. Vlterius lib. de inter. aff. c. 14. in tabe medullæ, factæ ab obstructione venarum ad eam tendentium, aut ductus illius, qui est à cerebro in hepar: & c. 19. in defluxu catharri per venas è capite in malleolum & coxam, à pituita & bile, multas vstiones facit, quæ nisi ad euacuationem, reuulsionem, interceptionem, deriuationem humorum præstandam referantur, non videtur quomodo non temerè ac frustra adhibitæ dici mereantur. Iam verò fontanellas alijs medicis cognitas fuisse ex eorum scriptis liquidò constat. Inductione id licet comprobare Græcorum, Arabum, Latinorum. Nam præterquàm quod in multis morbis, epilepsiâ, maniâ, capitis doloribus, qui oriuntur consensu partiũ inferiorũ, partibus inferioribus; ac, vt inquiunt, parti mandanti, & in affectibus

par-

partium inferiorum à capitis catharro causatis, vertici & occipiti cauteria & phœnigmos inducunt, quò reuulsionem (quæ non nisi vlceris, quod fontanellæ vicem obtinet & euacuationis beneficio præstatur) moliantur, etiam singuli ferè expressis verbis vlcerum arte factorum & fontanellarum vtilitatem sibi cognitam fuisse declarant. Celsus lib. 7. c. 7. cum docuisset multos modos vstionis verticis, venarum temporum, docet ea diu aperta tenere, curareque vt vlcus non impleatur; quia, inquit, ficcescere non debet. Idem lib. 3. c. 24. pro epilepsia occiput inurit, vt, inquit, inde pernitiosus humor euadat, & lib. 4. c. 2. in dolore capitis & c. 22. docet ea loca cauterio exulcerare, verbo exulcerandi fontanellæ insinuans vtilitatem. Paulus Ægineta lib. 6. c. 2. in defluxu humo-
» rum ad oculos & thoracem, Caput, inquit, su-
» pernè vrunt & crusta lapsa os attenuant, vt, in-
» quit, seruato diu vlcere humores illinc perspi-
» ratu dissipentur & euacuentur. Idem sic fieri dicit c. 49. pro defluxione stomachi, & lib. 5. c. 3. pro ictibus venenatis, & lib. 3. pluribus in locis pro articularium affectuum curatione. Dioscorides lib. 6. c. 38, & 3. pro ictibus venenatis iubet cauteria diu aperta teneri, vt ad multum, inquit, tempus sordes prorogẽtur, & materia virulenta effluat. Inter Arabes hæc eadem docentes videre licet Auicennam lib. 3. fen. 1. tr. 1. c.

tr. 1. c. 7, & fen. 16. tr. 1. c. 7. & fen. 22. tr. 2. c. 7, Razem lib. de aff. iunct. c. 25, & lib. diuis. c. 103, & lib. rei med. 6. c. 2, & 9. c. 11, Damascenum lib. 6. c. 26, Alyabb. 9. pract. c. 81. & 77, Isaac 9. pract. c. 76. Sed audiamus antiquissimos medicos hunc vsum sciuisse. Cęlius Aurel. lib. 2. diutur. c. 14. scribit quòd Themison iuberet pthysicis vlcera exterius inuri quæ diu aperta manerēt, vt materia exterius euocaretur. Aetius tetrab. 3. ser. 4. c. 3. refert ex Archigene & Antyllo modos vrendi ischiadicos & addit, quòd post crustam debeant suppurantia apponi, & locus diu apertus reseruari. Idem ex sententia Rufi & Possidonij vstionem in morsu canis rabidi præscribens, docet post vstionem ad 40. aut 60. dies vulnus à cicatrice arcere: & alibi ex Archigenis sententia curās cephalęam, phœnigmo superposito, iubet vt vlcuscula diutius promanent. Denique id & alijs medicis & antiquis factitatum fuisse, vt post vstionem vlcera permanerent, per quæ diutissimè humores euacuarentur, Aetius & Cælius Aurelianus pluribus in locis testantur.

CAP. XIIII. *De effectibus fontanellarum & an alterent.*

CIrca effectus primò quæritur, quale remedij genus sit fontanella, an euacuantis, an alterantis. Dico autem quòd per

se est genus remedij euacuantis : eatenus enim expetitur & prodest fontanella, quatenus humores noxij per ipsam fluunt & euacuantur; propter quod diximus supra fontanellam esse emissarium siue euacuatorium quoddam. Per accidens vero est etiam genus remedij alterantis: nam quatenus euacuat materiam illam quæ intemperiei causa est, eatenus alterat, & est causa contrariæ intemperiei. Sed notandum primò, quod nomen fontanellæ dupliciter sumi potest; vel vt significet ipsam vstionem vnà cum ipso vlcere quod post eam sequitur; vel, vt nudum ipsum vlcus per se & abstractum ab illa vstione præuia per cauterium facta. Si sumitur simul cum illa vstione ab igne facta vel potentiali vel actuali, non est dubium quin propriè & per se alteret; ignis enim ille qui vstionem facit, per se habet vim alterandi, nempe calefaciendi & siccandi, vt dictum est: verùm illa alteratio breuis est & non diutius durat, quàm id quod vrit corpori adhæret, crusta autem facta & medicamento ablato alteratio cessat, nec vlcus quod postea remanet, quod propriè fontanella est, vllam amplius per se habet alterandi facultatem. Sin præcisè pro solo vlcere sumatur fontanella, sine præuia illa dispositione qua fit, per se nullam habet vim alterãdi. Nam cum sic sumitur, nihil est aliud quàm quædam continui solutio, ea autem nullam habet actiuitatem.

tatem. Verum per accidens etiam alterat, auferendo cauſam per ſe contrariæ intemperiei, nempe humorem. Qualem vero per accidens ſic alterandi vim habeat, cognoſcere oportet ex modo & ratione euacuationis. Nam ſi tantum frigidum & humidum humorem euacuare poſſet, neceſſariò ſolum ad calorem & ſiccitatem alterãdi poteſtatem haberet; ſi verò etiam calidum & ſiccum ac bilioſum, vtique & refrigerare poſſet & humectare. Nam cum alteratio eius ſit propter euacuationem, qualis erit euacuatio, talis quoque erit & alteratio. Infrà autem dicetur omnem humorem per fontanellam euacuari poſſe, ex quo ſequitur eam quoque ad omnem qualitatem alterare: ſed hæc actio priuatiua tantum eſt, non poſitiua. Cùm autem magis ſæpe & principaliter ad frigidi & pituitoſi humoris euacuationem vſurpetur, ideò quoque magis ad calefaciendum quàm refrigerandum valet. Sed & alia diſtinctione opus eſt. Nam alia eſt pars ex qua fontanella euacuat, alia per quam; vt cum ad capitis repletionem fontanella vtimur, caput eſt pars ex qua, & brachium eſt pars per quam; ſæpe enim hæ non coincidunt. Per quam, eſt illa in qua cauterium eſt, à parte verò ex qua ſæpe eſt remotum. Etſi autem partem ex qua varia intemperie alteret, prout alium atque alium ex ea euacuat humorem, partem tamen per quam & in qua proximè

& communiter refrigerat & humectat; vtrumque, pituitosos humores ad eam ex toto alliciendo; illud verò etiam, spiritus vitales & cum eo calorem faciendo exhalare.

CAP. XV. *Quid euacuent fontanellæ.*

PRæcipuè ergo ad humorum euacuationem fontanellis vtimur, & ideo communiter in omnibus affectibus humoralibus medici tantum ijs vtuntur. Quidnam autem fontanellæ euacuent est quærendum. Pro quo notandum est tres in nobis esse concoctiones, adeoque triplices humiditates & triplicia excrementa. Prima fit in stomacho, & ibi fit chylus, & excrementum eius est stercus: secunda fit in hepate, & ibi generatur sanguis, & eius excrementa sunt humores excrementitij, qui inde in sua secernuntur receptacula & vrina: tertia fit in singulis partibus, & eius humores sunt, qui vocantur secundarij, & excrementa sunt ichor & pituita, & aliæ quædã sordes quæ insensibiliter discutiuntur. Dico itaque quòd non euacuent chylum aut stercus, quia illa intus manent & per interiora feruntur & cum citò & in magna quantitate generentur, non euacuantur remedio lentè ac parum euacuante. Ideò in alui suppressione non possunt eam mouere, nec in intestinorum læuitate eam supprimunt reuellendo excrementa, nisi forte per accidens,

quando

quando eæ ab humorum affluxu cauſantur. Secundæ quoque concoctionis excrementa non ita euacuant. Bilis enim & melancholia quæ in ſua receptacula feruntur, in iſque includuntur, intuſque manẽt nec veniunt ad cutim, non ſic commodè poſſunt per eas expurgari: dico commodè, quia etiam ſuperpoſitis abdomini cauterijs ex parte purgantur. Vrinam etiam non euacuant ob eandẽ cauſam, & quia confertim, & quia nimis multa generatur: hinc in affectibus veſicæ, ſtranguria, dyſuria, diabete, auxilium nullum præſtant, niſi forte per accidens, ſicut iam de fęcibus diximus. Dico autem quod humores qui in venis ſunt de ſecunda concoctione, quatenus ex venis magnis perueniunt ad capillares & inde in habitum corporis & cutem, ac præcipuè excrementa tertiæ concoctionis quæ generantur in ſingulis partibus, poſſunt ſatis commodè per cauteria euacuari, præcipuè autem hęc, eò quòd in habitu ſint, & cutis ſit eorum locus expurgationis & lentè generentur; cauterium autem præſidium eſt quod lentè & paulatinè euacuat & ideò ſuperfluitatibus quæ lentè generantur maximè eſt deſtinatum. Verùm tamen dico, quòd nullus ſit humor qui ex natura ſua non ſit aptus per fontanellam euacuari, ſi eſſet in loco ex quo euacuari poſſet. Vrina, ſtercus, chylus, ſemen, quia non veniunt ad cutem, nõ euacuantur per fontanel-

las,reliqui vero omnes euacuantur;maximè qui ſunt in habitu; hinc qui in venis,indè qui in viſceribus aut proprijs receptaculis. Dubitari autem poteſt, an fontanellæ euacuent ſemen; videtur autem quod ſic: primò,quia experientia docet & multi medici teſtantur, quod plurimi ex longa talium vlcerum geſtatione fiant ſteriles; ſecundò,quia Hippocrates lib.de aer.aq.& loc. dicit quòd Schytæ fiãt ſteriles ex eo,quòd ad euitandam podagram ſoleant vrere arterias poſt aures. Sed reſpondeo ad primum,id non fieri ea de cauſa;ad ſecundum, velle Hippocratem id fieri, non quòd materia ſeminalis per vlcus euacuetur,ſed quòd propter inductam cicatricem & obſtructam viam ex capite in teſtes delabi non poſſit, ſicut ipſe in lib. de genitura teſtatur. Quapropter dico ſemen quod actu tale eſt, non poſſe fontanellis euacuari. Reliquos autem humores & quidnam poſſit per eas euacuari, inductione probabo, primò de excrementis facto ſermone. Etenim ſerum & aquæ ſic educitur. Nam in hydrope (præter paracenteſim de qua hic non loquor) medici antiqui & moderni multa circa vmbilicum & vicinas partes cauteria ponunt,ad aquoſi humoris exitum moliendum. Albucaſis lib. 1. c. 31. 32. & 25. ſuper ventrem, crura, pedes, in aſcite cauteria vrens,iubet ea aperta tenere, vt, inquit, exudet aliquid aquæ: & quidem veſicatorijs aquã extrahi

trahi ipsa ampulla aqua repleta manifestè testatur; ideòque in tumidis aqua cruribus solemus vesicatoria ponere in hunc finem. Pus quoque per eas educitur. Testes sunt antiqui & moderni qui in empyemate pulmonis, hepatis, splenis, plurima super thoracem & ventrem cauteria inurere, quæ diu aperta permanerent, docuerunt, ad paulatinam puris per ea eductionem. De vaporibus quoque non est dubitandum. Razes lib. de caut. dicit in commissura virtutis phantasticæ fieri cauterium, & teneri apertum, pro melancholia & epilepsia, à flatu ac vapore. Pro vertigine ad euacuandos feruidos vapores in caput ascendentes medici ibidem cauterium inurunt, in quem vsum, inquit Ægineta lib. 6. c. 2. & Alyab. 9. pract. c. 69, etiam exfoliant & adurunt cranium, vt tenuius fiat, ac melius humores perspiratu euaporent, &, vt sunt verba Albucasis lib. 1. c. 48, vt alleuietur expiratio grossorum vaporum ex eo. Idem testatur Auic. lib. 3. fen. 1. tr. 5. c. 8. Nam tractans de cura epilepsiæ factæ ab aura venenata ascendente à pollice pedis, quidam, inquit, cauterizant super pollice pedis, & quidam, inquit, super digitos pedis, & vapor illius partis retentus est, & sanati sunt. De humoribus porrò naturalibus dubium esse potest, an eos omnes fontanellę euacuent. Dico itaque quod vlcus est indifferens ad omnes, & quod ex natura vlceris aut humo-

ris per se non sit ratio, cur non possint omnes per vlcus euacuari, si sint in loco conueniente. Facto enim in aliqua re foramine, non est ratio cur vnus humor magis quàm alius effluat, nisi forte humor crassior sit, quàm vt per foraminis angustiam transire possit, fluunt autem ad vlcus omnes humores, quare & per ipsum possunt euacuari: illud manifestum est ex eo, quod ideò vlcera plerunque praua fiunt & maligna, quod modò salsi, acres, bilioſi & melancholici humores ad ea confluant, & plerunque in corporibus cacochymis vlcera fiunt cacoethe & non prius curabilia quàm cacochymia tollatur. Neque dici potest quod melancholia crassior sit quàm vt queat per vlcus exire, quia & pituita per ipsum bene expurgatur, & sanies, quæ exinde promanat, sæpissimè lenta crassa ac summè tenax est, dictumque suprà est, quòd in splenis efflorescentijs vlcera quamplurima antiquis & modò etiam modernis seto, inuri solent, ad cõtenti in eo humoris, nempe melancholici, diminutionem. Sanguinem verò etiam per fontanellas euacuari certum est. Nam quæ in naturalibus vlceribus sanies est, nihil est aliud, quàm sanguis optimus, qui in habitum è venis prolapsus, in vlcere in pus ac saniem transmutatur. Hoc ex eo probatur, quòd, qui plurima vlcera habent, minus crescant: ideò enim adolescentibus & pueris minus cõueniunt fonticuli, quod

ipsorum

ipsorum impediãt incrementũ. Imo non alia ratione sterilitatem adferre, vt multis creditum est, videntur, quàm quòd melior sanguis qui in seminis materiam facessere deberet, eorum beneficio in saniem vlcerosam conuertatur. Sed & sensus id docere videtur, cum sepissimè vlcera illa pus sanguinolentum sanguinemque ipsum fundentia videamus. Iam verò bilem nihil impedit etiam per fontanellas atque vlcera euacuari. Si enim potest pituita crassa, viscida, frigida, ad motum inepta; multo certe magis tenuis mobilisque humor. Sed animaduersione dignum est, non hoc præcipuè dubitari, an isti omnes humores sint possibiles per fontanellam euacuari, hoc enim manifestum satis est; sed maximè, an commodè & vtiliter: nempe an, ad eorum omnium cum abundant ablationem, debeat medicus fontanella tanquam singulari & proprio ac ad id destinato remedio vti; an verò ipsum id commodè non præstet, sed alia sint quæ semper, citius, melius & cum minore molestia sint vsurpanda. Si enim hoc esset, tunc meritò dici posset fontanellam ijs non conuenire, nec talium euacuationi proprium atque destinatum esse remedium. Quapropter notandum est, primò quòd fontanella sit remedij genus parum simul euacuans, vt patet experientia: secundò, quod etiam lentè; quia enim parum simul, ideo lentè euacuat, vt ex eo patet,

quod

quod ideò debeamus cauteria ad multos dies menſes & annos aperta tenere : tertiò , quòd etiam valde ſerò operetur, multi enim dies ſunt antequam fontanella ſit in ſuo eſſe & actu euacuationis: quartò, quia eſt remedium inductum per vſtionem adeòque calorem & ſiccitatem ſecum adducens : quintò , quia eſt vlcus ; vlcus autem eſt talis affectus, qui affluentibus acribus ſalſisque & putridis humoribus facile malignitatem acquirit. His poſitis ſequitur , quòd nec atra bilis aduſta nec bilis nec ſanguis commodè per fontanellas queant euacuari. Confirmatur: primò, quia cum ſint calidiſſimi humores, calidiſſimóſque & acutiſſimos inferant affectus, eorum morbi nõ habent diuturnitatem, ſed vel cito curantur, vel interimunt, ſoluunturq; non lenta ſolutione ſed impetu & criſi. Hinc fontanella quæ euacuat lentè, non poteſt eis prodeſſe: nam antequam eſſet in actu operationis, morbus vel interemiſſet, vel eſſet ſolutus . Secundò, quia, cum bilis ſit ſubtilis & tenuis, optimè & facilè per inſenſilem halitum & ſudores euacuatur ; ſanguis verò per hyrudines, cucurbitulas , ſcarificationes & venas vbique per totum corpus obuias . Denique vbi ſanguinis detractione eſt opus , vt in ſanguineis morbis , plerumque ſubita & multa facienda venit euacuatio; quod ex eo prouenit, quòd, quãdo ſanguis in aliquam partem fertur , cito fluit & multitudine

dine peccat, ob eius in corpore copiam & ductuum per quos fertur, laxitatem, id autem fontanella effici minimè potest. Tertiò, quia, cum illi sint humores calidi, quique morbum faciendo, febrim etiam plerumque vnà inuehunt, cauterij calore plurimum exacerbarentur & augerētur. Quartò, quia bilis atra & cholera & salsa pituita allabendo ad vlcus molestiam, intemperiem, & vlceris inducerēt prauitatem. Quintò, quia melancholia cum sit terrestris minimeque fluxilis, minus aptè potest per habitum euacuari, callósque inducit, & vlcera siccat. Interim tamen, etsi his humoribus euacuandis non ita conueniat, neque ita ijs propriè sit destinata, hoc tamē est per accidens, ideóque neque vniuersale: per se enim & ex natura sua potest omnes, vti ante dictum est, euacuare. Ideò interdum quoque & sanguineis & biliosis affectibus conuenit; & si morbus aliquis esset qui à bile lentè affluēte vel congesta, vel etiam sanguine, aut melancholia eodem modo originem haberet, æquè ei vt morbis à pituita factis prodesse posset; maximè si in habitu corporis esset, vel in loco vnde humores ad eam facilè peruenirent: sic & in ictero & febribus, vertigine, à bile genitis, & gutta rosacea, alijsque affectibus eiusmodi qui à sanguine aut bile fiunt, ratione suæ euacuationis non rarò vsurpatur. Reliquum itaque est, vt pituita optimè per eam euacuetur

idque

idque propter varias causas. Primò, quia, cum sit frigida & crassa, non potest ita commodè per poros cutis, per insensilem halitum aut sudores excludi, sicut bilis, sed debet cutis aperiri, vt sic per crassas carnis porositates & laxiorem cutis viam tanquam ianuam transeat. Secundò, quia non habet vbiuis sua emissaria à natura facta, sicut sanguis suas venas, quibus apertis potest vndique effluere. Tertiò, quia, cum sit frigida & humida, nullam acrimoniam, salsedinem aut asperitatem habet, neque inducit inflammationem aut vllam in vlcera malignitatem. Quartò, quia ipsa à cauterio non exasperatur, sed potius oppugnatur, & ad tẽperiem redigitur. Quintò, quia ipsa solet lentos ac diuturnos morbos facere, & qui solutione paulatina non crisi soluuntur, & quia plus quàm alij humores lenta fluxione & continua congestione peccat, contra quam nullum aliud quàm cauterium auxilij genus inuenitur. Quocirca medici plerumque in frigidis morbis & à pituita ortis, in omnibus frigidis & pituitosis capitis, thoracis, stomachi, hepatis, matricis affectibus; in epilepsia, apoplexia, hemicrania, cephalæa, catharro, asthmate, paralysi, arthritide, in omnibus lentis & frigidis fluxionibus fontanellis vtuntur; adeòque propriè sunt remedium indicatum ab humore, qui sensim & assiduè generatur, qui consuetum exitum non habens,

bens, intra corpus detinetur; qui, vt sensim generatur, ita per hæc emissaria extra corpus debet expurgari.

CAP. XVI. *An fontanellæ reuellant, deriuent, intercipiant & euacuent à parte.*

CVM euacuationes aliæ sint reuulsoriæ, aliæ interceptoriæ, aliæ deriuatoriæ, aliæ euacuatoriæ à parte, videndum est, an hæ omnes differentiæ in fontanellis inueniantur. Harũ indicatio sumitur à loco humorum euacuandorum. Humores vel quiescunt in parte, vel sunt in motu & fluunt: qui quiescunt, neque reuelli debent, neque deriuari, neque intercipi, sed ex parte in qua sunt euacuari: qui fluunt ijs omnibus auxilijs egẽt. Dictum autem supra est, fontanellam esse genus remedij euacuantis; quare vt ex aliqua parte euacuet necessum est: à qua autem euacuat, eius est euacuatiua: hæc ergo differentia ei conuenit, vt à parte euacuandi potestatem habeat. Denique cùm sit remedium euacuans parum, non potest nisi ex propinquo loco euacuare; quæ autem talia sunt, non nisi ad euacuandum à parte sunt destinata, eò quòd propinquitas ad hoc sit maximè requisita. Verùm humor qui in parte quiescit, vel ibi genitus est, vel eò fluxit, vtrumque autem optimè euacuat: qui in parte lentè congeritur, nec aliter per apertas vias educi potest,

præsi-

præsidio hoc lento optimè educitur; qui autem eò fluxit, non minus commodè. Qui enim per fluxionem in parte est, debet euacuari sine vlla tractione: hoc autem facit fontanella, quia ob paucitatem euacuationis & tarditatem non trahit, vt plurima alia à parte euacuantia faciunt. Optimè ergo conuenit euacuationi illorum humorum qui lenta fluxione in partem inciderunt. Ad euacuandam à parte cauterijs vsi sunt antiqui, cum ad epilepsiam, cephalęam, maniam, paralysim, apoplexiam, super futura coronali, in occipitio & circa caput cauteria posuerũt; cum ad phtysim, empyema, cordis palpitationem, super thoracem; cum ad aquas hydropicorum, ad abscessus hepatis, splenis tumores, vteri ac vesicæ affectus, super abdomen, sumen, circa vmbilicum; ad arthritidem, super coxam, genu, pedem ea posuerunt, diu aperta relinquentes: quod Auicenna, Razes, Aëtius, Aegineta, Celsus, Albucasis fecerunt. Cauteria quoque habent vim intercipiendi. Pręstant autem id duobus modis, vel ratione cicatricis, vel ratione fontanellæ. Ratione cicatricis, iterum dupliciter; primò in quantum comburendo diuidunt & discontinuant ductus per quos materia solet fluere, vt nequeat amplius transmeare, ob productam in medio eius carnem & cicatricem, quæ vocari potest interceptio diuisiua. Sic Auic. lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. pro dolore capitis

capitis per consensum ventriculi, ne materia deferatur in caput, vrit arterias post aures: & de huiusmodi medio cicatricis interceptionibus satis superque dictum est supra cap. 11. Secundò, in quantum cicatrice desuper & in medio venarum inducta ipsæ constringuntur, vt nequeant ita liberum transitum humoribus decurrentibus concedere; cuius exemplum ibidem quoque ex Hippocrate in lib. de loc. in hom. c. 33. propositum est, quæ vocari potest interceptio constrictiua. Sed de ijs interceptionibus hic non agimus, sed tantum de ijs quæ à cauterio fiunt, vt est fontanella, & inquantum euacuat, quæ vocari potest interceptio euacuatiua. Hanc interceptionem fontanellas præstare dubium non est. Etenim quodcunque remedium euacuandi vim habet, si apponatur loco intermedio inter terminos fluxionis, vel in tali loco, vnde vis euacuandi possit ad illum locum intermedium peruenire, non dubium est, quin humorem aut vaporem descendentes aut ascendentes, cum ad illum locum intermedium venient, totos vel ex parte euacuabit, & euacuando impediet quominus ad destinatum fluxionis terminum, siue terminum finalem & ad quem, poterunt peruenire; qui quidem modus est euacuatiuè intercipiendi. Hoc fine Raz. lib. de Cauter. dicit sectorium poni in vtraque parte colli

ad ve-

ad venas organicas, quando, inquit, materia per illas partes videtur ab inferioribus ad superiora ascendere, monetque notandum esse, quòd generale sit sic cauterizare in omni loco fontium, per quem humorum fluxus trã fire videntur ad membrum, siue sursum, siue deorsum, ad eorum interceptionem. Præcipuum autem de quo dubitatur est, an cauteria reuellant. Reuulsio debetur humori fluenti, fluens autem humor indicat vt sistatur, sistitur autem per sui retractionem in contrarium; quod ergo reuellit, debet trahere in contrarium, nihilque aliud est reuulsio, quàm humoris, qui in motu est, retractio. Quare, quæ trahere non possunt, non videntur posse reuellere. Nam vt, quod in motu est retrahatur, maiore vi eget ad tractionem quàm habeat ad fluxum: etenim non recurret nisi imprimatur illi vis aliqua ad motum contrarium, imò maior vis in contrarium, quàm antea habebat ad rectum: atqui fontanellæ non trahunt, ergo non reuellunt; probatur antecedens, quia fontanellæ nihil aliud sunt, quàm quoddam vlcus, quædam diuisio ac continuii solutio in cute; talis autem diuisio nullam per se facit tractionem. Itaq; humores non effluunt ex vlcere, quatenus trahuntur ab eo, sed quatenus ipsi sponte sua ad id feruntur, vel à natura eò mittuntur, vel propria prolabuntur grauitate, & cum eò peruenerunt, non inuento à cute obsta-

obstaculo, per carnis poros exeunt. Verum posito quòd euacuandò traherent, quia tamen lentè euacuant, ideò quoque lentè traherent; quæ autem ita trahunt non reuellunt: nam ad reuulsionem opus est quadam tractione violenta & cita, & celerius oportet trahere quàm humor potest fluere, alioqui celeritas motus humoris, superabit tarditatem remedij retrahentis, nec fiet reuulsio. Videmus autem fluxus subitò fieri: nam siue expulsione naturę, siue grauitate propria moti fluant humores, semper celeritatem magnam habent. Sic videmus tumores à catharris vna nocte, apostemata calida, vt anginas, pleuritides, quàm citissimè ingruere. Sed pro solutione distinguendum est. Nam fontanellæ vel sumuntur pro ipso solo vlcere relicto post vstionem & actionem remedij caustici, vel vnà cum illa vstione & alteratione præuia per quam est inductum. Si hoc modo sumantur, tunc dico quod reuellunt per se & propriè: etenim cauteria insignem excitant dolorem & calorẽ, ad quos semper fluxio sequitur; ideò enim oportet repellentibus partes munire, ne ad hæc fluxio consequatur; & cum non muniuntur, sepissimè videmus inflammationes in particula contingere: quæ autem insigniter trahunt, dubium non est quin reuellant, cum nihil aliud sit reuulsio, quàm attractio versus partem ad cuius oppositum humor fluit. Pro-

pterea ad attrahendum extrà, & reuellendum apoſtemata quæ occultantur & redeunt interius, ad venena extrà vocanda, ad humores ex alto trahendos, veſicantibus vtimur. Sin vero conſyderentur, vt ipſa nuda vlcera, & per ſe, tunc dico, quòd, etiamſi non ſic trahant & reuellant vt ante, eò quòd illa actio caloris & doloris deſierit cum vlcus eſt factum; tamen etiam adhuc reuellunt. Quapropter notandum eſt, quòd duplex eſt humor fluens, alius actu fluens, alius potentiâ. Hinc duplex eſt reuulſio, alia propria, quæ debetur humori fluenti actu, alia impropria, & quæ propriè auerſio dicitur; quæ competit humori quieſcenti in parte mandante & fluxuro, antequam fluat: illa fit cum tractione in cõtrarium, & non fit niſi facta quadam impreſſione noua in humorem, propter quam deſiſtat à primo motu & redeat vnde venit: hæc fit ſimplici euacuatione humoris quieſcentis à parte à qua eſſet fluxurus, antequam fluat, neq; opus habet tractione vlla, quia nulla debet ibi fieri reuulſio, quia nullus eſt motus. Dico itaque quod fontanellæ non propriè reuellunt, nec debentur humori actu fluenti, nec poſſunt eum qui in motu eſt retrahere, ſed tantum qui in potentia fluit, actu verò adhuc quieſcit; quæ reuulſio nihil aliud eſt, quàm ſimplex à parte mandante euacuatio. Ratio eſt, quia lentè euacuant & nõ trahunt, & propterea

non

non competunt fluxionibus humorum, quæ confertim fiunt, tales enim debent præsidio confertim trahente in contrarium retrahi; sed tantum impropriè reuellunt & auertũt: & propterea tantum debentur humori qui in parte mandante quiescit, sed breui fluxurus est, vt, antequam fluat, è vicino prius loco euacuetur; & propriè debetur fluxionibus lentis, cò quòd in his parum est quod fluit, nec valde magni momenti, nec indicat subitam & valde necessariam reuulsionem, sed tantum longam & paulatinam multi illius, qui adhuc successiuè fluxurus est, humoris euacuationem & auersionem. Atque huic quidem scopo nullum remedij genus est, quod melius, imò æquè atque fontanellæ satisfaciat. Nihilominus tamen ad maiorem earũ commẽdationem addo insuper, quòd etiam nonnullam propriam reuulsionem & tractionem præstent: sed illa exigua est & nõ impetuosa. Per hanc autem est quòd non tantum auertant humorem fluxurum, euacuando eum à parte mãdante ex quacunque propinquitate, sed insuper ita auertant, vt etiam trahant illum in oppositum & sint causa, vt, qui antea versus vnam partem fluendi consuetudinem habebat, nunc non tantum non fluendi, sed & in contrarium & ad oppositam partem fluendi consuetudinem induat; quod non fit sine noua principij alicuius mouentis per cauterium impres-

sione. Hæc autem actio planè reuulsoriæ est naturæ. Præstat eam fontanella trahendo: si enim non traheret, sed tantum euacuaret à parte mandante, faceret quidem non fluere humorem, sed non faceret eum fluere in contrarium ac desuescere à primo fluxu & assuescere opposito. Propter hanc vim fit, quòd cauteria quæ ad auersionem parti mandanti apponimus, ponimus etiam in distantiori & secundum rectitudinem oppositâ parte, vt in contrarium fluxionem distrahamus. Sic si quis solitus esset perpeti fluxionem in pectus, brachio cauterium apponimus: eò enim breui tempore ita distrahitur materia, vt quæ solebat ante in pectus fluere, tota postea ad brachium ita conuertatur, vt clauso ibi cauterio non iterum ad pectus sed ad brachium sæpissime fluat, ibique dolorem & apostema sit causatura; quæ mutata fluendi consuetudo sine tractione aliqua fieri vllo modo nequit. Sed quomodo ergo ista tractio fit? Respondeo, nõ aliter quàm in reliquis, quæ trahendi potestatem habent. Quomodo enim venæ sectio, quæ tamen validè reuellit, cum non sit nisi solutio quædam vnitatis venæ, trahit? Equidem non aliter, quàm quòd apertâ venâ sanguis sponte effluat, & continuitate totius posterior pars sequatur priorem: etenim illa apertio & vulneratio venę nullum per se motus principium sanguini imprimit, nec est causa per se illius motus,

sed

sed tantũ per accidens, & quæ vocatur auferens prohibens. Sic quoque dolor & calor non per se trahunt, sed per accidens; quatenus natura mittit sanguinem ad partem dolentẽ calentemque; ipsa autem natura est principium motus. Itaque fontanella quatenus est solutio vnitatis particulæ, causa est, vt humor qui ad nutriendam eam affluebat, nequeat retineri, sed cum venit ad circumferentiam vlceris, propter inductam à diuisione illa intemperiem, corrumpatur in saniem & sic exeat; quo exeunte, natura destituta & frustrata fine nutritionis, mittit alium & iterum alium, & motum hũc semel impressum successiuè vicini humores imitantur & consuetudine sequuntur; tanta est consuetudinis in natura potestas. Et hac ratione fontanellæ sunt causa cuiusdam motus & tractionis, non quidem per se, sed per accidens, vt de alijs quoque præsidijs reuellentibus est dictum. In quantum autem sic trahunt, habent aliquam non solum auertendi, & à parte mandante nudè euacuandi, sed etiam verè reuellendi potestatem. Verum tamen illa tam exigua est, vt fluentem humorem non possit retrahere, sed tantum conuenit humori fluenti potentiâ; non vt auertatur nuda euacuatione, sed contraria & reuulsoria. Alioqui nulla fluxio ferè tam lenta est, quæ non sit celerior eiusmodi tractione. Quapropter, vt concludam, dico

fontanellas non verè neque fortiter trahere, adeòque non esse remedium propriè reuellens aut dicatum humori actu fluenti, sed impropriè reuellere, conuenireq; humori potentiâ fluenti & fluxuro. Ac de hac reuulsione intelligendum est cum cauteria reuellere dicuntur. Interim tamen hæc reuulsio non est absimilis propriè dictæ, & easdem fere conditiones habet quas hæc, vt nempe & in opposita parte & ad originem &c. fiat. Hinc ad humorem, quem fluxurum timemus, in eodem loco reuellentia ponimus, in quo ad actu fluẽtem poneremus: nam si actu vapor malignus aut humor ex vtero & intestinis in cerebrum ferretur, clysteribus, cucurbitulis in femore, venæ sectione in pede, reuelleremus; ijsdem verò etiam vteremur eodem in loco, etsi non actu flueret, sed fluxurus tantum timeretur. Propterea auersio veræ reuulsioni simillima est, & sub reuulsione continetur, & cauteria quæ sic auertunt, meritò reuellere dicuntur. Ad eiusmodi reuulsionem faciendam pro catharris in vterum, articulos descendentibus, in capite occipitio brachio; pro humoribus & vaporibus qui ex infernis partibus in caput ascendunt, super partem mandantem & in cruribus cauteria applicantur. Auic. lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33, Raz. lib. 9. rei med. c. 11. pro dolore capitis per consensum ad hunc finem dicunt cauteria parti mandanti

danti esse applicanda, diuque aperta relinquenda. Galenus 3. de loc. aff. c. 5. dicit quod medici puerum illum epilepticum ex aura à pede ascendente, thapsia & sinapi super parte primò affecta positis, curauerunt. Aetius lib. 7. c. 49. in obscuritate oculorum, ad reuulsionem, in occipite dicit inurendum. Galenus 5. meth. pro fluxione in thoracem thapsiam capiti inducit. Oribas. 10. coll. cap. 13, Trall. lib. 1. c. 5, Areteus 1. curat. acut. ca. 2, Paulus lib. 1. c. 4. pro epilepsia, lethargo, ad reuulsionem pedibus cruribusque vesicatoria superposuerunt.

CAP. XVII. *Ex quibus partibus fontanella euacuet.*

POstquam ostensum est fontanellas à parte euacuandi vim habere, reliquum est vt à quanam euacuent disseramus. Manifestum autem primò est, quod, cum fontanella sit vlcus in cute, per se & proximè debeat ex partibus subcutaneis & carnis poris euacuare. Si enim ex vlla parte, certè ex hac: hæc enim alijs illi propinquior est; omnis autem è longinquo transitus est per medium & magis è propinquo, quàm ex longinquo vnumquodque euacuat. Itaque subcutaneum remedium est fontanella, & maximè quæ in habitu corporis sunt, & per carnis poros & musculos feruntur, euacuat & specialiter in cutaneis affe-

ctibus singulare est remedium. Consecutiuè verò etiam educit è venis, quatenus nimirum in habitum corporis & in cutem capillares venę deferuntur: maximè verò id fit cum vlcus profundum est; tunc enim extrema venularum illarum cõsumpsit, vnde hiant, & largius quæ in se continent, effundunt. Porrò mediantibus venis capillaribus etiam educit è venis maioribus, & per has quoque ex partibus interioribus & visceribus: nisi enim è venis cauteria euacuarẽt, frustra pro internarum partium affectibus brachijs aut cruribus adhiberentur. Nam quæ ibi sunt, non alia ratione ex interioribus euacuant, quàm beneficio venarum quæ exinde in brachia ac crura deferuntur. Euacuãt autem ex venis, tum exitu humoris per venarum capillarium orificia, tum proximè ex ipsis venis magnis, occulta per eorũ tunicas exudatione; quæ ratio est, vt, cum cauteria brachijs, cruribus affiguntur, moneant medici vt locus per quem maiores venæ ex quibus euacuare volumus, decursitant, eligatur. Ex partibus porrò interioribus euacuãt duobus modis; primò mediantibus venis, secundò immediatè. In quantum cauteria è venis possunt euacuare, eatenus possunt successione quadam euacuare ex ipsis venis quæ cum venis illis, iuxta quas applicari ipsa possunt, habent communionem. Quia autem quæ exterius per corpus feruntur venæ notabiles, ad

les, ad quas cauteria poni possunt, sunt vel in brachijs vel in cruribus, ideò dico quod illæ partes internæ à quibus illæ venæ crurum & brachiorum deriuantur, possint per ea euacuari; caput ratione venę cephalicæ; cor & thorax, basilicæ; vterus, venarum quæ in cruribus sunt. Aliæ partes, vel quòd remotiores sint, vt hepar, renes, lien, æsophagus, aspera arteria, per fontanellas medio venarum nequeunt expurgari. Secundus modus quo videntur etiam fontanellæ ex internis visceribus posse euacuare, est, cum non in cruribus aut brachijs, sed super ipsas partes cauteria extrinsecus ponuntur: vt pro stomacho, super eius regione; pro renibus, in dorso; pro vtero & vesica, in pectine, &c. qui modus si vtilitatem habet, omnium partium expurgationi potest conuenire, neque erit vlla pars in toto corpore quæ non poterit fontanellarum beneficio euacuari. At si quæ illac euacuatio fit; non fit, vt supra, mediantibus venis. Etenim illæ partes externæ non communicant cum visceribus internis venis vllis, quia nullæ sunt venæ quæ ex stomacho, vesica, splene, hepate ad externum ventris locum feruntur; sed fieri deberet, quatenus materia per tunicas & substantiam viscerum interiorum, per membranas, peritonæum & pleuram penetrat ad locum fontanellæ. Quapropter magna consideratione dignum est, an sic per media illa corpora possit

materia

materia intus in viſceribus peccans fontanellis extrorſum trahi & educi. Videtur autem quod non. Nam quomodo poterunt craſſi & frigidi humores per meninges, per pleurã, per peritonæum, denſas ſolidasque membranas, per veſicæ, ſtomachi, inteſtinorum ſolidam ſubſtantiam, per membranas hepar, lienem, renes veſtientes earumque ſpiſſam carnoſitatem pertranſire? & vt per ea tranſeant, quid per inania ſpatia quæ inter exteriorem ventrem & partes interſtant, eos attollit? Sed in contrarium eſt authoritas antiquorum. Etenim pro earum partium intemperiebus cum materia, ijſdem cauteria inuſſerunt, iubentes diu aperta permanere; non alio fine, quàm ad humorum in ijs contentorum euacuationem. In vertice pro cephalæa ponit Aetius lib. 6. c. 50: pro catharri deſcendentis euacuatione, Albuc. lib. 1. c. 42: ſuper ſtomachum, pro ipſius euacuatione, Ægineta lib. 6. c. 4, Albuc. lib. 1. c. 8, Alyabb. 8. pract. c. 31: ſuper pectore ad puris eductionẽ, Ægineta lib. 6. c. 44, Albuc. lib. 1. c. 3, minimè de paracenteſi, ſed cutaneis vlceribus intelligentes: pro ſplenis tumoribus, quæ diu aperta volunt permanere, euacuationis ſcopum inſinuantes, ponunt Auic. lib. 3. fen. 16. tr. 1. c. 7, Ægineta li. 6 c. 48, Albuc. lib. 1. c. 31, Alyabb. 9. pr. c. 76. Sic quoque pro renibus, pro veſica, pro inteſtinis, humorum præſentia infeſtatis,

ſuper

ſuper eorum regione, hoc fine cauteria inurere Albucaſis docet. At quomodo ergo voluerunt hos humores educi? Modum videtur aſſignare Albuc. lib. 1. c. 31 & 32, cum ſuper ventrem in hydrope cauteria multa ponens & diu aperta permanere iubens, inquit, vt reſudet aliquid aquæ: videtur enim ijs verbis inſinuare, id per modum tranſudationis fieri. Sed difficulter comprehenditur iſta exudatio. Nam ſi poteſt aqua per peritonæum exudare, magis poterit per carnem & cutem; cur ergo non exudat ſine cauterio? & ſi poteſt aqua, cur non penetrat potius flatus in tympanite? Si exudationi locum damus, nihil erit non peruium in toto corpore, nec ſpiritus in neruis, nec humores in venis & arterijs, nec excrementa in ſuis receptaculis poterunt includi, quin exudent. Verum, cum iam aqua tangit peritonæum, forte non difficulter, vt Albucaſis dixit, poterit tunc aqua peritonæo imbui & tranſudare, ac eadem ratione humores per ventriculum, hepar, matricē, &c. ſed cum iam per eas partes exudârint, quomodo per inanitatem ventris attolluntur in cutim, & ei adhærent, vt iterum per peritonæum exudent? At vero Ægineta, non per exudationem ſed per tranſeuaporationem videtur ſignificare hanc euacuationem fieri. Etenim lib. 6. c. 49. iubens in longis ſtomachi defluxionibus ſuper ſtomachum cauterizare, admonet vt cauteria

diu

diu aperta relinquantur, vt maiore, inquit, per ipsa difflatu ventriculus fluxione liberetur: Et cap. 2. in defluxu catharri ad thoracem, caput, inquit, supernè vrunt & os ipsum attenuant, vt seruato diu vlcere humores illinc perspiratu dissipentur, euacuenturque. Verùm ego partim substantiæ humorosæ exudatione, partim ac maximè (propter dictas rationes) eius in vapores & halitum conuersione, sicque expiratione, ex illis euacuationem fieri credo. Atque hæc quidem dubitationem non habet: illa verò, etsi difficilior videatur, minimè tamen impossibilis est; cum & in alijs partibus humores exudatione ex vna in alteram delabi non rarò videamus. Etenim contenti in mẽbro humores tẽpore poros eius omnes penetrãt, & eius substantiam penitus peruadunt, in eamque intimè imbuuntur; vt non mirum sit tandem & pertransire posse, & sic quodammodo transudare; non aliter quàm corium diu in aqua humectatum, ita vt liquorem penitus imbuerit; si prematur, eum vndique reddit & quasi sudorem per poros effundit. Quia tamen, etiam cum exudarunt è membris, difficilius humores in altum attolluntur; ideò, cum super thorace aut ventre fontanellæ ponuntur, iudico expedire, vt super vstum locum emplastra leniter attrahentia sæpius ponantur; quò sic vi quadam ad superficiem & fontanellæ locum extrahantur.

CAP.

CAP. XVIII. *An fontanellæ generalem an particularem euacuandi vim habeant.*

PRęsidiorum, quę euacuando conferunt, alia generalem, alia particularem euacuandi facultatem sortiuntur. Generalis euacuatio est, qua totum corpus aut saltem præcipuæ omnes partes euacuantur: particularis, qua vna aut altera tantum. Dubium itaque videri possit; in vtrorum numerum fontanellæ sint referendæ. Dupliciter autem intelligi potest, præsidia aliqua totum euacuare; vel vt simul & semel, id est, vnico actu & tempore & non mutata parte ex qua ipsa primò euacuant; vel vt pluribus actibus, ac tempore situque eorum variato. Vnica venæ sectio, vna purgatio, vnus sudor ac balneum totum corpus, quãtum ex natura sua ijs possibile est, euacuant, vna continuatâ operatione: at emplastra discutientia, frictio, scarificatio, hyrudines, fomenta, cucurbitulæ non item; cum sint propriè particulares euacuationes. Attamen quia nulli parti, sicut aliæ quædam, alligatæ sunt, aut proprię sed omnibus cõmunes, quatenus singulas quibus immediatè adhibẽtur seorsim possunt euacuare, eatenus omnes & quodammodo totum atque vniuersaliter euacuare. dici non immeritò possunt; etiamsi earum generalitas in diuersis solum numero actibus & mutabilitate situs

earum

earum consistat. Etenim scarificatio, fomentum discussio, &c. etsi nõ euacuent, nisi illam partẽ cui superponuntur; tamen inquantum possunt diuersis partibus apponi, modò vni, modò alteri, & cũ vni apponuntur, illam; dum alteri, alterã euacuant, & sic de omnibus, adeò vt nulla pars in toto sit cui nõ possint adhiberi, & quam adhibitæ nõ possint euacuare; ratione quadam generales & totius euacuationes appellantur. Verum quæ euacuationes à parte inseparabiles sunt, sed propriæ & determinatæ ad aliquã certã, sicut hæmorrhoides, mẽses, vrina, lachrymę, tussis, errhina; hac ratione vniuersales fieri minimè possunt. Etenim nõ potest tussis cras alterius quàm hodie, partis euacuatio esse; cũ neque stomachus neq; vterus neque intestina tussiẽdi habeãt facultatẽ. Hac ergo generalis euacuationis habita consyderatione, dico primò: quod fontanellæ sint euacuans generale. Etenim sunt remediũ indifferens ad omnes partes, quod successiuè potest singulis partibus applicari, & sic successiuè eas euacuare: nam capiti adhibitæ, caput; thoraci, ventri, epigastrio, cruribus, pulmonẽ, stomachum, vterũ euacuant: nullaq; pars in toto est, quę nõ possit aliquãdo ab ipsis auxiliũ sentire. Verũ hæc generalitas est impropria, & in successiua tantum pluriũ fontanellarum in diuersis partibus applicatione cõsistit. Propriè autẽ illa prẽsidia generalia sunt dicenda, quę simul &

mul & eodem tẽpore totũ corpus possunt euacuare. In horũ ergo numero an cauteria sint ponenda, est videndum. Quapropter notandũ est, quòd, vt præsidium aliquod possit totũ corpus euacuare, duo habere debet: primũ est, vt validè & fortiter operetur; quod enim tale est, nõ tantũ euacuat quod in propinquo loco est, sed etiã progreditur ad partes remotas & cõsecutiuè ac successione quadã etiã ex ijs educit totũq; euacuat: secundũ est, vt euacuet per partem quæ sit vniuersalis; quæ nimirũ vel sit origo, vel sentina omniũ corporis sordium, vel ex toto in se latè patẽtes & multiplices ductus, vel quomodocũque aliter cũ omnibus totius corporis partibus insignẽ communionẽ habeat; vt ea euacuata, vel per totũ disseminari amplius humores impediãtur; vel in eam, tracti ab ipso præsidio, cõmeare vndique possint. Quod itaq; præsidium his conditionibus præditũ est, generale; quod nõ, particulare est dicendũ Purgatio, quia strennuè euacuat & primariò eas partes quę sunt scaturigo omnium humorũ & sordiũ in toto corpore, & viciſſim quoq; sentina in quã natura ex toto eas deponit, vt ventriculũ, inteſtina, hepar, maiores venas & cõsecutiuè (propter earũ cum toto per apertos ductus colligantiam) ex alijs membris ipsoq; corporis habitu; meritò est euacuatio vniuersalis. Pariter quoq; & phlebotomia; quia & multũ euacuat, & ex hepate parte generaliſſima

& me-

& mediante eo ex venis omnibus maioribus, minoribus, ac toto denique habitu corporis. Præsidia illa, quæ primariò ex toto habitu corporis euacuant, vt sudores, inedia, balnea, sunt etiam generalia; verùm minus prædictis: generalia, quia etiam validè euacuant, & quia totum corporis habitum indifferenter, nullam verò partem determinatè; & consecutiuè ex venis & continuata serie, ex omnibus partibus internis, propter ductus & meatus, qui ex omnibus corporis partibus in habitum desinunt, & ex quibus in eum natura sæpe suas superfluitates demandat & expellit: minus verò generalia sunt, quia minùs multum, quàm illæ euacuãt, & quia per exiguos ductus, nempe cutis & carnis poros; propter quod non possunt magnam crassorum humorum abundantiam, ita vt illæ, tollere, sed potius reliquias ab ijs relictas: & ideò in corporibus plenis & cacochymis non nisi illis præmissis adhibentur. Itaque alia alijs sunt generaliora, & quę magis generalia sunt, minus generalibus sunt præmittenda; ex quo non sequitur, ea quæ postmodùm adhibẽtur, esse particularia, sed minùs tantum quàm alia esse generalia, & sic respectiuè tantum particularia.
Nam etsi illa primò tantùm habitum corporis euacuent, consecutiuè verò partes omnes internas; non ideò particularia sunt: quia & eâdem ratione phlebotomia & purgatio primariò in-

ternas, consecutiuè tantum, remotiora viscera & habitum corporis euacuant. Est autem totus habitus corporis pars vniuersalis, cum omnibus corporis partibus æquam habens communionem. Verum quæ exiguę sunt euacuationes, vel vni certæ parti ex natura sua propriæ, vel quæ super vnam tantum partem ponuntur; necessariò sunt particulares. Sic insensilis transpiratio, frictio, discutientia medicamenta, hyrudines, clyster; quia paruæ sunt euacuationes: mictio, tussis, menses, hæmorrhoides, vomitus, coitus, errhina, apoplegmatismi, lachrimæ, pili; quia certæ parti propriæ sunt, à qua sunt inseparabiles, per quam necessariò determinantur, & particularizantur: & cucurbitulæ, scarificationes, frictiones, fomenta, &c. etsi ex habitu corporis euacuant; quia tamen non sunt totius habitus, sicut sudor, & communiter super certis tantum partibus, non super toto, ponuntur; sunt euacuationes particulares. Interim tamen distinguendum est inter eas: nam quæ valde imbecillæ sunt, neque ex natura sua magnæ fieri possunt; vt quas primo loco posuimus: denique quæ addictæ sunt tali parti, quæ non habet cum toto communionem, aut ad quam totius excrementa nunquam transmittuntur, aut per quam non fit vniuersalium morborum vnquam à natura solutio; vt sectio paruæ & particularis venæ, vt frontis, sub lingua, cucurbitulæ, scarificatio-

ficationes in certo & particulari membro, lachrymæ, auriũ ſordes, errhina, apophlegmatiſmi, ſputum; ſunt merè particulares. Quæ verò tales ſunt, vt euacuent partem quæ cum toto magnam habet communionem; quia conſecutiuè illius euacuatione totum quoque euacuatur, vt ſunt vomitus, coitus, menſes, hæmorrhoides, vrina: denique, quæ ſic variari poſſunt, vt ſiue intenſiuè, ſiue extenſiuè magnæ euadere poſſint; non tantum minus particulares ſunt, ſed etiam & vniuerſalium naturam induunt. Sic cucurbitulæ, ſcarificationes, hyrudines, fomenta; quia eorum vſus poteſt longo tempore continuari, & poſſunt, nõ tantum ſuper vno particulari membro, ſed ſuper toto corpore magno numero adhiberi; acquirunt naturã vniuerſaliũ euacuationũ. Ex quibus apparet euacuationum alias eſſe generales, alias particulares, magis minúſue, alias vtrinque participare; & quæ particulares ſunt, generales, & generales, particulares euadere poſſe: prout validius aut debilius euacuant, aut per partem maiorem cum toto communionem habentem, aut magis minúſue generalem. Venæ ſectio, etſi ſimpliciter loquẽdo, generalis ſit, nempe quæ in magna vena fit, eſtque copioſa; tamen particularizatur, ſi fiat exigua quantitate, aut ſi fiat in vena parua, aut non habente propinquam cum toto aut cum hepate communionem. In pleuritide ſecta interna

cubiti

cubiti vena in magna quantitate, etsi euacuet à parte, tamen & à toto & plethoram deponit, estque vniuersalis: & propterea potest etiam in initio adhiberi: at in exiguâ quantitate, tantum est particularis, & tantum à parte affecta euacuat, neque tollit plethoram: & ideò in principio adhiberi non potest; sed inflammationem augeret, nisi primũ aliâ sectâ in opposito latere venâ plethora esset diminuta. Sic quoque sectio basilicæ venæ, medianę, &c. est vniuersalis; venę verò frontis, vel sub linguâ, & quæcunque ad localem reuulsionem & simplicem deriuationẽ aut euacuationẽ instituitur, particularis. Per particularẽ enim & paruã venam ipsa phlebotomia determinatur ad certæ particulæ euacuationem. E contra quoq; etiam parua vena aperta, sed diu multumque sanguinem effundẽs, etsi particularis sit, & certam partem maximè & immediatè euacuet; continuata tamen tractione etiam fit vniuersalis. Cucurbitulæ paucæ ac parum euacuantes & particulari membro affixæ, euacuant particulariter; plurimæ, in toto corpore, vel iuxta magnas venas & multum euacuantes, generaliter: & ideò generalis euacuationis per venæ sectionem faciendæ, in ijs, qui eam nõ ferunt, vices sæpissimè habent. Eadem ratione balnea particularia, vt pedum, aut insessus dictus, fomenta peculiarium membrorum, hyrudines, scarificationes, frictiones, certarum

partium, ſunt particulares euacuationes illarum partium, quibus ſuperponuntur; eadem totii adhibita, diu continuata & multum euacuantia, ob magnitudinem euacuationis & partium quas amplectuntur extenſionem & vniuerſalitatem, redduntur generales. Sic hyrudines alteri particulæ appoſitæ euacuationem facient particularem; appoſitæ hæmorrhoidibus, quatenus per has aliquando generalis euacuatio fieri poteſt, generalem. In ijs euacuationibus, quæ certæ parti affixæ ſunt, ſola magnitudo euacuationis auget & minuit generalitatem. Sic clyſteres fortes, vomitus ſolennis, hæmorrhoides, menſes, vrinæ fluor, coitus, cum exuperant, generalem faciunt euacuationem; & ſæpe videmus naturam per ea generales totius corpotis morbos terminare ac præcauere: cum deficiunt & minus operantur; tantum partes quibus dicatæ ſunt, euacuant. Hinc porrò & ſubiecti corporis ſtatus remedij variat naturam: nam ſcarificationes, cucurbitulæ, hyrudines, in puerilibus, teneris & non valdè plenis corporibus; generalem euacuationem præſtare valent, minimè in magnis & valde plenis: etenim eadem euacuatio minor eſt in pleno & magno, quàm vacuo paruoque corpore: & ideò in illo paruitate ſua tantum particularem euacuationem obire poteſt, in hoc eius magnitudo ſufficit ad generalem. Denique in quibus ob debilitatem maiora re-

media non admittuntur, in ijs minora & magis particularia maiorum & generalium obtinent locum. Ex his autem quid de fontanellis dicendum sit facile patet. Quapropter dico secundò, quod propriè fontanella sit remedium euacuans particulariter: primò, quia debilem & valde paruam euacuandi vim est sortita, quæ nequit se ad omnes partes extendere: secundò, quia per habitū trahit, & in cute & plerumque in vno tantum aut altero membro particulari, vt brachio aut crure ponitur, per quod ad certę tā-tum partis euacuationem determinatur. Ideo Rabby Moyses 6. epidem. dixit, reliquias generalium euacuationū in fortibus ægritudinibus cauterio corrigi & euacuari: & Guido de Caul. tract. 7. doct. 1. c. 3. id eisdem verbis confirmauit. Dico nihilominus tertiò, quod fontanellæ nōnunquam etiam euadant vniuersales, triplici modo: primò, cum iuxta magnas venas ponuntur, aut in inguinibus, aut axillis; quæ sunt loca cum præcipuis visceribus magnam communionem habentia, & per quæ natura non rarò se exonerat, & totius morbos iudicat: secundò, cum multum & diu fluunt & multiplicantur, magnoque numero super totum corpus adhibentur, vt sex, decem, duodecim; sicut in lepra alijsque affectibus antiqui nō raro fecerunt: tertiò, cum in talibus corporibus ponuntur, quæ generalia illa præsidia, purgationem aut venæ se-

 ctionem,

ctionem, non possunt tolerare : nam in ijs dicit Guido loco citato, quòd eorum vicem gerant. Etsi autem inuri non debeant fontanellæ, quin generalia illa præsidia, nempe purgatio & phlebotomia sint prægressa, non tamẽ ex eo sequitur eas particulares esse, sed solũ minùs, quàm illa generales ; adeòque particulares in respectu tantùm eorum, minimè vero absolutè. Nam vt ostensum est, in generalitate inuenitur magis & minus, & quæ magis generalia sunt, semper minus generalibus sunt præmittẽda. Quocirca non ideò eas generales esse dico, quod æquè, vt venæ sectio aut purgatio, sint generales, vel quod sufficienter, vt illa, plethoram aut cacochymiam primò deponere possint, adeò vt illis opus non sit, vel vt eorum vicem possint adimplere ; sed tantùm, quia ex toto, non autem ex determinata parte euacuant. Quanquam & vti cum Guidone dixi, hoc vltimo casu etiã ita possint esse generales, vt maximè generalium euacuationum, nempe venæ sectionis aut saltem purgationis munere fungantur.

CAP. XIX. *De differentijs fontanellarum fonticulo, setone, phœnigmo, & eorum viribus.*

HActenus de viribus fontanellarum in genere egimus ; nunc ad species earum transeamus. Differentiæ fontanellarum

rum ſumuntur à differẽtijs vlceris. Vlcus aliud eſt planum, aliud cauum: ſi cauum, illud vel vnico eſt foramine, & fontanella propriè dicta ſeu proprio nomine Fonticulus appellatur; vel duobus, quę tanquam extrema in cute emicant, medio ſub carne occultato: & vocatur ſeto, ſetaceum, ſetamon, ticio, illaqueatio, ſedaginum, Arculano, Razi ſectorium. Si planum eſt, vocatur phœnigmus ſeu veſicatorium aut magis propriè veſicatio. Hæ omnes ſpecies antiquis notæ fuerunt. Vbicunque enim cauterium ad euacuandum, aut quod diu apertum manere velint, facere iubent, nec exprimunt ſpecificando ſetaceũ aut phœnigmum; de fonticulo ſunt intelligendi. De ſectorio multa ſcripſit Razes in tractatu de Cauterijs. Ægineta lib. 3. c. 18. in cura paralyſis: Carnem, inquit, quæ intra muſculos reſoluta eſt, ferris oportet candentibus, exiguis, tenuibuſque tranſmiſſis adurere, & lib. 6. c. 48. ſuper lienem & hepar cauterium ponens, expreſſius; Cute, inquit, hamo eleuata, ferro candenti per totum ipſa aduretur, vt vnico impreſſu duæ fiant cruſtæ: docetque ibidem & bidentatis & tridentatis ſetonibus vti. Veſicationem porro ſeu artem cutem in ampullam eleuandi eis cognitam fuiſſe, ac imprimis Galeno, Æginetæ, Razi, Auicennæ, ita clarum eſt ipſorum ſcripta perlegenti, vt operam perdiderim comprobando. Sed & Aetius ex Archi-

genis antiquissimi medici sententia, pro hemicrania & cephalæa ex cantharidibus vlcera facere, excitatis vesiculis quæ diu aperta maneãt, lib. 6. c. 50. docuit. Hæc omnia fontanellarum genera, cum sint vlcera, communicant in illo generali effectu, quẽ vlceribus adscripsimus; humores nempe frigidos euacuandi. Verum cum singula specificentur & determinentur per certas quasdam differentias; fit, vt in ratione euacuandi prædictos humores, habeant aliquam differẽtiam & determinationem. Nam in quantum vlcera, inter se non differunt viribus; sed vt talia vel talia, profunda vel sublimia, maiora, minora, citius vel longiore temporis morâ producta, vesicantibus ac mitioribus vel escharoticis aut fortissimis genita. In quãtum vlcera, conueniunt omnia in vno genere remedij euacuantis & ab eodem indicantur; nimirum præsentia humoris. Nam cum vnum tantum ab vno indicetur, materiæ præsentia solum indicat vlcus in genere: at accidentia, quæ materiæ illi adueniunt, vt quod pauca sit aut multa, profundè aut in superficie sita; tale ac tale vlcus indicat. Materia multa fonticulum exposcit; quia fonticulus est maior & plus euacuat: pauca, setonem aut vesicationem: quæ in profundo sita, profundum vlcus & cauum; quæ cõtrà, planum. Quapropter, cùm fonticulus sit vlcus magnum & cauum, & multum euacuans, indicatur à

tur à materia multa & profunda: veſicatio cùm ſit planum, non diu durans & parum euacuans; à pauca & in ſublimi poſita: ſeto qui medio loco eſt; à media materia indicatur. Coindicant porro alia ad ſpeciei huius vel illius electionẽ. Sic, etiãſi materia peccans ex ſe ſimpliciter tantum fontanellam indicaret, non hanc vel illam ſpeciẽ, aut interdum magis hanc quàm illã; pars tamen & corpus & ætas, aliaq́, quę coindicant, modo vnã, modò alterã ſpeciem præferri monẽt, ac ſæpe eam quæ à cauſa morbifica indicatur, adhiberi nõ patiuntur. Pueri, imbecilli, macilenti, pars non ſpiſſa, vt abdomen & ſubiectas venas ac neruos habens; profundũ vlcus reſpuunt, ſed vel ſetonẽ vel veſicationem expoſcunt. Differt ſeto à fonticulo in eo, quòd ille non ita altè penetret, & maiorem cutis partem perforet: ideo in cutaneis affectibus, vt vitiligine, impetigine, alijsque cutis fœditatibus, plus ſetoni quàm fonticulo eſt fidendum. at fonticulus in grauioribus malis potior exiſtit, ijsq́; qui à profundis corporis partibus proueniunt, & in quibus maiori opus eſt euacuatione: plus enim per fonticulos quàm per ſetones humorũ educitur; etſi hi illis difficilius conſolidentur. Atque hoc quidem per ſe & cõuenienter atque ex natura ipſius præſidij ita fieri intelligendum eſt: nam per accidens fieri poteſt, vt plus ſeto quàm fonticulus educat; nempe cum ſeto magnus

gnus est, fonticulus paruus; aut cum ille plus motione, frictione aut acribus superpositis irritatur. Propterea in lentis magis ac longis malis, & vbi potius lenta & diu durans, quàm cita & affatim facta euacuatio prodest; setones sunt potiores: sicut in oculorum, aurium, aliarumque partium affectibus, qui non ita magni sunt, & potiùs consuetudine fluendi, quàm humorum vitio laborant. Differt vesicatorium ab vtrisque, quòd minus euacuet; cum sit planum nec diu perduret: denique quod sit securius, & omni loco, etiã neruoso, arterioso, magis commodum; cum & malleolo & carpis manuum possit applicari, vbi neutrum illorum admitteretur. Ideo à vesicatorio vt leuiore sepissimè incipimus in iis malis vbi fonticulus indicatur, & si id non sufficiat, tunc demum fonticulum excauamus. Quapropter vbi diuturna & multa humoris euacuatione opus est, minimè vesicatorio est vtendum. Præcipuè autem hoc vtilitatis habet, quòd, cum fiat à medicamentis non ita vrentibus, sed insigni attractrice vi pollentibus, eò quòd vesicantia & rubificantia sint in genere attrahẽtium summa, & talibus quæ diu super partem hærent, vt decem, duodecim, aut quindecim horis; maiorem discutiendi & attrahendi ex alto, adeòque reuellendi vim habeat, quàm vllum aliorum: propterea quòd ferrum tantùm in superficie ac statim

tim vim ſuam exerceat, & cauſtica, præter hoc, etiam cruſtam faciendo iter ſibi præcludant ad interiora penetrandi. Et propterea in malis quę profundius hærent ac firmius, ac vbi materia ex alto extrahenda eſt, vt in arthritide, & maximè iſchiade, in cephalæa, aſthmate, colica, cœliaca, paralyſi, apoplexia; alijs fontanellis præfertur. Sic quoque plus ijs confert, vbi magis cita quàm magna euacuatione eſt opus; vt in puncturis venenatis, in febribus peſtilētibus & malignis tumoribus qui intrò repūt; metu ne ad membrum aliquod nobile ferantur: & vbi quod euacuandum eſt plus reuulſione eget forti quàm magna euacuatione; vt in oculorum affectibus & ſuffuſione. Præualet quoque in euacuatione ſeroſorum humorum & flatuum; vt ex aquoſo illo humore qui in veſicula continetur, diſcere licet. De ſinapiſmi viribus qui à phœnigmo non multum differt, videndus eſt Oribaſ. 10. coll. c. 13. Aetius lib. 3. c. 192, & Paulus lib. 7. c. 19, alijque.

CAP. XX. *Quibus indicationibus cauteria ſatisfaciant, & quomodo roborare dicantur.*

EX his nunc omnes cauteriorum vires, ac quibus in morbis conueniant, & quale remedij genus ſint, elucet. Sunt autem multiplicis vſus, & omnes fere complent medicandi

dicandi ſcopos, omnes omnium medicamentorum ſupplent facultates. Quantum ad primas qualitates, ipſa habent vim alterandi: per ſe quidem ad calorem & ſiccitatem; per accidens verò (euacuando, vt dictum eſt) ad frigus & humiditatem. Quantum ad ſecundas; per ſe calore ſuo fundunt & liquefaciunt humores; diſcutiunt humores, flatus, vapores tum per ſe, tum per accidens ratione fontanellæ; attrahunt quoque calorem, ſpiritus & alimentum verſus partem: vt de ſinapiſmo ac dropace in paralyticis, in particulis quæ contabuerunt, in defluuio capillorum, conſtat. Habent etiam rationem remedij aperientis multis modis. Primò; quatenus euacuant humores & fontanellæ vſum præſtant, poſſunt internas obſtructiones, quæ antea à præſentia eorum cauſabantur, è medio tollere: ſecundò, ſunt apertoria cutis, faciuntque, vt qui antea humores per cutim exire non poterant, nunc tãquam foribus apertis ſine moleſtia poſſint: tertiò, in externorum abſceſſuum; quartò in thoracis & abdominis, pro empyemate, hepatis abſceſſu, hydrope, perforatione; aperientis remedij obtinent rationem. Habent & rationem medicamenti aſtringentis & conglutinantis, medio ſuæ cicatricis. Etenim laxas carnes aſtringunt & contrahunt in iſchiade, procidentia ani; vaſa conglutinant, per quæ aliquid ferri ſolebat & quæ hiabant; vt ſupra cap. 11. de entero-

terocele dictum est. Occludentis quoque remedij vices subeunt, ratione crustæ. In sanguinis profluuio claudunt viam, per quam sanguis fluere solebat, & in fluxionibus acrium humorum aut feruidorum vaporum per venas & arterias, ita eas occludunt vt omnis vltrò citróque, sursum aut deorsum transitus impediatur. Sed & anodynam vim habent. Nam à medicis summè ad antiquos & profundos dolores laudantur, vt cephalæas, hemicranias, coxarum ac dorsi & coli inueteratos dolores: ratio est, quia antiqui dolores aut à frigida causa fiunt, aut continuata fluxione; vtrique autem causæ nullum præstantius remedium est vstione. Etenim ratione suæ qualitatis calefacit, & medio fontanellæ, illos humores, sicuti lentè affluunt aut congeruntur, ita eodem modo euacuat, & partes siccando sic astringit & roborat, vt deinceps nouas fluxiones facilius à se arceant. Porrò & tertiarum qualitatum effectus cauteria imitantur: sanguinem sistunt, menses mouent, flatus discutiunt, & quosuis humores, maximè frigidos, qui lentè congeruntur aut fluunt; euacuant, reuellunt, deriuant. Quarta qualitas est; quod omnes particulas, omnia interna viscera roborandi habeat facultatem: quod vt fiat paucis est inuestigandum. Ac mirum quidem videtur, in quo consistat illud robur & quas partes roborandi vim habeant: non enim robur omnium in

ijsdem,

ijſdem, ſed ſæpe in cõtrarijs conſiſtit. Dénique non confortare, ſed propriè debilitare cauteria videntur: etenim vrunt & cruſtã faciunt, & corrumpunt partem aut ſummam ei intemperiem inducunt. Hinc, propter partium à cauterio debilitatem, fieret, niſi locus muniretur, vt ipſę fluxione & inflammatione infeſtarentur. Septica quoque ſingulariter partes debilitant; vt vel ob eum finem in faciendis fontanellis præ alijs expetantur, quod propter debilitatem quam partibus inducunt, faciant maiorem ad vlcus redundãtis humoris fieri allapſionem. Verum, cum dicimus cauteria roborare, non eſt id de potentialibus intelligendum, ſed tantum de actualibus: neque de omnibus partibus, ſed certa tantum temperie præditis: neque de ea quæ immediatè vritur, ſed quæ vſtæ eſt vicina. Notandum itaque eſt, quòd etſi cauteria ratione fontanellæ & quatenus euacuant à partibus materias corruptas quæ partium robur impediunt, dici poſſint eas roborare; tamen hoc eſt valde per accidens, nec tale robur hic intelligimus: ſed dicimus quod roborent per ſe; nempe calefaciendo, exiccando, & carnes partesque humidas & laxas arctando & conſtringendo. Ex quo patet, quòd cauteria non roborent omnes partes, ſed tantum frigidas & humidas; quarum vitijs corrigendis cauterium ex natura ſua eſt deſtinatum: in quibus autem complexionibus non con-

conuenit, in ijs neque roborat. Quapropter, cum frigus debilitet robur partium, humiditas verò nimia putredini obnoxias faciat & laxas ac quasi mollitie diffluentes reddat; quia earum robur in quadam astrictione cõsistit, ideò cauterium, cum vtrumque præstet, roborare dicitur. Itaque roborandi vis cauterijs inexistens non vltra se extendit, quàm ad partes à complexione frigida & humida debilitatas: quatenus eas calefaciunt, & cum à nimia humiditate putrescunt aut putridis vlceribus obnoxię sunt, exiccant; aut laxiores factæ sunt, astringunt & sustinẽt, faciuntque, vt sic minus fluxiones in se admittãt. Sic frigidum ac humidum caput; splenem, hepar, matricem, vesicam perfrictione & madore laborãtes; submucidas carnes; articulos frigidos ac humidos, cauterio dicimus astringi & roborari. Et cum vlcera putrida, ossa carriosa ferro adurimus; particulæ putrescentes, quibus ea insunt, exiccata roborantur. Hoc robur intellexit Galenus 6. aphor. 60. Cũ inquit; ideò suasisse Hippocratem coxas aduri: vt & id quod mucosum, est absumatur; & laxitas cutis ad quam articulus lubricat, magis ex adustione contracta arctetur: & sic Aetius lib. 12. c. 25. ad submucidos articulos cauteria ponit; vt, inquit, roborentur & constringantur, ne articulus transponatur.

CAP.

CAP. XXI. *Omni affectuum generi cauteria conuenire.*

CVM omnium remediorum facultates cauteria in se contineant, mirum non est, si ea omni affectuum generi dicamus conuenire. Affectus præter naturam tres sunt; causa, morbus, symptoma: vnicuique autem istorum suam gratiam præstant. Humores & vapores, qui morborum causæ sunt; alterãt, euacuant, reuellunt, extrahunt, deriuant. Dolorem, profluuium sanguinis aliaque quæ sub symptomatibus continentur, curant. Morborum omne genus sanant; similarium, instrumentalium & solutionis continuitatis. Similares morbi alteratione curantur: cauteria autem alterandi potestatem habere dictum est; quare conferre ijs, ac præcipuè frigidæ & humidæ intemperiei, tam nudæ quàm materiali, possunt. Habent & in morbis instrumentalibus vtilitatem: primò in morbis magnitudinis, vt pthisi: secundò in morbis numeri; vt ad ablationem sexti digiti: tertiò, situs; sic in dentium à laxis gingiuis mobilitate, in exomphalo, enterocele, vbi intestina ex loco naturali exiuerunt, in dislocationibus articulorum ab humoris illapsu causatis; tum cicatricis, tum vlceris beneficio conferunt: quartò, conformationis; curant enim paralysim, conuulsionem, & apostemata

omnia,

omnia, quæ partium figuram immutant, & obstructiones, quæ sunt vitia cauitatum. Nam cutis densitatem aperiunt, & partes clausas quas apertas esse præstaret, exurendo perforant, varices auferunt, venas & arterias nimis patentes, medio cicatricis, constringunt, vuulam magnitudine sua fauces obstruentem, amputãt, & internas obstructiones, vlceris beneficio obstruentem humorem euacuantis, curant. In continui verò solutionibus, vt vlceribus & ossium carie; non vtilitatem, sed necessitatem habent. Sed hæc omnia non vno modo agunt: interdum per se; interdum crustâ, vlcere, cicatrice.

CAP. XXII. *An Cauterium sit vltimum remedium.*

DVpliciter intelligi potest cauterium esse vltimum remedium: vel vltimum potentia & viribus: vel tempore adhibitionis. Dico primò, quòd sit vltimum in potentia: primò, quia est horribile & summè actiuum, eò quòd nihil sit igne actiuius. quod non est intelligendum de quouis cauterio, sed de aliquo, præcipuè de eo quo vtimur ad consumendum, annihilandum & amputandum: nam in vlceribus, ossium carie, tumoribus, non possumus potentiore remedio vti, quàm cauterio. In genere remediorum siccantium, calefacientium, discutientium, nullum quoque est poten-

tius,& quod magis ea præstet,quàm cauterium:: propter ignem enim & calorem omnia hæc præ-- stantur, quare ipse maximè omnia poterit. Im genere autem euacuantium non est summum,, vt nec in genere attrahentium:multa enim id ef-- ficacius agũt,quàm cauterium; vt phlebotomia cucurbitulæ,&c. secũdò est vltimum in poten-- tia,quia morbos extremos,difficillimos & alijs remedijs incurabiles curat:vt inueteratos fluxus humorum,antiquos dolores,difficilem hęmor-- thagiam, vlcera maligna, ac prauos & venena-- tos tumores. Dico secundò, quod sit vltimum tempore: quod non ita intelligendum est, vt inquit Albucasis aliquos putasse, vt post ipsum non amplius recurrat malum: potest enim post id æquè, sicut post medicamenta,recurrere:sed est vltimum duobus modis; primò,vt non de-- beamus eo vti,nisi post adhibita omnia alia re-- media & frustra tentata, vel si non adhibita, aut saltem æstimata, etiamsi adhibita fuissent, non fuisse pro futura: secundò, vt post ipsum nulla alia remedia possint iuuare, quod etsi Albuca-- sis negauit, est tamen verum. Etenim Hippo-- crates sect. 7. apho. vltimo, sic inquit: Quæcun-- que non sanat medicamentum, sanat ferrum;; quæ non sanat ferrum,sanat ignis;quæ non sanat ignis,ea incurabilia putare oportet. Sic lib. de morb. inter c. 33. iubens cauterium poni super hepar ad ipsius tumorem: Si,inquit, vstio suc-- cessit,,

ceſſit, ſanum facies ; ſi non, corrumpitur ac moritur: idemque repetit. c. 37. de vſtione ſplenis. Probatur quoque ratione: nam ſi cauterium eſt vltimum potentiâ, neceſſum quoque eſt vt ſit vltimum effectu ; effectus enim ſequitur vim & potentiam agentis : quod ſi aliqua res illud efficeret quod cauterium nequiſſet, illa maiorem quàm cauterium potentiam habuiſſet. Quapropter notãdum eſt, non ſimpliciter omne cauterium tẽpore, vel, quod idem eſt, effectu vltimũ eſſe ; ſed illud tantum, quod potentia vltimum eſſe ante dictum eſt, & quod debitè & ſecundum ſuam vltimam potentiam eſt applicatum. Quod enim illud efficere nequit; aliud tũc poſtea non præſtabit : vnde, vt effectu, ita quoque tempore vltimũ eſſe oportet; fruſtra enim aliud poſtea vſurparetur, quod nihil amplius illo eſſet effecturum. Exempli gratiâ : quia ſiccandi, calefaciendi, diſcutiendi, annihilandi, putredinem impediendi, ſanguinem ſiſtendi, potentiâ cauterium ſummum eſt; ideò quoque ſecundum eas actiones tempore vltimum eſſe debet : quia vero in attrahendi, euacuandi, reuellendi, humectandi, refrigerandi potentia, alia ipſo ſunt potentiora; ideò non ſequitur, quod poſtquam cauterium fruſtra fuit exhibitum, nulla alia ſint profutura.

LIBER SECVNDVS.

De materia Cauſtica.

CAP. I. Cauteria alia eſſe actualia, alia potentialia, & eorum effectus.

CAVSTICA vis in calore cõſiſtit; calor rebus ineſt actu vel potẽtiâ: hinc cauteria alia ſunt actualia, alia potẽtialia. Actuale cauterium eſt, in quo formaliter & actu intẽſiſſimus ille & vrẽs calor ignisq; ineſt; vt ferrũ aut lignum ignita: tale ad tactũ calidum eſt, & quiduis obuiũ & ſtatim vrere poteſt. Potẽtiale eſt, in quo ille effectiuè tãtum & virtualiter ineſt: tale autẽ ad tactum calorem minimè habet, neque quiduis obuium vrit, ſed id tantùm & tunc, à quo & quando ex potentia in actum redigitur. Solum autem corpus animatum mediante ſuo calore natiuo hac actuandi vi præditum eſt. Quomodo potentialia in actum reduci poſſint, cum calore noſtro multo ſint intenſiora; denique quomodo cauſtica illa & potens vis in materia ita ligetur, vt actu non ſemper exiſtat, ſed tunc ſolum ſeſe exerat cum ab alio quopiam actuatur; non eſt huius loci examinare, ſed aliâs, quãdo Deo fauente de medicamentorum viribus aliquid in lucem edemus, latè diſputabimus. Hac duplici materia omne

cauterij

cauterij genus in vſum venire poteſt, fonticulus, phœnigmus, ſeto. Quamuis autem hic non niſi candenti ferro, phœnigmus vero non niſi medicamentis hodie inuratur; nihil tamen ex eorum natura impedit, quin vtroque materiæ genere queant adminiſtrari. Verum non eſt vbique vtriuſque materiæ eadem vtilitas, ſed ob diuerſitatem principij per quod operantur, aut potius diuerſum modum habendi ipſius; neceſſariò etiam effectus diuerſificantur. Quæri autem ſolet; vtrum alteri præſtet, potentiale an actuale? & videri quidem poſſet melius illud eſſe: primò, quia quidquid magis repentinam in nobis facit mutationem, id, Hippocrate teſte, pernitioſius eſt; tale abſque dubio eſt actuale, ergo. Minor patet ex eo, quia intenſior eſt actuitas actualis; quare & velocior operatio & ad extrema diſtantiora: ſecundò, quia cum ignis actiuitas ſumma ſit & omnium rerum corruptiua, minorem quàm potentiale cum natura noſtra ſimilitudinem habere videtur; tale autem naturæ magis eſt inimicum, ergo. Verum reſponderi facile poteſt: nam, quę in malum finem ſunt & cauſæ morbificæ naturam obtinent; in corpore ſano eò maiorem inferunt noxam, quò mutationem magis repentinam: at quæ præſidij rationem habent & quæ in corporibus ægris adhibentur, quorum actio vergit in naturæ ad ſuum ſtatum reductionem; ea, etſi repentinam

interdum inferant mutationem, non sunt mala: imò sæpe, quò magis id faciunt, vtpote in malis acutis, quę veloci remedio opus habent; eo sunt meliora. Ad alterum respondetur, non debere omnia cum natura nostra similitudinem habere: nam vstiones & sectiones omnes per se naturæ nostræ aduersantur, sed per accidens similitudinem habent; quatenus aliqua vnius partis læsione toti opem ferunt, quod in talibus & in cauterijs sufficit. Imò quæ sæpe maximas partibus noxas inferunt, præcipua aliquando & præstantiora sunt remedia; vt trepana, paracentesis, & similia alia. Quare meritò Albucasis lib. 1. c. 1. concludit: actuale potentiali multis spatijs præualere. Duas autem eius assignat causas: prima est, quòd ignis potentia sit simplex & expers omnis alienæ qualitatis; quæ in parte tacta nihil præter calorem & empyreuma relinquit: potentialia verò vt plurimum venenatam & malignam qualitatem coniunctam habẽt: ex quo est, quod actuale vbique potentiali securius est. Ideò cum circa partes nobiles & principes cauteria sunt ponenda, vt circa caput, in occipitio, in vertice, supra pectus, stomachum, hepar; semper potius actualia sint eligenda. Sic quoque in ictibus venenatis, putredine, omnibusque affectibus vbi veneni aliqua suspicio est; melius semper est actuali vti: nam potentialia venenosa vi id sæpissimè irritant, fouent, & saltem

tem minus igne puriſſimo oppugnant. Secunda ratio ab Albucaſi aſſignata eſt, quòd actuale non vlterius quàm ipſi volumus, operetur; ſed actionem habeat determinatam: vbi enim vſtio fit, ibi manet cauterij effectus; vlterius ad partes aliquas remotas aut principes non propagatur: quod propter eius in agendo celeritatem, ſeu quod citò remoueatur, contingit. Propter hanc etiam magis valet, vt circa partes nobiles ponatur: vt minus ignis calore offendantur & intemperiem contrahant. Sed & abſolutè vbique ſecurius eſt, quia minus inflammationes fluxiones ac febres facit. In febrilibus affectibus, vbi febris aliqua ſubeſſe vel accidere poſſe timetur; in carcinomate, & generaliter vbi affectus ab acuto conſtat humore, (nam à potentialibus in talibus acrior fit & efferatur materia), in corporibus macilentis, ſiccis, calidis, calidoque morbo laborantibus; ſemper potentiale actuali eſt poſtponendum. Nam, vt inquit Lanfrancus, etſi illud materias calidas etiam, vt actuale, conſumat; eò tamen magis quàm hoc nocet, quod ob profundam ſuam & diuturnam operationem, maiorem intemperiem calidam, vnde malum denuò repullulet, relinquat. Sed & aliæ cauſæ præter illas addi poſſunt. Tertia ergo eſt, quod momento operetur. Huius ratio eſt, quod calor eius ſemper ſit in actu & ſummæ intenſionis: ideò cum nihil illius actioni reſiſtere poſſit,

breui terminatur;potentialis verò,cum tantum sit in potentia, nec ita summus; mora eget ad actuationem & effectum. Propter hanc causam illic prævalet, vbi festinatione opus est, vt in venenatis ictibus,in fluxu sanguinis arteriarum, qui citissimè sisti debet. Quarta est, quod propter actiuitatem suæ naturæ, penitus annihilet, consumat & abscindat: nam propter hoc eligi debet vbicunque est corruptio & putredo carnis aut ossis, vbi apostemata aliqua maligna, venenosa inurenda, aut carnis mucciditas & humor est absorbendus. Quinta causa est, quia roborat partes; cum nempe laxæ, humidæ, aqueo pituitosoque humore sunt imbutæ;astringendo atque exiccando: potentiale verò debilitat;duobus modis: primò,quia parti venenosam infligit qualitatem: secundò,quia longa ac profunda actione partem afficit, vnde fluxio in partem excitatur;fluxiones autem partem debilitant; quorum neutrum actuale facit. Licet autem dici possit videri ignem debere maiorem debilitatem inferre,quia maiorem dolorem;eò quòd intensius celeriusque partem alteret, dolor autem sit causa fluxus & per consequens debilitatis; tamen quia iste dolor momentaneus est, potentialium verò diuturnus, ideò horum calor etsi multò minor,multò tamen magis est attractiuus & debilitans. Propter hanc causam partes humidæ,laxæ, omnia quoque quæ in locis hu-

cis humidis contingunt accidentia, actuali potius vrenda sunt. Propterea quoque in locis & vlceribus sordidis, putridis, & quæ exiccatione egẽt, magis actuale prodest; eò quòd talia igne roborentur: in senili corpore & humoribus prauis pleno, in parte debilem habente calorem & fluxui humorum exposita, à potentialium vsu facile gangræna est metuenda. Sexta ergo causa est, quia minus attrahit, quàm potentiale. Sicut enim ideò non debilitat partem, quia non attrahit; ita quoque econtra ideo non attrahit, quia non debilitat: partis enim debilitas & attractio humorum sibi mutuæ ac in circulum causę sunt. Sed ideò quoque minus attrahit, quia citò operatur; attractiones enim non causantur ab ijs, quorum actio & motus breuis est, sed quorum diuturna ac in longinqua peruadens. Propter hanc causam etiam est, quòd iuxta partes nobiles poni non debeant potentialia; ne humores ad nobilia membra trahantur: imò etiam cur vbiuis minus sint secura. Fluxiones enim, phlegmonæ, febres, gãgrænæ, fistulæ, similesq; calamitates comitãtur. Ideò vbi fluxus aliquis in partem timetur, nunquam potentialia sunt adhibenda. Has omnes actualis ignis vtilitates & prærogatiuas ostendere voluit Auicenna 4. 1. c. 29. vbi quatuor cauteriorum scopos & vtilitates enumerans, impediendi corruptionem, confortandi membra, auferendi materias

terias corruptas, sanguinem sistendi; solius actualis cauterij meminit. Verum tamen non ita prorsus potentialia sunt contemnenda, vt non illis proprius etiam suus ac peculiaris vsus tribuatur. Sed is mihi videtur potius ex defectu, quàm excellentia bonitatis eorum oriri. Quare sciendum, etiam nonnunquam potentialia actualibus præferri, idque propter varias causas. Vna causa est, quam assignauit Guido tra. 7. doctr. 1. c. 3. quòd sua longa operatione, longa calefactione, prolongato dolore, partem venenata sua qualitate labefactando; causa sint, vt ad partem magis fluant humores. Nam, tum propter hoc, tum propter escharam grossam quam dimittunt; melius faciunt illic, vbi euacuare, reuellere ac deriuare intendimus; adeoque cauterium propter vlcus & fontanellam adhibemus: cum enim vlcus propter euacuationem instituatur; sequitur ea quæ magis faciunt, vt humores ad partem fluant, magis illi scopo satisfactura. Ideo Razes lib. de iunctur. c. 16. dixit, quòd, quæ medicamenta magis debilitant partem, magis faciunt humores ad eam declinare. Secunda causa est, quam assignat Hugo super 4. fen. 1. Auic. c. 29. quod lentè & per partem post partem, non impetu erodant & vrant, sicut actuale. Propter hoc melius videtur, quantum quoq; tempore vstio promoueatur, & cum eo peruentum est quo volumus, possumus melius

lius & commodius ab vlteriore vstione abstinere. Propter hanc causam præstantiora sunt actualibus, vbi nerui, venæ & arteriæ, quæ tangi non debent, per partem decurrentant: vbi autẽ & illæ vri debent, melius vt testatur Nicolus ser. 7. tr. 3. sum. 2. c. 19. igne actuali peragitur. Tertiam causam assignat Conciliator diff. 208. formam variam, quæ potentialibus indi potest, actualibus non item; propter quam in nonnullis locis, commodius quàm hæc, possunt applicari. Propter hanc, vbi loca sunt fistulosa & carnosa, orificium habentes angustum, fundum verò latum, ad quem non posset cauterium actuale sine grandi læsione partium circunstantium peruenire; indicatione à partis figura sumpta, suadetur potius potentialibus esse vtendum: licet ex natura fistulæ magis actuale indicetur. Tunc enim informam liquoris, qui syringa injici, aut pulueris qui cannula insufflari, quæ vndique in fundi latera se insinuare possit, quàm aptissimè concinnantur. Quarta causa est horribilitas ignis actualis. Cui enim non illius aspectus metũ ac terrorem incutiat, & quandã auersionis ac remedij repudiationẽ? Ideo in iis qui timidi sunt; puerulis, mulieribus, delicatulis, cõuenit magis medicamẽto quàm igne vti. Addo & quintã causam, maiorem vim & potentiã trahẽdi: propterea vbicunq; tractio aliqua faciẽda est; semper melius est potentiali quàm igne vti.

Qua-

Quapropter, etsi in venenosis ictibus semper actuale potentiali præstet; vbi tamen venenum profundius est, quàm vt ignis actualis eo pertingere possit; melius est potentialibus, verbi gratia, phœnigmis vti: quòd ex alto quàm maximè trahant. Sed dubium videri possit; an, ad sistendum fluxum sanguinis, magis valeat potentiale an actuale? Ego neutrum simpliciter altero melius esse assero, sed distinctione vtendum. Nam si fluxus sanguinis est ex vena alta, quæ immediatè tangi à cauterio potest; magis ignis conueniet: sed si profunda aut cuius orificium absconditum sit, vt nequeat commodè ferrum applicari; melius est escharotico puluere insperso eum sistere. Nam prȩterquam, quòd etiam escharam vt actuale faciat; etiam corpore suo totum foramẽ claudit & obturat, & sanguinem effluentem inuiscat, vt ad motum ineptus reddatur.

CAP. II. *De actualibus solidis & eorum differentijs ac viribus, ac primum de metallicis.*

ACTVALIS cauterij materia est, quicquid actu ignem aut intensum igneumque calorem in se suscipere potest. Actualia, alia sunt solida & dura, alia fluxilia & liquida. Solidorum maior, vtilior & certior est vsus. Horum materia varia est, metallica, lignea,

lignea, lapidea, & quæcunque igniri potest aut accendi. Metallica in maiore est vsu, post hanc lignea; ex lapidibus nulla quod memini vnquã facta inueni. Metalla ad hunc vsum idonea sunt ferrum, aurum, argentum, æs, chalybs: quæ nõ nihil tamen effectibus differunt. Sed quodnam præstantissimum ad hunc vsum? Auicenna fen. 4. 1. c. 29. simpliciter aurum omnibus alijs prætulit, propter nobilitatem substantiæ suæ; quia est temperatum & temperamẽto hominis proportionatum; quia mitius vrit, & vrendo confortat à proprietate. Denique, quia, vt inquit princeps 2. can. c. de auro, velocius sanabile est cauterium ex auro: ratio est, quia minus mutat temperamentum partis; cum habeat temperamentum parti proportionatum: tum etiã, quia vlcera ab auro facta nõ ita infistulantur. Nam, vt inquit Albuc. lib. 1. c. 1, cauterium ex auro non generat pus: &, ni fallor, dicit Dioscorides, quod cauterizatur cum cauterio auri, non generare vesicas. Denique pulchriorem facit cicatricem. addi potest & alia ratio non contemnenda; quia aurum cãdens minus terret ægrum quàm ferrum, quia color ignis non ita ostenditur in auro, sicut in ferro. Verũ Albucasis lib. 1. cap. 1. cauterium ex ferro præfert: rationem adfert; quia cum cauteriũ magis minúsve vrat, prout magis est ignitum; vt medicus præcisam faciat vstionem & securã, debet necessariò gradus

dus intensionis cauterij cognoscere; ij autem in cauterio ferri optimè distingui possunt, propter colorem qui in eo mutatur; in auro non item; eò quod color auri frigidi, & color auri candentis non distinguantur: secundò, quia aurum non bene potest igniri, sicut dicit Aristoteles 3 meteor. linea vlt. vnde si nimis parum ignitur, non satis vrit; si nimis multum, liquescit, & irritam facit operationem. Tertia ratio esse potest, quod, cùm aurũ sit substantiæ mollis, cùm ignitur, magis emollescit, & propterea cùm super ossa putrida cauterizatio esset faciẽda, cederet ac curuaretur, maximè cum instrumenta in hunc vsum facta, & cùm os foraminibus penetrandum est, debeant esse tenuia, & in styli formam. Addo quartam rationem, quia debet chyrurgus varia eiusdem generis instrumenta habere, magna, parua, crassa, tenuia; ex auro verò nimis essent pretiosa. Sed pro resolutione dico: primò, quod quia ferrũ durius est & in terrestri substantia essentiam suam habet, magisque ignitur ac fortius vrit; ideò in corporibus rusticis, in membris externis & ignobilibus, & quia etiam astrictionem habet, ad sanguinem sistendum, vbi fortis diuque hærens crusta est inducenda, cauterio ex ferro, minimè autem ex auro vtendum esse. Secundò, vbi certus gradus intensionis caloris & incandescentiæ præcisè sciri debet; non æs aut aurum, propter

pter colorē, sed ferrum sumendum esse. Tertiò, in corporibus nobilium principum aut teneriusculis dico esse auro vtēdum: nam hoc & eorum & medici magnificētiam decet, & cum tales timidi sint, non ita terrebuntur; quia non vident sic in auro ignitionem. Quartò, in particulis teneris, & delicatis, vt prope oculos qui & tenerrimi & maximè sensiles sunt; aurum est conuenientius; & quia minorem quàm ferrum dolorem infert, & quia ibi vnicè cauendum, ne vlcera fiant fistulosa; propter humiditates quæ facilè eò ob cerebri viciniam allabuntur, quod auri vis à proprietate cauet: in alijs quoque faciei particulis, palpebris, genis, vbi decor cutis seruandus est; aurum potius est, ob pulchram quæ ab illo relinquitur cicatricem. Quia verò, vt dictum est, cauterium auri nonnulla incommoda adfert, ideò ijs occurrendum. Nam vt vitetur sumptus & pretium, extrema tantum cauteriorum & noduli ex auro erūt, reliqua ex ferro, vel tota ex ferro, at nodi saltem deaurati. Vt non liquescāt, hac eadem ratione occurretur, si non aurei nodi, sed obducti tantū auro sint. Vt terminus ignitionis auri cognoscatur, expediet etiam nodum anteriorē aureum esse, reliquū ex ferro; nā tunc aurū sufficienter ignitū esse scietur, quādo ferrum quod auro proximū est, perspicuū fieri incipit. Differunt etiam cauteria ex ære & ferro: nam illa magis siccant & detergūt;

ideo

ideo præ alijs in vlcerũ vſtionibus cõmendantur: denique minus vrunt, quia, vt inquit Ariſtoteles 1.ſect. 36.probl.æs minus ſolidũ eſt ac denſum, quàm ferrũ, vnde minor calor, inquit, & vſtio: vulnera quoque ex ære facilius ſanantur, vt ibidem Ariſtoteles dicit; tum propter cauſam iam dictam: quia enim minor ab eo vſtio eſt, ideò, inquit, & facilior ſanatio; tum, vt inquit problemate 35, quia æs ſecum habet principia ſanationis, exiccationem opinor & deterſionem.

CAP. III. De actualibus ſolidis, quæ non ſunt ex metallis.

SVNT & alia præter ea quæ ex metallis fiunt. Halyabbas 9.pract. c.74. vtitur radice ariſtolochiæ longæ, & ea antiquos vti ſolitos eſſe ſcribit Albuc. lib. 1. c. 3. Razes lib. diuiſ. c. 124. & Albuc. lib. 1. c. 56. vtuntur ligno myrti humidi. Hippoc. lib. de morb. internis ſæpiſſime buxeis fuſis vtitur aut fungis, ad internorum viſcerum vſtionem: ſicut capite 20. 21. 27. 33. & alibi: Ægineta etiam fungoſa materia vti nõnullos dicit: etenim lib. 6. c. 49. aliqui, inquit, Iſcis appellatis vtuntur. Sunt autem hæc ſpongioſa quædam corpora in quercubus & corylis naſcentia; barbarisque vſitatam ait hanc vſtionem. De ſimili fungoſa materia ſcribit Aetius lib. 7. c. 88: cum tempora medullã

medulla ligni iuglandium inurit: qui modus, inquit, Isca appellatur. Alyabbas 9. pract. c. 77, in affectibus stomachi quosdam vstiones facere inquit, cauterio quercino spongiæ similitudinem habente: & sequenti capite cum ligno quercus ignito vstiones fieri repetit. Theophrastus libro de igne ligno viticis vrere solitos esse medicos memoriæ tradidit. Isaac 9. pract. c. 87. si versio bona est, cum lignis ilicis accensis vrere docet. Aetius tetrab. 3. serm. 4. c. 3. ex Archigene dicit, quod veteres struthij & aristolochiæ radice vrerent ischiadicos. Cælius quoque Aurelianus lib. 5. c. 1. chroniôn, dicit, quod antiqui vtebantur radice herbæ, struthij dictæ. Præterea & radicibus asphodeli, dracuntij, gentianæ, sarmento vitis, nucleo oliuæ, ligno quouis oleaginoso, oui cortice, pila crystalli, nonnulli vstiones moliuntur. Sed & alia his rarioris substantiæ video à medicis esse vsitata. Hippocrates lib. de affectibus, quem Polybo ascribit Galenus, lino crudo præcepit facere vstiones; & eum modum confirmat Herodotus libro 4. suæ historię, Lybię populos ad inustionẽ verticis puerorum suorũ pro præcauendis in posterum omnibus morbis vsurpasse dicẽs: verùm illi non lino sed oesipo ouillo ad hoc vtebantur. Et quidam Prosper Alpinus, qui in Ægypto aliquot annis est versatus, in libro quem de Ægyptiorum medicina scripsit, dicit hanc

cum lino crudo vrendi rationem ita ijs familiarem esse, vt alia nulla vtantur. Qui modus propterea non ita nouus & mirabilis videri nobis debet, quòd etiam & nos simili aliquando vtamur. Etenim vbi festinatione opus est, vesicas cucurbita cum flamma superposita aliquando excitamus: vt etiam Razes lib. de affect. iunctur. c. 25. fecit: cucurbitulas autem stupis intus accendimus, & lino crudo aut si volumus æsipo; quare hoc tunc meritò cauterium cum stupa deberet appellari. Aliud non absimile cauterium est, quod Albucasis vocat cauterium caprinum: cuius mẽtionem fecit Dioscorides lib. 2. c. 73, quod etiam fit ex lana, vnà cum stercore caprino sicco; quæ super partem imposita incenduntur & vrunt, quam vstionem Dioscorides Arabicam vocat: & huius stercoris quoque in hunc finem in Hippocratis onomastico meminit Erotianus. Sed & rariore adhuc materia cauterizatio fieri videtur. Cælius Aurelianus lib 5. c. 1. diuturn. varios enumerans cauterizationis modos; alij, inquit, vsque ad vstionem vaporibus ignitis vsi sunt: vnde & vaporibus calidissimis ex re ardẽte excitatis, & tam calidis, vt etiã vrendi ac torrendi vim habeant, cauterizatio fieri videtur. Huc & helioſis, quæ nihil est aliud, quàm per aerem quædam incensio & inferuida maris arena sepelitio, & in pellibus seruefactis ac ad candẽtes muros tostio, quæ par-

optesis vocantur, quibus præsidijs antiquos vsos fuisse scribit Cęlius Aurelianus, non immeritò videntur referenda. Hanc materiæ varietatem peperit & diuersitas corporum & scoporum quos medici intendunt: nam non omnia omnibus corporibus aut affectibus æquè conueniunt. Differunt hæ materiæ inter se præcipuè tantum raritate & densitate: quæ rariores sunt, minus vrunt; fortiùs, quæ densiores; ideo hæ ad magnas, illę ad leuiculas vstiones faciendas vsurpantur. Cauteria itaque quæ materia densiore constant ac metallica, valent ad putrida & serpentia, maligna vlcera, ad consumenda & exurenda maiora apostemata, ad sanguinem sistendum, aut vbi dura & fortis, siue crusta, siue cicatrix est ducenda: quæ rariore constant, locum habent in corporibus timidis, teneris, mulierculis, pueris; ad leues exustiones; ad siccandum tantum aut discutiendum; ad paruas fontanellas faciendas, ac prȩcipuè vbi pars profunditatem non habet, vt in abdomine; ad pustulas paruaque tubercula exurenda; ad pilos in palpebris cicatrice excludendos, similesque minutos effectus. Hoc declarat Theophrastus in lib. de igne: etenim dicēs, quòd medici ad exurēdos clauos ligno viticis vterentur rationē cur huiusmodi ligno vtantur hāc reddit: μαλακοτάτη γὰρ ἡ ἀπὸ τούτου θερμότης. Sic quoque Hippocrates lib. de internis affect. carnosas partes ferro,

osseas & neruosas fungis vrēdas monuit; quôd nimirū illæ profundas, hæ non nisi leues vstiones paterentur; eademque causa est, cur cum pro pectore aut super splene aut hepate facienda vstio est, legamus antiquos medicos fungis aut materia rariore, vt aristolochia, aut alijs lignorum particulis vsos fuisse; quia scilicet exigua abdominis spissitudo profundiorē à ferro non sustinet vstionem. Sed quorsum Hippocrates super coxam lino crudo vrendum esse voluit, si ad leues tantum vstiones rarioris materiæ est vsus? Etenim cum pars carnosa sit, ferro, vt ante dictum est, videtur vrenda, & cum humor profundè lateat, vehementi videtur vstione extrahendus: ideò Albucasis plurimis & fortissimis vstionibus super coxam vsus est, vt etiam circulum ferreum candentem plures alios intra se continentem applicârit. Sed verisimile est Hippocratem ibi tantum aut quandam exiccationem, aut leuem discussionem, aut roborationem, aut vesicationem instituisse; ad quod materia tam rara conueniebat. Verum talium cauteriorum vsus exoleuit, neque videtur etiam ad huiusmodi profundæ, superficiariæ, magnæ aut paruæ vstionis differentias, alia quàm ferri materia esse inquirenda. Nam etsi ipsum solidum sit ac densum; parum tamen aut multum, profundè vel in sublimi tantum, pro maiore aut minore incandescentia, pro alia atque alia impressio-

preſſione, vrere poteſt. Quod ſi tamen præter vſtionem, aliquam aliam qualitatem inſimul particulæ imprimere ſtuderemus; non abs re eſſet aliquando alia quàm metallica materia vti: tunc enim aut radices aut caudices ſiccos plantarum, aut fruticum ramos, aliáve, conſyderando ſemper talia eſſe debere quæ ignem concipere poſſunt, ſcopo noſtro accommodata, & vel parti alicui ſtudentia, vel ſecundam aliquam detergendi, aſtringendi, &c. vim habentia eligere poſſemus: quod etſi aliquando, non ſemper tamen antiquos obſeruaſſe notaui. Cur enim in coxæ vſtione magis ſtercore caprino quàm alia re vſi ſunt? non alia equidem ratione, quàm quod etiam ipſum in ſe abſque vſtione qualitates habeat, quibus ad articulorum dolores cõmẽdetur, & vel exterius tantum appoſitum iuuet; attenuando, diſcutiendo, penetrando, attrahendo. Ideo Albucaſis lib. 1. c. 12. in curatione maniæ, qui ſiccus eſt morbus; butyro potius quàm alia re ad vrendum vſus eſt, quòd ipſum præter vſtionem, humectandi vim qua pollet capiti communicaret; quod nullum aliud efficere potuiſſet. Si ergo aſtrictionẽ expetamus, ex ligno quercus, myrti, ſarmento vitis; ſi deterſionem, ex radice gentianæ, helenij, ariſtolochiæ, aſphodeli, & ſic de alijs, cauteria faciemus. Porro nunc de liquidis eſt agendum. Ea autem & minus commoda

sunt & periculosa: nam cum fluant, minus possunt contineri; & si agger quo circum muniuntur, eliditur aut finditur, effluunt & molestiam aut noxam adferunt, præcipuè si sit sulphur, aut plumbum: hinc puto esse quod ita rarum videam eorum apud antiquos vsum. Inter ea quæ ab ipsis vsurpata reperio, sunt plumbum liquefactum, oleum feruens, butyrum & aqua calens. Plumbo liquefacto vtitur Archigenes ad ægilopas 5. de compos. sec. loc. c. 1. & Albucas. lib. 1. c. 18. & Actuarius. Aquæ mentionem facit Albucas. c. 54: dicit enim clauos duplici ratione exuri: vel cum igne, vel cum aqua calente, quam per canaliculum infundit, sinitque diu hærere: nam clauus, inquit, eradicatur cum radicibus suis. Oleum feruens & apud Hippocratem lib. de internis affectionibus & alios, cum buxeis fusis, radice aristolochiæ, alijsque in eo intinctis applicatum, in frequentiore est vsu. Albucas. lib. 1. c. 12. pro melancholia cauterizat perfusione calentis butyri super caput, & cap. 22. cotum cum butyro feruente dentibus apponit. Hodie quoque fontanellas in teneris corporibus cum butyro, aut seuo aut aqua feruente specillo adhibitis vtimur; vt cutis ipsa leuiter aduratur. Isaac porro 9. pract. c. 85. dicit, quòd quidam incendunt gummi quod exit de quercu, & incensum ex alto stillando stomachum cauterizant.

CAP.

CAP. IIII. De causticis potentialibus ac primum de vesicatorijs.

NVNC de materia potentialium causticorum agamus. Caustica medicamenta in quadruplici sunt differentia: alia vesicatoria, alia cathæretica, alia septica, alia propriè caustica dicuntur; sub quibus continentur, quæ escharotica vocantur. Hæc inter se differunt calore & substantiæ modo; quare & effectibus differant, necessum est: actiones enim principia sua sequuntur, & pro modo efficientium effectus variantur. Eorum quæ actu ignita sunt, non omnia eodem modo agere perspicuũ est, sed alia debiliter, alia fortiter; provt intensiorem ignis gradum habent ac materiam densiorem; actiuitas enim & actus non tantum qualitatis gradum, sed & materiæ modum cõsequuntur: fortiùs vrit ferrum ignitum quàm accensa lana, & fortiùs, quod maiorem ab igne perspicuitatem acquisiuit. Idem in potentialibus est; alia intensiorem in prima mixtione caloris gradum acceperunt; alia, si non intensiorem, at saltem in solidiore subiecto. Hinc non eadem mensura excalefaciunt omnia; ex quo contingit secundarios quoque effectus non esse eosdem. Verùm & hi etiam ex alio fonte permutantur: nam quia etiam aliæ facultates cum calore coniunctæ sunt; ideò nequeunt eidem

effectus prouenire. Alium enim effectum calor præstabit in mixto, in quo simul astrigendi vis inest, alium in illo in quo vis attenuandi; illud sepcticum faciet, hoc verò escharoticum. Propter hoc itaque nonnulla attrahunt, alia rubificant, alia vesicant, colliquant, incrustant. Porro sicut diuersa actualia diuersos habent vsus, ita & potentialia: nam diuersæ medicamẽtorum operationes sunt in diuersos vsus: alio loco colliquantibus, alio incrustantibus est vtendum. De singulis horum peculiariter peragemus incepto à vesicantibus sermone. Vesicatoria latitudinem quandam continent, quæ terminos habet circa magis & minus distinctos: etenim eorũ alia sunt debiliora, alia fortiora. Nonnulla sunt, quæ superimposita cuti, eam tãtum in tumorem & ruborem attollunt, & calore, pruritu, morsuque afficiunt; & incendunt quidem statim, sed ita calida non sunt, vt eam vrant: hæc vocantur rubificantia, & intra terminos attractoriæ facultatis continentur: vt sunt dropax, sinapismus, &c. aliqua præterquã quòd rubificẽt, etiam tandem vrunt, & vesicam excitant: alia vesicam excitant per se, sed longa mora & quantitate superpositа, etiam cutem perrumpunt & exulcerant: & hæc ad causticorum infimam classim pertingũt, ac propriè vesicantia appellantur. Notandum itaque, quòd, vti dictum est, calor pro diuerso gradu diuersas

ſas promit operationes ſecundas. mitis calor rarefacit, mediocris diſcutit, inſignis attrahit, maior rubificat; inde veſicat, exulcerat, vrit, incruſtat. Mediæ facultates de extremis vtrinque participant: nam quæ in genere rarefacientium ſunt nobiliora, ea tum incipiunt diſcutere; quæ fortius diſcutiunt, etiam attrahunt: & quæ in horum termino ſunt, etiam veſicant, &c. adeóque extrema cuiuſque facultatis ſemper ſunt initia proximæ. Quapropter cùm veſicantia media ſint inter attrahentia & vlcerantia ſeu cauſtica, meritò vtrorumque facultatem participant. Quæ enim veſicant, inſigniter attrahunt & debiliter exulcerant: nam quæ ſic attrahunt, vt rubificent; longa mora & inſigni quantitate adhibita veſicant: & quæ veſicant, ſi non diu hærent, nec confertim apponantur, è contrà tantum rubificant: quæ vero veſicant, largè adhibita ſub veſica & poſt veſicam, vlcus relinquunt, carnemque colliquant. Verum tamen inter cauſtica, quæ veſicant omnium ſunt debiliſſima & illorum vſtio tantum ſuperficiaria eſt & in cute: in profundis autem locis non vrunt, ſed tantum attrahunt. Dubium autem an veſica potius tractione an vſtione generetur. Videtur autem vtroque modo contingere; ex quo vtraque in veſicantibus facultas elucet. Etenim cutis per vſtionem attenuatur, & caro ſub cute colliquatur, hinc cutis extenditur

& diſ-

& discontinuatur à subiecta carne, & quod colliquatum est, ex parte implet vesicam. Hoc ex eo apparet, quod sub vesica caro nonnihil exusta, vlcerata atque inæqualis relinquatur. Attractione porrò etiam vesica fit. Humor & serum ex internis partibus euocantur, euocata attenuantur, & aliqua parte caloris vi in halitum transeunt: hæc dum locum quærunt, inter cutim & cuticulam se insinuant, & sic cuticulam distendunt, diuellunt, & seipsis implendo, attollunt in tumorem; qui vesicula vocatur. Patet id in ijs qui ab igne aut ferro candente à longè vruntur: excitatur enim ipsis eueſtigio vesica aut bulla: igne nimirum subiectum humidum colliquante, & mutante in vapores; qui maiorem occupantes locum cutim separant & inflant. Videmus verò etiam remigando aut fodiendo eos qui tenerioris sunt cutis vesicas in manibus contrahere, quæ liquorem continent; cuius causa est, quòd ex illo motu & contritione calor quidam ibi insignis sit excitatus, qui cutim attenuauit, subiectum humidum fudit, aut ex profundis partibus eò attraxit; quod erumpens cuticulam elidit & disiungit. Etsi autem vesicantibus vtraque vis insit; maior tamen inest attrahendi, quàm exulcerandi: & propterea non tam vtimur vesicantibus ad exulcerandum (ad hoc enim septicis aut causticis

sticis potius vteremur) sed maximè ad extrahendum & fundendum humores : ideóque vbi insigniter trahendum est, & vbi in alto latent frigidi crassiáque humores, quos ad cutem trahi volumus, vt in antiquis articulorum capitis viscerumque omnium affectibus ; vesicatorijs propriè vtimur : nullaque re magis quàm attractione in morbis gratiam suam præstant. Oportet itaque attrahentium naturam examinare, si volumus perfectam vesicantium habere cognitionem, & in quo attrahendi vis consistat, consyderare. Notandum autem attrahentia duplicia esse : alia trahunt proprietate, de quibus hic non agimus : alia ratione caloris, quæ propriè attrahentia appellantur. Dicit autem Galenus 5. de simpl. medic. facult. & Auicenna 2. canon. tr. 1. cap. 4, &c. quòd attrahentia medicamenta sint insigniter calida & tenuis substantiæ. Attrahentia calida esse ex eo constat, quòd ideò trahant, quia calida sunt : calor enim est ratio tractionis ; tenuitas verò substantiæ non per se trahit, sed est causa adiuuans. Etenim quæ insigniter calida sunt, etsi crassarum partium sint, non ideò desinunt trahendi vim habere ; sicut videmus in causticis & escharoticis : sæpissimè enim tractione sua inflammationes excitant : verùm quæ tenuis substantiæ sunt, & simul valdè calida, ea propriè attrahentia habentur.

Hoc

Hoc probatur ex natura tractionis : nam quod trahit, debet ex profundo & longinquo ad se rapere : quæ autem tenuium partium sunt, ea tantum possunt, vt inquit Alyabbas, penitiùs vim suam ad interiora diffundere : denique quæ tenuium partium sunt, magis quoque attenuant & fundunt humores, humores autem extenuati & fusi melius attrahuntur, faciliusque poros penetrant, ac in sublime feruntur. Verum calor est ratio tractionis, & quæcunque attrahunt, propter calorem attrahunt, & ideo gradus tractionis gradus caloris consequuntur. Sunt autem attrahentium; alia mitiora, quæ secundum caloris gradum obtinent; alia fortiora, quæ ad tertium & vltra etiam vsque ad quartum ascendunt : nam & caustica omnia & escharotica etiam insignem attrahendi vim sortiuntur. Verum animaduertendum est, quòd ea quæ adurunt, non tantopere attrahunt, vt rubificantia & vesicantia', etsi fortius trahere debere videantur. Nam si ratio tractionis est calor; æquum est, vt quæ plus caloris participant, etiam plus trahant : verum id per accidens contingit; propter crassitudinem substantiæ quæ eis inest, propter quam nequeunt ita in profundum penetrare, quod ad attractionem est requisitum. In escharoticis quoque alia ratio est, quod nimirum statim incrustant & indurant carnem; ex hoc enim dupliciter attractio impeditur;

ditur; & quòd non possit facultas medicamenti penetrare, & quòd humores attracti repellantur quodammodo à duritie cutis, vt nequeant extra ferri, nec successione vnius in alterius, qui exiuit, locum euacuari. Sed operæ pretium est videre, quomodo attractio à calore fiat, & an fiat, & an per se, an verò per accidens: multa enim trahentia videntur non à calore hanc vim possidere. Dico autem pro solutione breuiter, quòd saltem calor non trahit per se: hoc probo; nam in ijs quæ extra nos sunt, nunquam videmus calorem trahere; quòd si per se traheret, vbique traheret, non enim differunt calores specie aut natura. illud in igne patet qui omnium est calidissimus; nihil enim videmus ab ipso trahi: nam neque ignis vnus alterum trahit, neque alias res calidas, neque humorem iuxta eum positum; neque vna res calida alteram iuxta se positam ad se trahit. Quod si ignis sursum est, humor deorsum; per accidens est, quòd humor ad ignem feratur: fertur enim, non quia trahitur, aut quia ibi ignis est, sed quia naturâ suâ sursum tendit. Etenim ab igne aqua in vaporem vertitur, versus vapor sursum ascendit: per accidens autem fertur ad ignem; quatenus accidens est ignem eò loci esse, ad quem vapor ex natura sua ferri debet. Si autem ad ignem traheretur; igne deorsum posito vapor descenderet: quod fieri non videmus. Quapropter impro-

impropria locutio est, cùm dicitur, calorem solis vapores è terra attrahere; tantum enim generat vapores, ipsi vero generati natura sua sursum feruntur: etenim & noctu vapores sursum feruntur, cum sol deorsum est. Sed dicet aliquis: videmus aliquando ignem vicinum aerem ad se rapere & quodammodo trahere: sed hoc per accidens est; non enim ignis aerem trahit per se, aut quòd ipse calidus sit, sed quia ignis leuitate sua sursum motus & variè impulsus, à subiecto vapore exeunte variè agitatur; in cuius locum necesse est fuga vacui aliquando circunstantem aerem succedere: Hoc autem in corpore nostro locum non habet. Dici etiam posset calorem vnum alterum extrahere similitudine substantiæ; & tractione accidentis trahi subiectum, in quo accidens inest: hinc fieri, vt calida exterius adhibita, extrahendo calorem sanguinis & spirituum, vnà trahant ipsa subiecta à suis accidentibus localiter indiuisibilia. Sic dixerunt nonnulli eos qui calido sunt hepate, frigido ventriculo esse: eò quòd hepatis calor omnem ventriculi calorem ad se trahat. Sed hæc falsa sunt; nam non est inter illos calores similitudo substantiæ, sed identitas specifica: eadem autem se mutuò non trahunt. Denique qualitatibus primis alterandi vis inest, non loco mouendi; & qualitates similes natæ sunt

tæ sunt se mutuo alterando intendere, non autem extrahere: etenim motiuæ qualitates sunt grauitas & leuitas, non calor aut frigus. Si duo ignes iuxta seinuicem positi sint, non videmus vnius calorem ab altero extrahi; aut vbi plura calida mixta sunt, mutuos educi calores, sed alterari. Quod si calida se mutuò traherent, omnes humores ad cor tanquam fontem caloris trahi necessarium esset. Verum quidem est, quòd calor externus interdum causa est, vt internus rei calor exeat; sed hoc quoque per accidens est: externus enim calor non eum extrahit per se, sed aliquo modo & remota ac per accidens causa est, vt ille educatur. Sic calor solis, aeris, consumendo humidum spirituosum, quod in mixto est, in quo rei calor fundatur; denique aperiendo mixti poros, causa sunt non rarò, vt calor cum vapore euolet; etsi eum minimè extrahant. Quapropter neque vnus calor alterum, neque vnum calidum alterum, neque calor per se & simpliciter trahit. Dico autem quod calor bene trahit per accidens; hoc præcedentibus exemplis ostensum est. Fit autem hoc in corpore nostro multiplici hac ratione. Primò, quatenus inducit quandam vacuitatem in partes, quibus applicatur, ad quam dum alij humores spiritus & sanguis feruntur; contingit, vt dicantur

tur eo trahi. Non tamen hic intelligendum est, quòd trahat fuga vacui, sicut cucurbitula sanguinem trahit: sed quod trahat successione quadam: in quantum natura consueuit partibus euacuatis, nouum semper sufficere alimentum. Secundò trahit, quatenus inducit dolorem in particulam; continuum soluendo, spiritus partis dissipando, & calorem natiuum ac temperiem particulæ destruendo: tunc enim ad particulam dolentem & affectam, vi quadam internis visceribus indita, calor, spiritus, sanguisque, quæ sunt naturæ instrumenta, tanquam in subsidium ad propulsandam rem noxiam mittuntur: & ad hoc insuper iuuat partis rarefactio & humoris liquatio, quæ ab ipso calore causantur. Nam etsi etiam frigida calorem ac spiritus & partis temperiem destruant; non ideò tamen attractionem faciunt: nam etsi forte natura eodem modo quoque in auxilium spiritus, sanguinemque mittat; tamen frigiditas illa, constringendo vias, humores incrassando, & obnaturalem cum spiritibus contrarietatem eos repellendo; tractionem impedit. Ex eo verò minimè sequitur, quòd natura aut humores intellectu ducantur: sed hæc est quædam vis naturæ vniuersalis, quæ omnibus rebus ineſt: quæ etsi intellectiua non sit, regitur tamen & indita est ab intellectu non errante & præuidente; ideoque forte hic motus non est animalis, sed

natu-

naturalis. Porrò manifestum est, quòd hic modus quo calor trahit, non sit vera tractio, sed impropriè: etenim calor actiuè non trahit, sed tantum dispositiuè: neque humores & spiritus ad partem veniunt tracti, sed pulsi; mouentur enim à natura eò, vel sponte & grauitate sua delabuntur. Ratione ergo successionis in hunc modum tractio fit. Calor medicamenti primum spiritus ac tenuem humorem qui meatus particulæ replebat, absumit; inde causatur quędam vacuitas & laxitas in poris membri; tum vis medicamenti vlterius penetrans etiam profundiores humores sic discutit & eodem modo poros ibi aperit, crassiores verò humores & viscidiores, qui ibi sunt, attenuat, liquefacit, fundit; illi fluidi & tenues facti in inanita spatia & laxiores poros delabuntur, & ab interioribus ad exteriorem cutis superficiem rapiuntur. Horum quæ mitiora sunt, solum hærentes in proximè subiecta particula humores extrahunt per diaphoresim: quæ validiora, sanguinis etiam massam mouent, & copiosè sanguinem & spiritus attrahendo, rubificant, attractum humorem calore suo acrem reddunt; qui tum acredine & pruritu mordicationem efficit: quæ fortissima sunt, etiam tenuiores humores & flatus extra corpus trahunt; qui egredientes dum cuticulam peruadere non possunt, eam secum ducunt exterius & attollunt in bulam: quæ tum vel ten-

sione vel vstione attenuata, acrimonia eius quod in ea continetur; disrumpitur. Trahentium, inquit Auerroes 9. colliget c. 18, alia trahunt calore innato sibi, alia acquisito per putredinem; huius generis sunt fermentum & stercora. Simplicia vesicandi vim habentia sunt hęc: anemone, nicotiana, struthium, nasturtium, thapsia, radix cyclamini, radix narcissi, pyrethrum, dracontium, tithymallus, helleborus, anacardus, pix, sinapi, sulphur, euphorbium, lepidium, radix scyllæ, bryoniæ, pes coruinus, radix ranunculi, apium risus, lac ficulneum, nitrum, alumen plumæ, fimus columbinus, caprinus, fermentum vetus, cantharides, sapo, calx, &c. ex his composita fiunt vario modo. Interdum fiunt ex ipsis herbis vrentibus contusis, vt ex ranunculo, flammula iouis, lepidio, allio, &c. per se contritis & sic superpositis, interdum cum aceto, oxymelite, aceto scillitico; interdũ his etiam fermentum additur; interdum herbæ siccatæ & in puluerem redactæ. Cõmuniter verò cantharides fermẽto excipiuntur, vel sapone vel cerato, pane, pulpa caricarum, melle simplici vel anacardino; & cum aceto scyllitico, lixiuio, conformantur in pastam. Hic pulueres ipsi, vt euphorbij, cantharidum, sinapi, flammulæ, scordij, &c. sunt ipsum agens: acetum additur, tum ad adiuuãdam actionem sua tenuitate, vt medicamẽti vis melius ad intima deducatur;

tum

tum etiam, vt corrigens acrimoniam & malignam eorum qualitatem. Quæ vero materiæ vel excipientis vicem gerunt, ea quoque ad vim causticam mitigandam adduntur, magis minúsve, vt fermentum: quod ideò quoque hic singulare est, quòd emplastica vi calorem natiuum contineat ad medicamẽtum perfectius actuandum. Mitius est cum pulueres axungia, pane & cerato excipiuntur; minus, cum passulis & melle: fortius est cum fermento aut terebinthina: fortissimum, cum melle anacardino aut sapone; hæc enim tum non amplius corrigentis, sed adiuuantis & acuentis vicem gerunt, maximè si aceti loco cum lixiuio subigantur. Fiunt etiam vesicatoria ex fimo columbino cum aceto aut lixiuio, vel ex eodem cum succis herbarum dictarum; adiectis pulueribus euphorbij, nitri, cãtharidum, cum aceto scillitico. Communius est, quod vesicatorium ex cantharidibus appellatur; illud magis aut minus forte fieri potest. Si mite volumus iuuantis & excipientis dosis augenda est, vt panis, fermenti, &c. minuenda cantharidum & puluerum. Fortius est cum tantum cantharides fermento miscentur; minus, si pro parte cantharidum tantum euphorbij ponatur; minùs adhuc, si sinapi. Proportio est, vt fermenti vel caricarum vnciæ vni cantharidum drachmæ quatuor aut quinque admisceantur. Pro scopi autẽ varietate licet in vtramque par-

tem varie excedere, vt in hisce formulis appareret; qualibus hodie neoterici communiter vti solent, quas apponere animi gratia libuit.

Rec. cãtha. Par. 1. sem. sinapi cõtus. Par. 3. pulpæ ficuũ aut fermẽti Par. 6. cũ aceto subigãtur.

Vel Rec. sinapis, piperis, euphorb. cãthar. an. D. 1. excipiantur melle anacardino vel sapone. Rec. sapon. Vnc. S. cãth. Dr. 2. salis. Dr. 1. Misce.

Vel Rec. mellis anacardini, succi pedis colũbini dicti an. Dr. 2. fermẽ. acris Vn. S. fiat massa.

Vel. Rec. canthar. Vnc. S. euphorb. Dr. 2. oxymell. q. s. fiat puls.

CAP. V. De cathæreticis.

CAthæretica medicamenta sunt, quæ insignem abradendi vim habent; ita vt sordes ab vlceribus auferant, carnem putridam ac corruptam in ijs exedant, & cum fortiora sunt, etiam sanam, mollem tamen & supercrescẽtem, imò interdum etiam callosam exedant & colliquent. Hoc medicamenti genus fortius est rubificantibus & vesicãtibus, & multò plus habet de vi caustica, ac validius vrit. Hoc patet ex eo, quòd vesicantium vstio tantũ circa cuticulam sit, cathæreticorum verò etiam in ipsam carnem: verum minus fortia sunt septicis & causticis; etenim corrosiua seu cathæretica tantum agunt in mollem carnem & superficiariè & lentè eam tantum abradunt, illa verò

verò cutem & carnẽ duram & profundam consumunt. Verum fortiora cathæretica, debiliora sunt septica seu caustica & communi termino coniunguntur; vt vbi est finis cathæreticorum, sit initium causticorum & sepricorum: & multa sunt, quæ nescias an cathæretica an septica sint: & nõnulla aliorum faciunt operationem, mutata quantitate, mora actionis, mixtione aliorum, dispositione agentis. Sic quæ in molli corpore septica sunt, in duro & sicco cathæreticam vim habent, & contrà. Cathæretica etiam ad modum calida sunt, vsque ad tertium caloris gradum, & calidiora quàm vesicãtia; verùm nõ ita subtilium partium: hinc est quòd cathæretica magis vrunt, sed non ita ex alto euocãt, verum habent terrestres quasdam particulas, quibus adhærent carni & abradunt. Verum distinguendum est inter cathæretica: nam alia sunt ad detergenda & mundificanda vlcera; alia reprimũt excrescentias quæ in vlceribus cõtingunt. Quæ excrescentias minuunt, alia id faciunt vi caustica, alia minimè: quæ vi caustica id faciunt, sunt cathæretica; & talia carnẽ quæ excreuit, colliquant, exedunt: alia id agunt vi astrictoria, frigida & sicca; & talia nõ exedunt carnem progenitam, sed gignendam reprimũt. etenim talia spongiosam illam carnẽ exiccant, & ex molli reddunt duram & minimè dilatabilem; ex quo fit, quòd non excrescat, sed inte-

rim cicatrix obducatur: quod faciunt ea quæ insignem epuloticam vim sortiuntur, vt galla, malicorium, alumen, plumbum, &c. quæ verò carnem genitam colliquant & exedunt, ea primum verè in causticorum genere sunt, & ratione caloris sui ac vstionis id præstãt: sicut quoque quę corruptas & putridas carnes abradunt. Verum quæ saniem & putrida vlcera vehementer detergunt cathæretica, non tam causticâ quàm insigni detergẽdi & exiccandi vi id præstant, & in genere detergentium sunt generosiora: vt muria, vrina, lixiuium, centaurium, bryonia, æs vstum, cineres multarum rerum detergentium, tum quoque ostreorum, conchárum, alumen vstum, sales vsti, radix cucumeris agr. scilla, &c. Quæ verò fortiora cathæretica sunt, ea vi ignea & calore suo, humidum primò quod est in particulis membri absumunt; hinc vacuitates quasdam in eas inducunt à quibus exasperantur; exasperatas crassitudine suarum partium cunei instar penetrando diuidunt, & diuidendo abradunt & applanant, sicque corrodunt: nonnulla quæ septicam vim imitãtur, venenata sua qualitate calorem particulæ oppugnando, eam putrefaciunt, tabefaciunt & colliquant; sunt autem cathæretica septicis viribus perquàm similia. Etenim Galenus 5. de simpl. medic. facult. cap. 15. dicit cathæretica esse de genere septicorum, sed differre tantùm

ab ijs;

ab ijs; quòd illa non ita profundè vim suã exerceant, sed tantum superficiem detrahant. Idem dixerunt Isaac secundo pract. cap. 21. & Halyabbas eodem libro cap. 17, sola debilitate cathæretica à septicis distinguentes. Cathæretica vsum habent ad sordida putrida depascentia & maligna vlcera detergenda & rectificanda; ad putridam & corruptam carnem auferendam; ad excrescentias, callos & quiduis adnatum, ac præcipuè ad ozænas, polypos, verrucas & minora tubercula auferenda. Præcipuè autem putres carnes abradunt; ad quod magis sunt vsitata, & eas abstrahunt sanis intactis, maximè si non nimis fortia sint: ratio est, quia putrida caro humidior est & mollior; hinc talis facilius corrumpitur & colliquatur; tum quoque quia calore natiuo est destituta: nam calor natiuus membri sani externo medicamenti calori resistens, non sinit ita facilè ipsum perire & dissolui. Fortiora autem, & sanas carnes & duras ac callosas etiam exedunt; & hæc sunt quæ ad septicorum gradum pertingunt. Porro cathæretica, cum tenuitatem acquirunt, aucto vel permanente calore; septica fiunt: & contrà cum hæc talibus miscentur quæ partes terreas habent, & nonnihil eorum calorem remittunt; cathæretica euadunt: acquirunt autem cathæretica tum vstione, tum mixtione tenuitatem. Miscentur cathæretica detergentibus, cum re-

tundi illorum vis debet aut horum acui; vt ad vlcera purganda quæ mitiora sunt: interdum cum septicis & causticis, cum vlcera sunt maligna & depascentia ac gangrænosa, vel cum aliquid in ijs supercrescens exedendum est; maximè si durum & callosum: interdum cum epuloticis; ad cicatrizandum in corporibus siccis & duris, vbi cicatrix non nisi fortissimis epuloticis ducitur; (mitiora namque cathæretica fortiora sunt epulotica, vt Galenus 3. methodi testatur) & in vlceribus, quæ ob excrescentem carnem non cicatrizantur. in ijs enim necessum est epuloticis cathæretica esse permixta: interdum astringentibus, sarcoticis, &c. cum aliquid influens, quod vlceris curationem impedit, repellendum, aut cauitas carne est adimplenda. Quænam sit materia cathæreticorum, recensuerunt Oribasius 2. synops. c. 45, Paulus lib. 7. c. 12, Aetius lib. 2. c. 228, alijque. Sunt autem hæc: radix mercurialis, aristolochiæ, gentianæ, helenij, elaterium, cucumeris syl. radix, helleborus, asphodeli & hermodactyli puluis, cineres eorum quæ vesicandi vim habent, cineres erinaceorum, buccinorum, purpurarum, ostreorum, testaceorumque omnium, cinis ranarum, sal crematus, calcitis, misy, sory, sapo, lixiuiũ, æs vstum, ærugo, squama æris, alumen vstum & non vstum, asiæ petræ flos, lapis lazuli, sal ammoniacus, diphryges, fex vini, chalçantum,

auri

auri pigmentum, antimonium vsta, calx nonnihil lota, &c. Composita sunt vnguentum Apostolorum, Isis, Damascenum, Cerascos, Ægyptiacum, viridia illa medicamenta quæ habet Galenus 2. de compositione medi. sec. gen. vt viride Galli, hecatondrachmon, Epigoni, Pasionis, quæ satis mitia sunt ob exiguam æruginis dosim; pastilli illi famosi Andronis, Polyidæ, Musæ, Pasionis, de asphodelo, faustini, præcipitatum, &c. Plurima vide apud Paulum lib. 7. c. 12, Celsum lib. 5. c. 19, & 20. & deinceps, inter quæ sunt pastilli illi Heræ, Indæi, Iollæ, Timei & pastillus Pantolmius ad chyronia mala & maligna vlcera à Paulo descriptus. Modus componendi cathæretica artificialia est, vt ærugo, alumen vstum, calx, aliaque misceantur, cum succis absinthij, centaurij, sabinæ, apij, marrubij; & excipiantur melle simplici, rosaceo, scillite, vel cera, terebinthina, rosaceo, cerato myrtino: & æruginis ac causticorum partes ad terebinthinam aut mebsint, vt tria aut quatuor ad vnum. Mitius est cum rosaceum sumitur, minus, cũ cera, minus adhuc, cum mel aut terebinthina; fortissimum, cum medicamenta nullo excipiuntur, sed cum vino, aceto rediguntur in puluercs aut trochiscos. Si cathęretica cum oleis & pinguedine componantur, fiunt mitiora, ac præcipuè in sordido vlcere minimè illis, sed sapa, omphacio, melle, sunt excipienda.

Vim

Vim acquirunt maiorem si in æneo vase coquãtur. Quo dosis æruginis maior est, eò compositum est efficacius, & magis si ærugo cruda est, non vsta; quare vt Galenus 2. de compos. medicam. sec. genera, monet; pro corpore & mali magnitudine æruginis quantitas minuenda est vel augenda. Formulas nonnullas recẽsebo.

Rec. mellis scillit. par. 8. pulueris hellebori, sabinæ an. partem vnam, duas aut tres.

Rec. alum. vsti aut ærug. par. 1. mellis par. 4. cum aceto coquantur in vnguentum.

Varias formas tradidit Galenus 2. de compos. med. sec. gener. & 4. & 5.

Rec. æris vsti, æruginis vstæ, diphrygis an. Dr. 1. squamæ æris Dr. S. ceræ pinguis Dr. 10. oleo q. s. excipiantur.

Aliud Heraclidis Tarentini & Archigenis ad vlcera antiqua. Rec. squamę Dr. 1. ærug. ras. Dr. 4. excipiantur cum cerati myrtei Vn. 1.

Aliud Asclepiadis ad chyronia & difficilia vlcera. Rec. ærug. æris vsti an. Vnc. 1. alum. Vnc. S. ceræ. Vnc. 1. S. tereb. Dr. 6. olei myrtini Vnc. S. fiat vnguentum.

Andromachi ad dysepulota. Rec. ærug. squamæ æris an. Vnc. 1. ceræ. Vnc. 8. Misce.

Aliud eiusdem. Rec. lithargyrij Vnc. 9. calcis viuæ, æris vsti, thuris, therebinth. aristolol. rot. an. Vnc. 3. picis, ceræ, ammoniaci an. Vnc. 6. misce cum oleo.

Aliud

Aliud ad desperata vlcera Primionis. Rec. soreos Vnc. 3. alum. scisi. malicorij, calcis viuæ an. Vnc. 2. thuris Vnc. 4. gallę omphacit. tãtundem. ceræ Vnc. 15 olei veteris q. s.

Melinum ad nomas Andromachi 2. de cõp. sec. gen. Sãdarachæ Dr. 3. alum. scis. Dr. 4. thuris Dr. 4. myrrhę tantundem, gutt. ammon Dr. 18. ceræ Dr. 18. tereb. Dr. 6. axungiæ Dr. 2. Compone.

Cum excrescentiæ aut calloſa exedi debent, metallica sunt augenda, hisque septica causticaque adhibenda. Asclepiadis ad excrescentias. Rec. argenti spumæ lib. 3. squamæ æris, chalcitidis, ærug. rasæ an. Vnc. 8. aceti heminam, olei veteris lib. 18. Misce.

Eiusdem ad ozænas. Rec. alum, scisi Dr. 2. myrrhæ, sandarachæ an. Dr. 4. gall. Dr. 1. æris vsti tantundem: tritis vtere.

Psoricon Mesuæ quod medetur cancris, fistulis, putridis, depascentibus. Rec. lythargyrij argenti, ærug. an. Vnc. 1. terantur vno die in sole cum aceto acerrimo, omnia condantur vase vitreo, & quadraginta diebus sub fimo obruantur. Quæ vltra hæc sunt, quibus in vlceribus & excrescentijs nõ rarò vti necessitas cogit, nõ amplius cathæretica sunt: tale est quod habet Andromachus ad excrescentia vlcera, ex Sandarachæ, chrysocollæ, arsenici æqualibus partibus; sed de his nunc statim agemus.

CAP.

CAP. VI. De Septicis.

TErtio loco inter cauſtica ponuntur ea quæ ſeptica vocantur, Latinè putrefacientia. Ea quoque calidiſſima ſunt, & Galenus 5. de ſimpl. med. facult. ipſa inter cauſtica retulit, & ita calida eſſe dixit, vt ignis inſtar carnem colliquent. Magis autem calida ſunt veſicatorijs & cathæreticis, minus ijs quæ propriè cauſtica & eſcharotica appellantur; vti ex ipſorum operatione patet: etenim illis fortiora ſunt, hiſce minus. Veſicatoria cuticulam exurunt, cathæretica etiam carnem, ſed molliorem & ſuperficie tenus; ſeptica verò & cutim & carnem, non tantum mollem, ſed & duram & calloſam & quoque profundè exedunt: adeòque ſeptica medio inter cauſtica loco ſunt; vehementiora veſicatorijs & cathæreticis, debiliora cauſticis propriè dictis & eſcharoticis. Maximam autem cum cathæreticis in natura & operando affinitatem habere videntur, tum etiam veſicatorijs, minus vero eſcharoticis; illa enim colliquãdo vrere videntur, eſcharotica verò incruſtando: ex quo patet in his vrendi vim eſſe multò fortiorem. Septica tenuitatem ſubſtantiæ habere teſtati ſunt Galenus 5. de ſimpl. med. fac, Auer. 5. coll. c. 16, Iſaac 2. pract. c. 20: verum hoc reſpectiuè eſt intelligendum. Etenim ſeptica tenuioris ſubſtantiæ ſunt,

ſunt, quàm cathæretica, quia altius in vrendo penetrant; tenuiora quoque ſunt, quàm cauſtica & eſcharotica; alioqui etiam cruſtam facerent & æquè vt hæc vrerent. Ideò enim illa calidiora, quia terreſtrium partium; in craſſa enim ſubſtantia magis radicatur calor, quàm in tenui: nam propterea cauſtica cruſtã inferunt & magnum faciunt dolorem, Galeno teſte, quia craſſarum partium ſunt, ſeptica vero neutrum iſtorum, ob ſubſtantiæ tenuitatem. A veſicatorijs autem hæc ſubſtantiæ tenuitate ſuperãtur; alioqui æquè, vt illa, ex profundo traherent. Interim etſi in reſpectu illorum ſeptica tenuis eſſe ſubſtantiæ dicantur; non tamen in ſe conſyderata talia ſunt: omnia enim cauſtica ſubſtantiæ craſſitudinem habent. nam ſi valdè tenuem haberent, ſtatim eorum vis euaneſceret, nec ita durerent: quod Galenus 5. de ſimpl. med fac. 15. declarauit. Differunt porro ſeptica à maturantibus & ſuppurantibus maxima oppoſitione, etſi nominis habeant communitatem: id enim factum teſtatur Galenus non alia de cauſa, quàm ob ſymptomatis ſimilitudinem; quia videlicet ab vtriſque, & ſepticis & verè putrefacientibus nullo doloris ſenſu corruptio fit. Alioqui differunt efficiente & fine: maturatio & ſuppuratio fit à calore noſtri corporis, & à calore natiuo ſtudente materiam conuertere ad aliquam naturam, corpori noſtro, quantum

fieri

fieri poteſt, proportionatam; hæc verò quæ à ſepticis fit colliquatio, à calore fit medicamentorum & præternaturali, particulam ipſam deſtruente & corrumpente, & calorem natiuum extinguente: in calore autem extraneo aliquando putrefactio de neceſſitate ineſt, inquit Auerroes 5. coll. c. 16: ac propterea, inquit, putrefacientia appellantur; ex quo patet illa calorii noſtro ſimilia, hæc contraria eſſe debere. Verum quomodo ſeptica carnem conterant, operæ pretium eſt conſyderare. Galenus 5. de ſimpl. medic. facult. c. 15. Alyabb. 2. pract. c. 18. & Iſaac 2. pr. c. 20. dixerunt id fieri per colliquationem à magno calore, ſicut ab igne res colliquantur: etenim calor magnus res colliquat & colliquando humectat; ſummus aſſat & humidum omne confertim abſumendo exicçat. Sic in hecticis & acutis febribus à calore corpus colliquatur, & carnes ad ignem aſſatas in humorem ac pinguedinem reſolui & contabeſcere videmus. Probari id ex eo videtur, quòd cruſtam non generent, ſed carnes quaſi liquefactas, laxas & humidas relinquant. Fit autem colliquatio in hunc modum. Septica tatione tenuis ſubſtantiæ cum calore ſuo peruadunt, & diuidunt corporis particulas & diſcontinuant & reſoluunt partes humidas à ſiccis, ex quo fit, quòd compages membri diſſoluatur: & ideò cruſtã non generant, vt illa; ſed

relin-

relinquunt partem humectatam & tabidam. Sed aliam rationem videtur assignare Auicen. 2. canon. tract. 1. c. 4. Septicum, inquit, est cuius „ proprietas est, vt corrumpat complexionem „ spiritus peruenientis ad membrum & comple- „ xionem humiditatis membri eius cum reso- „ lutione; ita vt nequeat amplius permanere „ pars membri illius: & non peruenit ad hoc, vt „ adurat ipsum & corrodat & resoluat humidita- „ tem eius; imò dimittit in ipso humiditatem cor- „ ruptam, in qua agit aliud, quàm calor innatus, „ & putrescit. Sic & Auerroes 5. colliget c. 16. videtur velle plus putrefactione quàm colliquatione partes exedi. Certè meo iudicio non tam videntur septica calore, quàm potius maligna sua & venenata qualitate partes corrumpere: neque videntur eas colliquare, sed potius ad putredinem & sphacelum ducere. Etenim venenata sua qualitate & tota substantia spiritibus vitalibus infesta sunt, eaque sic inficiunt, vt intermoriantur: & vel fugiant, vel ineptum animæ in particula fiant instrumentum: inde calor natiuus in particula extinguitur, extincto pars putrescit, & humidum à sicco decedit, parsque humida, frigida, flaccida, emortua & decolor relinquitur. Cur dolorem septica non inferãt, sicut caustica & escharotica; rationem esse dixit Galenus & Haly abbas locis citatis, quòd minus calida sint & tenuis substantiæ:

quia

quia etenim minus calida sunt, ideò non tam confertim alterant sicut hæc, vehemens autem alteratio & cita dolorem infert: quia verò tenuioris sunt substantiæ, ideò facilè penetrant sine molestia; quod enim cum crassa substantia causticum est, id cuicunque se inserit partii stipitis ritu infixum excruciat. Sed melius fortè indolentiæ causa est maligna qualitas, quæ spiritus enecando sensum de medio tollit: vt in membris sphacelosis videre est. nam si à calore corruptio fieret, non posset ea esse absque magno doloris sensu, propter insignem continui, quæ contingit, solutionem. Quod de crassitudine substantiæ quæ stipitis infixi modo in particulis hæret, Galenus refert; vtique ridiculum videtur. Septica vsum habent ad vlcera putrida, depascentia, maligna: ad excrescentias, callos, tumores omnes, polypos, ozænas, corruptas & gangrænosas partes auferendas. Miscentur cum cathæreticis in molliore corpore, minore malo, in vlceribus; cum causticis & escharoticis, in malignis affectibus, præcipuè tumoribus, vt cancris, carbonibus. Valent etiam ad fonticulos faciendos, per se, vel cum causticis & escharoticis mixta: etenim & locum debilitant ac labefactant, ex quo maior ad eum fluxio fit & crustam non generant; quorum vtrumque in fonticulis est requisitum: sed & maiorem & profundiorem, quàm escharotica fontanellam

exca-

excauant. Verum vbi cruſta opus eſt, ibi ſeptica minimè conferunt. Quapropter in cauterijs quæ ad fluxum ſanguinis adhibentur, ſeptica locum minimè habent. Cæterum tamen, ſi cum eſcharoticis aut aſtringentibus aut terreſtrem ſubſtantiam habentibus miſceantur; eſcharoticam vim acquirunt. Septicorum materiam recenſet Oribaſius 2. ſynopſ. c. 44, Aetius 2. rei med. c. 227. Eſt autem hæc: auripigmentum, realgar, arſenicum cryſtallinum, ſublimatum, chryſocolla, pityocampe, dryopteris, aconitū, ſtercus columbinum, elleborus niger, cantharides, clematis, calx viua; denique cathæretica omnis materia, ſi illis vſtione aut tritura aut cum humida aliqua re acri mixtione, vt eſt vrina pueri impuberis, lixiuium acre, ſaliua, axungia acris, aqua ardens, tenuitas concilietur. Huc referuntur inter compoſita aqua ſublimati, oleum arſenici & trochiſci multi à veteribus & neotericis deſcripti; calidicus, fauſtinus, philadelphus, diachartou, de arſenico, de aſphodelo, de minio. Formulas aliquas præcipuas hic apponam, vt modus ſeptica componēdi inde eluceſcat. Leue eſt quod habet Paulus lib. 4. c. 35. quod inter cauſtica etiam referri poteſt, quod ex calcis viuæ & ſaponis nigri æquis partibus cum lixiuio componitur. Verum provt doſis ſaponis variatur, ita quoque vis varia eſt: interdum enim capiuntur partes æquales, interdum

pondus calcis, interdum econtra saponis pondus duplum est; quò autem saponis dosis minor est, eò remedij vis mitior existit: nonnulli salem gemmæ vel ammoniacum addũt cum modico opij.

Aliud Pauli ibidem. Rec. calcis viuæ Vnc. 1. fœculæ vini combustæ, nitri tosti, an. Dr. 2. minij Dr. 1. cinere lixiuij stillatitio teruntur; vbi mellis liquidioris crassitudo facta est, ter ferue-facito vt mediocrem consistentiam habeat: reseruetur vase vitreo: ad meliceridas, strumas, atheromata exurenda valet.

Aliud exedens validè citra rosionem eiusdẽ. Rec. squamæ æris Dr. 3. sandarachæ Dr. 2. veratri nigri tantundem, cum rosaceo vtitor.

Item efficax est hæc cõpositio eiusdem, Rec. calcis viuæ Vnc. S. chalcitidis, auripigmenti an. Dr. 2. misce, cum saliua fiat incorporatio.

Andromachi apud Galenum 5. de compos. med. sec. genera. Sandarachæ, arsenici an. Dr. 2. calcis viuæ Dr. 4. tritis vtitor: putrefacit, inquit, absque morsu.

Rec. arsenici crystalluni & citrini an. Dr. 3. risogalli Dr. 2. æruginis Dr. 1. S. opij. Scr. 2. cũ axungia humana fiat vnguentum.

Galenus habet hoc ad carbunculos: Rec. nitri rubei, arsenici, sandarachæ, chalcitidis, atramenti sutorij, diphrygis an. æqualiter, cum aceto læuigentur, & tritis vtitor.

Ad

Ad nomas Aſclepiadis apud Galenũ ibidẽ: Rec. ſulphuris viui, auripigmenti, ſquamæ an. Dr. 1. æris vſti. q. color exigit; arido vtitor.

Rec. calcis viuæ Vnc. 1. arſenici Vnc. S. ſaponis nigri Vnc. 2. incorporentur, vel ſic:

Rec. calcis viuæ Dr. 2. arſenici Dr. 6. tartari Scr. 2. puluerizata ſapone nigro ſubigãtur. Plura alia vide in Galeno ex cauſticis, ſepticis, cathæreticis, ad ozænas, polypum, &c. ex Aſclepiade alijsque antiquis, 3. de compoſ med. ſec. loc. c. 3. & apud alios. Plerumque autem hæc compoſita mixtam vim habent, nec diſtingui poteſt, quænam merè ſepticam, quæ cauſticam vim habeant; cum & ipſa ex varij generis ſimplicibus conſtent, & ipſamet ſimplicia ſæpe mixtam habeant facultatem.

CAP. VII. *De cauſticis propriè dictis & eſcharoticis.*

CAuſtica propriè dicta ſunt omnium medicamentorum calidiſſima & ſimul craſſiſſimæ ſubſtantiæ. Hoc teſtatur Galenus 5. de ſimpl. med. facult. c. 15. Auerr. 5. collig. c. 16, Auic. Iſaac, Alyabb. alijque. Dicitque Auerroes quod ſint craſſioris ſubſtantiæ quàm ſeptica. Hoc patet, quia ſunt omnium cauſticorum fortiſſima & maximè actiua: quòd ſi tenuitatem ſubſtantiæ haberent, non eſſent tantæ actiuitatis; eò quòd in materia rara calor

non possit esse tam actiuus. Actiuitas eorum ex eo indicatur, quod & cutem profundamque carnem, etiam duriorem, exulcerent. In hoc tamen genere causticorum nonnulla sunt quæ propriè escharotica vocantur; eò quòd crustam generent: & hæc sunt inter caustica omnium generosissima, & maximè crassarum partium, & ideò talia maximum in actione sua inferunt dolorem, carnemque incrustant: dolor enim indicat causæ agentis fortitudinem, & crustæ generatio quàm maximam vstionem. Etenim crusta fit propter duas causas, primũ propter magnum calorem; tum enim medicamenta non vlcerant sed assant, & summa vi prius humidum omne consumunt, quàm colliquent aut putrefaciant. Equidem calor externus paulatim agẽs & non fortis putrefacit, & facit humidum à sicco desciscere, non rectè gubernatum à calore natiuo; at verò fortis assat, quia humidum prius consumit, quàm desciscere à sicco possit: secundò propter substantiæ crassitudinem; propter eam enim medicamenta non penetrãt, sed vim causticam totam in superficie exercent, & ideò magis vrunt. Ad hoc iuuat vis astringendi quæ illam partium sequitur terrestreitatem; quæ, prę-terquam quòd poros claudendo, impediat ingressum virtutis, etiam particulas quæ vruntur coniungit & constringit, seruatque vnitatẽ: quæ vnitas, vti vlcerationem, quæ vnitatis quædam

solutio

ſolutio eſt, impedit; ita incruſtationem promouet. Cruſta porro iam incœpta fieri vlterius cauſæ vicem gerit ad ſui ipſius generationem: etenim ſoliditate ſua non tranſmittit vim remedij, ſed facit vt ea tota in ſeipſam conuertatur. Hęc partium craſſities in cauſa eſt, cur niſi prius cutis diuiſa aut abraſa ſit ope eſcharoticorum, difficulter profundam fontanellam poſſimus excauare. Ex quo patet, quòd, etſi non ita profundè eſcharotica vt ſeptica vrant, non minoris propterea in agẽdo virtutis aut actiuitatis eſſe, quàm illa: id enim tantum per accidens, propter aſtrictionem & partium dictam craſſitudinem, contingit. Cur autem cauſtica & eſcharotica maiorem alijs cauſticis inferunt dolorem? ratio eſt: primò, quòd ſint fortiora & minus proportionata temperamento noſtri corporis: ſecundò, quòd non, vt ſeptica, putrefaciendo maligna qualitate à qua ſenſus obtunditur & ſpiritus necantur, ſed calore ſuo & igneitate operentur: tertiò, quia humidum intus contentum reſoluunt, & attenuant in ſpiritum & aëream ſubſtantiam, quæ cum ampliorem locum & exitum quærat, & tamẽ propter cruſtam à qua includitur, nequeat penetrare; pungit & diuellit partes, inſigniterque continuum ſoluendo dolorem infert. Galenus etiam id fieri dixit ob ſubſtantiæ earum craſſitudinem, quę nequit penetrare, ſed intra particulæ poros hæret & ſti-

pitis instar infixa dolorem excitat. Caustico-
rum & escharoticorum vsus est ad fontanellas
excauandas, ad vlcera maligna, depascentia,
putrida, gangrænosa, & quæ mitioribus vt ca-
thæreticis & septicis non cedunt, ad tumores
duros, venenatos, cancrum, carbonem & quid-
uis excrescens, exedendum; & præcipuè in du-
ris corporibus. Porro vbi specialiter crusta in-
ducenda est, vt in sanguinis profluuijs, propriè
escharotica vsum habent. Talia, inquit Galenus
5. method. c. 4, & Aetius lib. 14. c. 52, sunt, quæ
astringendi vim sortiuntur; talia enim duram
diuque hęrentem crustam inferunt, vt chalcitis,
mysy, chalchãtum: quæ enim, inquiunt, ex cal-
ce viua & auripigmento conficiuntur, his qui-
dem vehementiora sunt, sed non faciunt duras
crustas, cùm non astringant. Cum varijs escha-
rotica & caustica miscentur: cum septicis, cùm
profunda crusta est inurenda; septica enim te-
nuitate faciunt causticam vim penetrare, quod
& in fonticulis inurendis, & nonnunquam e-
tiam in sanguinis profluuijs vsu venit. Cum ali-
quid exedendum est, septica, caustica & escha-
rotica inter se miscentur; quia mutuò vires com-
municant & augent. Cathæretica septicis mis-
cemus, cum praua vlcera, gangrænosæ & putri-
dæ partes, exurenda sunt: astringentia & eschai-
ma, in sanguinis profluuio: sarcotica, cùm eo
tempore quo crusta hæret, caro est aggenerãda.

Vruntur

Vruntur interdum escharotica aut vsta crudis miscentur; ad crustam, crudis; ad exedendum, vstis est vtendum: cocta quoque crustam infirmius contrahunt. Causticam materiam recensuit Oribasius 2. synops. c. 48, Celsus lib. 5. c. 7. & 8, Aetius lib. 2. c. 231. est autem hæc: chalchantum, calcitis, mysy, sory, calx viua, tartarus seu fex vini & aceti recens & vsta, euphorbium, ærugo, allium, lac tithymalli, sapo, cantharides, sal amoniacus, eruca, chelidonium, adeps rubetæ, pyrethrum, piper nigrum, sinapi, thapsia, lepidium, anemone, flammula, radix aspodeli, ranunculus, vterque helleborus, stercus lacerti, columbinum, &c. Inter composita sunt lixiuium ad crassitiem coctum, aqua fortis, oleum vitrioli, sulphuris, præcipitatum & nonnulli pastilli, de quibus capite nono mentionem faciemus. Ex his composita attificialia, quæ ruptoria vocantur, quibus & fonticuli inuruntur & hæmorrhagiæ sistuntur, & praua vlcera, & difficiliora apostemata, præcipuè in duris corporibus exuruntur, fiunt in hunc modum.

Recipe calcis viuæ, saponis, an, part. æq. misce.

Rec. fimi columbini q. s. exiccetur, pulueri-zetur, & cum lixiuio coquatur in pultem.

Rec. sublimati Dr. 2. S. opij, lapidis hematitidis, cerussæ an. Scr. 1. S. cum vnguento populeo componatur.

Rec. lithargyrij, hęmat. vitriol. Rom. an. Dr. 1. S. argent. ſublim. Dr. 2. fiat puluis qui loco inſpergitur.

Rec. capitelli fortiſs. lib. 6. bulliant in lapidem. Vel:

Rec. capitelli lib. 4. chalchanti Vnc. 2. ſalis gemmæ Dr. 2. opij gr. 6. coquantur in pultẽ. vel

Rec. calcis viuæ q. ſ. cum capitello diſſolue addendo nonnihil opij.

Aliud, Rec. aq. ardentis ſeu aquæ ſaponis aut capitelli cuiuſuis fortis lib. 4. orizæ excorticatæ Vnc. 4. ponantur hæc in vitreo vaſe cum cera clauſo ad ſolem vel ad ignem, donec frumentum abierit in pultem: hoc diu ſeruetur, vt conſiſtentiam & ſpiſsitudinem acquirat: hoc inſigniter & ſine roſione vrit, & pauco tempore inducit fontanellam. Notandum autem, quod hodie communiter ruptoria cum lixiuio ſeu capitello fiant: cum autem lixiuium variè poſsit parari, & provt ipſum eſt, ruptorium quoque fortius aut mitius ſit; ideò tradam modum lixiuij componendi, eoque vtendi. Imprimis itaque fieri poteſt ex ſolis cineribus: tum autem, provt cineres ſunt aut mitiores aut acriores, ipſum quoque lixiuium variat. Mitiores cineres ſunt ex nucibus, fraxino, iunipero, ilice: ex ſarmentis vitium & fabarum ſatis acres ſunt: acriores ex quercu vetere, ex ficu, & caprificu: adhuc acriores ex ſterçoribus animalium combuſtis,

boum,

boum, luporum, & ex herbis vrentibus dracontio, bryonia, ranũcula, &c: acerrimi ranarum in olla combuſtarum & magis viperarum. Quo eſt maior cinerum quantitas, eò lixiuium fortius eſt: poteſt pro communi lixiuio vna cinerum ad decem aquæ libras capi. Poteſt lixiuiũ ſolum ad ſpiſsitudinem coqui, vel addi poſſunt, quæ eius vim mitigent, vel quæ ſtimulent: ſi per ſe ſolum coquatur in ſpiſsitudinem, ſatis acre ruptorum erit: mitius, ſi cum oriza, frumẽto, pane inſpiſſatur. Communiter præter cineres calx additur ad lixiuium parandum; tunc acrius eſt, & magis, quò plus calcis; minus, quò plus cinerum ſumitur. communiter ſic fit.

Rec. calcis viuæ lib. 6. cineris ſarment. lib. 12 excipiantur ſimul aliquo magno receptaculo, quod in fundo habeat foramina, & in fundo præmittantur triticeæ paleæ, vt ſic cribretur lixiuium, ſicut mulieres parant lixiuium ad lauandum cum eo loco ſaponis; tunc ſuperinfundendo aquam, cineres percolentur, quam oportet feruentem eſſe, vt magis acre lixiuium euadat: talis enim magis, quàm frigida, igneas vires abluit; & cineres bene ſint vniti & coarctati, alioqui aqua leniter defluens non valde abradit eorum vim; infrà colatorium ſit vas aliud quod lixiuium excipiat: tunc quod deſtillat, eſt lixiuiũ ſaponis, quod ſeruari debet vaſe vitreo anguſti oris, &, cũ vſus exigit, eius aliqua quantitas

titas in lapidem concoqui. Illud lixiuium sic v-- nica transcolatione factum, fortius erit, si calx non immixta totis cineribus, sed in fossa in me-- dio cinerum factâ, contineatur. Fortius erit, si cum calce alia quædam caustica aut septica, vt vitriolum, sublimatum, tartarum vstum, sal al-- cali, aut ammoniacus, ponantur; fortissimum erit, si tum adhuc, quod stillauit, per nouos ci-- neres vsque ad tertiam vicem transcoletur. Si adhuc augenda vis est, loco aquæ calidus ali-- quis liquor, aut aqua caustica, aut decoctum a-- crium rerum, vt vinum maluaticum, aqua vitæ, aqua ardens, decoctum cucumeris asinini, cy-- clamini, ranũculi, flammulæ iouis, sumi debet. Factum quomodocunque lixiuium, vel solum adhuc coqui potest ad consistentiam, vel cum alijs causticis admixtis; quæ, quò in maiore dosi erunt, pauciora autem obtundentia aut corrigentia, eò ruptorium efficacius erit. Hæc est ratio faciendi magis vel minus efficacia cau-- teria ex capitello. Coctum iam in pultem lixi-- uium debet in particulas aut taleolas scindi, dum molle est; postea ab aëre induratur & la-- pidescit, debetque vase bene clauso & vitreato aut vitreo cõseruari, ne vis exhalet, & loco sic-- co, ne ingrediẽs aëris humiditas ipsum fundat, eiusque causticam vim remittat. Lapis ille sic coctus, vel solus applicari corpori potest, vel alijs mitigantibus, anodynis aut narcoticis vel

astrin--

astringentibus, cathæreticis, septicis misceri; aut si vis remittẽda est, aceto dissolui, rosaceo, adipe humano, porcino, fermento, pane, passulis, butyro, populeo excipi. Ponam nõnullos modos fortissima capitella & celebriora ex ijs ruptoria conficiendi.

Fallopius hoc habet. Rec. cinerum cali, quo vtuntur vitrarij, calcis nõ exti. an. Vnc. 16. chalchanthi. Vnc. 4. alum. vsti, fecis vini vstæ, salis ammoniaci, an. Vnc. 1. terantur simul & ponãtur in vase testaceo foraminato, & superinfunde aquæ primæ, ex qua fiunt sapones, tantum, vt emineat super cineres mensurâ quatuor digitorum. Hæc aqua cum exierit tota, eximãtur cineres ac pulueres, & imponantur noui vsq; ad tertiam vicẽ, & eandem aquam supereffusam sine transcolare: tunc sine eam coqui, vel in lutũ, vel in cinerem; si in cinerem, minus dolorifica erit, & minus valida, nam exiccatione subtiliores & ignei spiritus exhalant; si in pultem, validissima. Hæc, inquit, puls vel cum opio vel rosaceo aut populeo applicari poterit; vel fortioribus, vt sublimato, auri pigmento, chalchanto, vnà cum saliua, melle, sapone, misceri.

Hic lapis, inquit Fernelius, sesquihoræ spatio cutem penetrat: Rec. vitrioli vsti Vnc. 2. salis ammon. Vnc. 1. calcis viuæ, cineris è vini fæce, an. Vnc. 3. tritis omnibus affundatur lixiuium factum ex cineribus ligni ficus & tithy-

citide, chalcantho crudis, calce viua, quibus oportet admiſcere, quæ propriè iſchæma dicuntur, & quæ aſtringendi, & quæ etiam carnis generandæ facultatem habent; aſtringentia enim & ſanguinem ſiſtentia adiunguntur, tum vt cruſta durior & fortior fiat, tum vt ab ipſis quoque ex parte, ſanguinis ſuppreſsio adiuuetur; ſarcotica ijs admiſcentur, vt quando nunc cruſta eſt, quàm citiſſimè interim caro ſuccreſcere poſſit, antequam decidat. Hæc eſt ergo ea componendi ratio, vt ſi primò pulueribus ſanguinem ſiſtentibus malum non cedat, ijs eſcharotica aliqua addantur; ſi nec ſic euincitur, principaliter medicamentum ex eſcharoticis tanquam baſi, & principali efficiente concinnetur, additis aſtringentibus ſolum adiuuantis vicem gerentibus: poſteà cum tempus eſt vt cruſta decidat, eſcharotica cum ſarcoticis componantur: tandem à cauſticis abſtineatur, & merè ſarcoticis inſiſtatur. Aſtringentia & ſarcotica quæ ijs admiſcentur, ſunt: alumen, malicorum, ſanguis draconis, ſpodium, bolus, thus, ceruſſa, ichtyocolla, opium, galla, hęmatites, & excipienda ſunt aceto, aqua roſacea, albumine oui, vino auſtero, ſuccis herbarum aſtringentium, vt polygoni, myrti, plantaginis, &c. Prædictis eſcharoticis & aſtringentibus ad vehementiorem vſtionem, quæ horum admixtione non parum debilitatur,

tur, vtiliter tunc etiam aliqua insignia caustica aut septica adiunguntur: nam etsi talia per se vsui non conuenirent, cum ijs tamen admixta, eorum vim insigniter augent. Composita vsualia ad sanguinem, sunt imprimis pastilli illi polyidæ, pasionis, musæ, andronis, eò quòd astringentibus & sarcoticis constent; pastilli diachartiou, alijque plurimi, quos Galenus habet 5. de compos. med. cata. gen. & supradicta ruptoria, si cum enumerata astringentium materia misceantur. Recensebo aliqua ex antiquis singularia ad hunc vsum.

Razes lib. de antido. c. 25. calx inquit, cũ cumino & flos æris cũ albumine sanguinẽ retinet.

Efficacissimè sanguinẽ sistit & crustã inducit sine morsu, quod habet: Sandarachę, auripigmẽti, chalcitidis, an. Dr. 3, hoc, inquit Aetius lib. 14. c. 52, Ammonius chyrurgus vtebatur.

Sed eo efficacius, inquit, hoc est: Rec. chalcit. Dr. 38. atram. sut. Dr. 10. calcis viuæ, æris vsti, an. Dr. 6. mysyos, diphrygis, an. Dr. 5.

Galenus 5. de compositione medicamentorum nonnulla recenset.

Stypticũ à Terentio appellatũ est hoc: Rec. sãdarachę, mysyos, chalcit. alum. scissilis, an. Dr. 2. myrrhæ, squamæ æris, aloes, chalcit, an. Dr. 3. cytin, malor. pun, florum ros, gallarum, an. Dr. 4. succi acaciæ, Vnc. 1. malicorij, Vnc. 1. excipiuntur decocto myrtorũ ad dimidias redacto.

Sangui-

Sanguinem sistens Aphrodæ: Rec. calc. Vnc. 2. mannæ thuris, Dr. 12. terebinth. frixæ & aceto extinctæ, Dr. 12. trita insperguntur, vel cum gummi rediguntur in trochiscos.

Sanguinem supprimens Magni; Recipe mysyos, chalcanthi, an. Dr. 7. corticis piceæ, mānæ thuris, squamæ æris. an. Vnc. S. æris vsti, chalcitidis, an. Dr. 15. calcis viuæ, Vnc. 1. alij 5. gypsi torrefacti, Vnc. S. tritis vtitor.

Aliud Heraclidæ: Rec. malicorij acidi, Vnc. 3. alum. Vnc. 4. calcitidis, Vnc. 1.

Aliud Andromachi: Rec. calcitidis, Dr. 10., chalcanthi, Dr. 5. mysyos torref. Dr. 2. S. æris combusti, Dr. 1. læuigatis vtitor.

Datum Ario à Dioscoride Tharsæo sanguinem mirificè sistit: Rec. chalc. Dr. 8. mannæ, Dr. 16. contundantur, cribrentur, seruentur, & vsus tēpore gypsi crudi par modus admisceatur.

Plurima eiusmodi ad sanguinem sistendum in dysenteria, narium hęmorrhagia, vide in Galeno 9. de compos. med. sec. loc. & 3. c. 3. & simul alia caustica ad exedendum polypos, thymos, ozænas, & huiusmodi alios tumores.

CAP. VIII. *Qua ratione causticorum vis minuatur aut augeatur.*

AD perfectam causticorum vsurpandorum rationem requiritur, vt sciamus, quot modis caustica vis retundi ac infringi potest: qui enim

enim hoc nesciret, in eorum vsu sese multoties inueniret deceptum. Primum autem subiecti corporis & partis temperamẽtum & dispositio mutat effectus causticorum: agentium enim actiones pro patientium dispositionibus mutantur. In duro, rustico, senili, frigido corpore, in parte tali quæ duriorem cutim habet, minùs tardiusq; effectum suum producent, imò etiam speciem effectus variabũt. Multa aliquid poterunt in corpore muliebri delicato, puerili, calido & sanguineo, parte tenera, quod nõ poterunt in illis: ideò in illis fortiora sunt sumenda, vel maiori adhibenda quantitate, vel diutius in parte relinquenda. Quæ in duro corpore tantum rubificant, in tenero vesicas excitabunt; & quę in illo cathęreticam, in hoc septicam vim sortientur; & quæ illic tantum corrodent aut exulcerabunt, hic crustam facient. Secundum est, præuia corporis dispositio: multum enim refert an pars prius fomentata sit; an prius cucurbitulæ fuerint superpositæ, aut attrahentia vel rubificantia emplastra; an cutis prius scalpro abrasa, quod in duris corporibus, partibus callosis & cicatricosis aliquando facimus: quæ enim profundam abrasa cute fontanellam excauant, ea sæpe, si cutis integra permansisset, vix vstionis vestigium in eam induxissent. Multum etiam refert vt cutis non sit sordibus, pinguedine conspurcata, sed prius lota; nam

illæ ſummopere eorum impediunt actionem. Tertium eſt, medicamenti multitudo: quò enim plus materiæ ſuperponitur, eò actio maior eſt: nam etſi gradus intenſionis in agente ſit idem, in maiori tamen extenſione ſiue in multitudine materiæ, maior, quàm in paucitate actiuitas exiſtit. Si parum puluerisi cantharidum cuti inſperſeris, rubificabis; ſi copioſum, veſicabis: tandem etiam exulcerabis: idem eſt in reliquis cauſticis facultatibus. Quartum eſt, mora & diuturna actio; ſucceſſiuè enim fit motus, & per media tranſitur in finem. Ignis quii carnem prius calefacit, morâ aſſat, tandem in cruſtam temporis diuturnitate conuertit; idem hic fit: veſicatoria primis horis rubificant, medijs veſicant, vltimis vlcerant. Cauſtica, quamcunque fortiſsima, parti ſuperpoſueris, niſi tempore aliquo ſuper partem hærere ſiueris, cruſtam nunquam efficient. Cathæretica, quæ primò carnem putridam abradunt, poſt etiam ſanam colliquabunt. Quintum eſt, ætas medicamentorum: ætas enim omnium rerum vires facultatesque immutat. Vitrioli genera recentiora ſunt fortiora; fermentum recens nihil trahit, antiquum vires ſuccumque in quo ignea vis reſidebat, perdidit; mediæ ætatis, & quod duorum menſium eſt, in ſuo genere eſt efficaciſsimum. Calx quæ adhuc continuatas partes habet, & lapidis formam ſeruat, vegeta eſt; cuius

cuius partes à se mutuò desciuerunt, & in puluerem abierunt (quod fit in illa quę aëri exposita permansit) eius vis auolauit: partibus enim discontinuatis vis ignea vndique cum spiritibus erumpit & exhalat. Hinc caustica omnia ab aere sunt defendenda, nam ipse congeneres & igneas particulas, quæ in medicamento sunt, quæque extrà feruntur in superficiem, sua tenuitate abradit & abluit. Sextum est, mixtio: etenim fortiora mixtione mitiorum mitigantur, & contrà acuuntur: sic vesicatoria mixta cum attrahentibus & rubificantibus, cathæretica cum detergentibus, septica cum cathæreticis fiunt mitiora. Caustica & escharotica cum sepcticis mixta, etsi minus caustica calidaq; fiãt, per accidens tamen ob tenuitatem & penetrandi vim quam hęc illis impertiuntur, fit, vt edant effectum præstantiorem: hinc ab escharoticis cũ sepcticis mixtis profundior fortiorque crusta, quàm à solis escharoticis producitur. Porrò quæcunq; alia medicamenta alterius facultatis, seu attrahendi, detergẽdi, reprimendi, sanguinẽ sistendi, dolorẽ sedandi, cicatricẽ ducẽdi, carnẽ generãdi, causticis, sepcticis, cathęreticis miscẽtur; ea semper causticã vim per se & simpliciter labefactãt & retũdunt, etsi fortè certã aliquam operationẽ quã causticis prosequimur, obtinere nos faciãt: nã etsi detergẽtia cathæreticis mixta melius sæpe faciant vt emortua caro exedatur,

quàm si solis cathæreticis vteremur, & cathæretica astringentibus & reprimentibus mixta commodius sæpe curent nonnullas excrescentias, quàm illa sola, similiterque caustica ischæmis & astringentibus iuncta melius sæpe sistant sanguinem & firmiorem crustam generet, quàm si ipsa sola per se fuissent adhibita; nemini tamen dubium esse debet, quin simpliciter ipsa vis vritiua labefactetur & remittatur. Ac propterea nonnulla detergentia pauca quantitate cathæreticis, vesicantia septicis, astringentia escharoticis mixta, bene roborant fortiorum vim, in quantum determinant eam ad certum effectum; sed si maiore copiâ adhiberentur, eorum vim diminuerent. Peculiariter autem, etsi multa causticis miscentur ob certos alios fines, aliqua tamen, tantùm ad retundendam eorum effrenem potentiam adhibentur: qualia sunt fermentum, panis, aut frumenti aliquod genus, oui pars, caricæ, passulæ, mel, axungia humana, vitulina, porcina, ceratum aliquod, vt rosatum, myrteum, cera alba, vnguentum rosaceum, de cerussa, populeum, opium, aqua rosacea, acetum: His enim solemus caustica excellentia temperare. Caricæ & passulæ communiter sinapismo adduntur; fermentum, acetum, phœnigmo; vnguentum populeum, opium, causticis: generaliter autem omnia pinguia, vrentia medicamenta retundunt. Ideò vbi fortiter exeden-

exedendum atque vrendum eſt, cauendum, ne cum pinguibus ipſa componãtur, potiusque in trochiſcos aut pulueres, quàm vnguenta concinnentur. Aliqua, præterquam quòd retundere queant, etiam vt particularem vim mixto communicent, cauſticis admiſcentur: & talia ſunt, modo epulotica, detergẽtia, diſcutientia, ſarcotica, aſtringentia. Septimum eſt præparatio medicamentorum: vſtione, coctione, tritura, lotione, cauſtica vis variè immutatur. Lotione omnia fiunt mitiora; abluuntur enim particulæ tenuiores & igneæ, & quę remanent, abluentis frigiditate remittuntur: minus, ſi cum aqua ſimplici, magis, ſi cum aqua roſacea, plantaginis, papaueris, ſolani; maximè, ſi cum aceto, lotio fiat, præcipuè ſæpius repetita. Eſcharotica vſta lotaque ita mitia fiunt, vt malignis vlceribus adhibeantur & epulotica euadant, atque etiam oculorum collyrijs adhibeantur. Coctura quoq; cauſtica vis euaneſcit, quia ſubtiliores partes euaporant; ſimulque vis aſtrictoria, ſi qua ineſt; eò quòd humiditas inde concilietur: hinc cocta eſcharotica, cadmia, chalcanthum, calcitis, cruſtam imbecillius cõtrahunt. Tritura primum tenuitas comparatur, tum in mitioribus cauſtica vis exacuitur: tunc enim particulæ omnes medicamenti vires ſuas exerunt, & facillimè à calore noſtro natiuo actuantur. Ita contuſæ herbæ tantum rubificãt,

tritæ in puluerem vesicant etiam & exulcerant: quanquam hoc & exiccationi, quæ calorem auget, ex parte sit ascribendum: cathæretica vsta tritaque in pollinem septicam vim adipiscuntur; vniuersimque quæ colliquant, attrahunt & in profundum penetrare debent, vt vesicatoria, septica, triturâ & tenuitate robur acquirunt. Escharotica verò & quæ in superficie vrere debent, & crustam ducere, exacta tritione redduntur minus accommoda: nam acquisita tenuitate, astrictoria vis quæ eis inesse debet, remittitur. Denique ad crustam requiritur, vt ipsa vstio diu duret; quæ autẽ exactè trita sunt, etsi penetrãdo magis videantur vrere & citiùs, tamen eorum vis de facili euanescit. Quod si longa nimis & exquisita tritura fuerit, valde destruit facultatem vritiuam; nam per eam igneæ partes exhalant. Docent nonnulli caustica sub sole die integro in lapide marmoreo terere, affundendo semper lentè nouum liquorem; quod ea quàm mitissima reddit. Propterea cum ita exactè teruntur, minùs quàm ante dolorifica sunt; quod est propter caloris diminutionem; tum etiam, quia crassiora, etsi tardius ad actum reducantur, quàm tenuiora, cùm tamen reducta sunt, fortius vrunt, & consequẽter maiorem inferunt dolorem. Vsturâ, quæ minorem calorem habent, vt rubificantia & vesicatoria, acriora fiunt & vehementiora, & exulcerant;

rant;quæ verò fortiorem,deperdunt: ratio eſt, quia in illis ignis actione ſua igneas quaſdam particulas, & ſic empyreuma quoddam relinquit, per quod eorum calor accenditur; in his igneas particulas, quæ ante erant, congeneres ſibi, educit: nam etſi etiam in ipſis tale empyreuma relinquat, non eſt tamen illud cum illa igneitate quam in prima ſua mixtione habebãt, comparandum: quapropter frigidiora euadant neceſſum eſt. Hinc eſcharotica & quæ propriè cauſtica dicuntur, vſtione fiunt mitiora. Porrò tenuitas vſtione paratur: ideò cathæretica quæ tenuitate à ſepticis differunt, eâ per vſtionem acquiſitâ, ſeptica fiunt; & eſcharotica ſubſtantiæ craſsitiem & terreſtreitatem deponendo, aſtringendi vim, quæ illam ſequitur, ad eorum naturam requiſitam, amittunt, & ducendis cruſtis inepta euadunt.

CAP. IX. *De cauſticis compoſitionibus magis famoſis.*

LIbet autem hic deſcriptionem celebriorum quarundam compoſitionum, quæ in vſu ſunt, commoditatis cauſa apponere: inter quas primum locum occupant famoſi & polychreſti illi paſtilli Andronis, Polydę, Muſæ, Paſionis, quos deſcripſerũt Scribonius Largus lib. de cõpoſ. med. c. 63, Galenus 5 de compoſ. med. ſec. loc. & etiam ſec. gen. c. 5,

Oribasius 4. de curat. morb. c. 127, Paulus lib. 7. c. 12, Celsus lib. 5. c. 20. & 6. ca. 14, Aetius lib. 8. c. 40. & 14. c. 50, Nicolaus Alexandrinus lib. de compos. med. descrip. 956. 958. 971, Auicenna lib. 5. sum. 1. tr. 8. Verum neque secundum ingredientia, neque secundum doses, omnium eadem est descriptio. Hæc autem communior est.

PASTILLI ANDRONIS. Rec. cytinorum, myrrhæ, alum. sciss, salis ammoniaci, an. Vnc. S. chalcanth. Dr. 12. thuris, aristol, gallarum, an. Vnc. 1. passo excipiuntor aut aceto.

POLYIDÆ. Rec. malicorij, fellis taurini, an. Dr. 6. myrrhæ Vnc. 1. alum. Dr. 5. thuris. Vnc. S. chalcanthi. Dr. 3. vino dulci, interdum austero excipiuntur.

MVSÆ. Rec. alum. sciſil, aloes, myrrhæ, chalcanthi, an. Dr. 6. croci, crocomagmatis, an. Dr. 3. cytinorum Vnc. S. mulso ex falerno excipiuntur.

PASIONIS. Rec. squamæ æris Vnc. 1. S. æris combusti, salis ammoniaci, alum. ærug. thuris, an. Vnc. 1. cum vino dulci, interdum austero fiunt trochisci.

FAVSTINI describūtur à Paulo lib. 7. c. 12, Aetio serm. 9. c. 49. Nicolao Alexandrino descript. 957: Verum in pondere variant: ita autē Aetius. Rec. chartæ vstæ, Dr. 30. calcis viuæ Dr. 25. auripig. Dr. 12. sandarachæ Dr. 6. in pastillos

ſtillos cum ſicco vel decocto baccarum myrti redigito.

DIACHARTOY deſcribuntur ab Oribaſio lib. 4. dè cur. morb. c. 127. & à Paulo. Rec. chartæ combuſt. Dr. 30, vt melius habet Oribaſius quàm Paulus, calcis, auripig. ſandarachæ, an. Vnc. 1. cum ſucco plantaginis fiant trochiſci.

PHILADELPHVS deſcribitur ab Aetio ſer. 9. c. 49. Rec. ſandarachæ, auripig. an. quadrantem, calcis viuæ, acaciæ, an ſexuncem: cum vino auſtero forma paſtillos.

CALIDICON deſcribitur à Raze 7. rei med. c. 5. Rec. calcis viuæ part. 1. arſenici citrini, chali, acacię, arſen. rubei an. partem mediam, cum aqua quæ vocatur prima terantur. Hæc ſic fit: calcis viuæ, chali. an. part. æqual. ſeptuplum ponderis ipſorũ ex aqua admiſceatur, & per tres dies recõdatur, quotidie tribus vicibus agitando, poſtea coletur & vtatur, donec fiat alchaol, & in ſole dimittatur, donec incraſſetur: deinde fiant ex eo trochiſci, qui deſiccentur.

ALCADICON deſcribitur ab Auicenna 7. 4. tr. 4. c. 9. ſic. Rec. arſenici, chalcanthi, floris æris, calcis viuæ, an. part. æq. Sed ita Meſue lib. de morb. c. de cura polypi. Rec. calcis viuæ, arſenici citrini, an. Dr. 2. chalcanthi, floris æris, alum. plumæ, an. Dr. 1. gallarum, acaciæ, balauſt. an. Dr. S. cum aceto in mortario æreo fiant trochiſci.

DE

DE MINIO describitur à Ioanne de Vigo lib. 8. in antidotario. Rec. medul. panis non cocti, bene fermentati, Vnc. S. sublimati opt. Dr. II minij Vnc. S. aq. rosac. q. s. fiant trochisci qui in clibano exiccentur.

DE ASPHODELO Rec. suc. rad. asphodeli, Vnc. S. calcis viuæ Dr. 2. auripig. Dr. 1. aceti q. s.

DE ARSENICO. Rec. arsen. rub. auripig. an. Dr. 2. calcis viuæ, Vnc. S. thuris, Vnc. 1. fiant trochisci.

PRECIPITATVM Ioannis de Vigo. Rec. salis nitri. Lib. 1. S. vitrioli Romani, alum. an. lib. 1. his per alembicũ destillatis, sume Lib. 1, argenti viui Lib. 1. iterum in vase vitreo destilla, donec vas rubescat: aquam sepones, & fracto vase argentum, quod supereſt, vstum erit & vocatur precipitatum. Vide & Euonymum & Quercetanum.

AQVA FORTIS. Rec. salis nitri, vitrioli an. Lib. 2. aluminis Vnc. 8. puluerizentur, & in cucurbita vitrea destillentur. Euonymus.

OLEVM VITRIOLI ac sulphuris huc referuntur quæ nõ eodem modo ab omnibus parantur, etsi tamen semper per destillationem. De his videndi sunt Euonymus, Andernacus, Mathiolus, Fallopius, Gesnerus, Quercetanus, Weckerus, alijque. Nos breuitatis causa eorum longam & variam compositionem omittimus.

LI-

LIBER TERTIVS.

De modo vtendi cauterijs.

CAP. I. De noxis quæ proueniunt â cauterijs malè adhibitis.

QVAM multæ à cauterijs rectè adhibitis vtilitates, tam multæ econtrà à siniſtrè vſurpatis proueniunt noxæ. Cum autem à valido agente neceſſariò extremi ſint effectus; ſicut eorum vtilitates ſummæ ſunt, ita & damnum irreſarcibile. Propterea oportet medicum & modum & tempus & locum & menſuram adhibendi huius præſidij quàm exactiſſimè callere. Quare de ijs ſcribere neceſſarium eſt: quod antequam faciam, paucis oſtendam, quænam illa incommoda ſint quæ à malè aut intempeſtiuè adhibitis cauterijs proueniunt. His enim cognitis, melius elucebit, qua ratione & induſtriâ ijs maximè ſit occurrendum. Sicut autem ſuprà dictum eſt de cauterij vtilitatibus, ita quoque hic de noxis eſt dicendum; alias nimirum per ſe, alias per accidens eſſe: aliæ vſtionem ſequuntur, vt talem; aliæ cruſtam, vlcus, cicatricem. Vſtionem omnem ſequitur inſignis in particula calefactio, propriæ temperiei deſtructio, continui ſolutio, & ex his neceſſariò inſignis dolor.

lor. Calor cum in interiora penetrat, partibus principibus intemperiem infert, humores intus fundit & exagitat, moti fusíque, vel rapiuntur in partes principes, faciuntque obstructiones, febres, syncopes, subitam mortem, apostemata, aliaque mala, pro natura partis in quam delabuntur; vel, quod minimum est, ab externis partibus debilitatis iam, calore doloreque affectis, tractio fit: à qua defluxus, tumores, maligna, putrida, serpentia vlcera, excoriationes, & tandem, cum particulæ calor à nimio humoris fluxu obruitur, non rarò etiam fœda & detestanda gangræna; idque maximè, si corpus cacochymum, minimeq; fuerit purgatum: sicut Aetius tetrabib. 3. serm. 2. præclarissimè admonuit. Quod si non præcisè certo loco, certa profunditate cauterium infligatur, sæpe arteriæ, nerui, venæ, membranę, glandulæ, aliæque partes comburuntur; à quibus dolores, sanguinis profluuia, & conuulsiones concitantur. Si cauteria potentialia sint, præcipuè septica; occultè venenatam suam qualitatem partibus principibus, maximè si non longè ab ijs ponantur, impertiuntur: & cantharidum vsum sanguinis mictio, difficile malum, & vesicæ exulceratio sequuntur. Taceo quòd & vicinæ particulæ, cum interius aliquid vrendum est; vt cum in ore, lingua & labia; cum ægilops, oculi; cum hæmorrhoides, intestinũ aut musculus sphyncter,

facile tangi vriq́ue non ſine magno dammo poſſent, cum ſe æger mouet, vel chyrurgus tremulus eſt timore, ſenio, ebrietate. Sed quoque præ timore & horrore ignis nonnulli etiam in animi deliquium incidunt. Noxæ quæ per accidens cauteria comitantur non pauciores ſunt. Quàm damnoſum ſit, cum ratione cruſtę cauteriū eſt adhibitū, ſi ea probè facta non ſit, ſed aut nimis parua, aut mollis, aut decidua, ſatis docet Galenus 5. meth. c. 4. & Auer. 7. coll. c. 33. cum dicit, multo periculoſius tunc, quàm ante, ſanguinis profluuiū euenire, ob partem plus quàm ante excauatam & carne ſua ſpoliatam. Si cicatricis cauſa cauterium ſit inuſtum, & non debito loco ea ſit inducta, irreparabile malum eſt: ideò Hippocrates accuſauit ſui temporis medicos in libro de articulis, quòd cum in humeri diſlocationibus ſtuderēt vſtione articulū loco reſtituere, contraria quàm decebat parte inductis cicatricibus, ipſum magis è loco ſuo protruderent. A fontanellis multo plura proueniūt mala: nam ſi conſtituto & tempore & loco nō ponantur, materiā ad loca non conferentia ducunt, naturam à via ad quam vergebat, auocāt, aut humores noxios per & verſus partes nobiles trahunt: ſæpe ponuntur in loco, per quem nequit materia morbifica euacuari, vnde tunc loco noxij humoris bonum ſanguinem & alimentarium ipſiuſq́ue partis ſpiritus euacuant.

Idem

Idem etiam faciunt, cum diu partibus insident: nam contingit particulam refrigerari, naturales ipsius facultates labefactari, ipsam malè nutriri, gracilem reddi & contabescere, & ad actionē cui dicata est, obeundam, infirmam reddi: imò quomodocunque fontanellæ ponantur, etiam cum malis humoribus semper bonos euacuant, simulque vitalium spirituum non parum educunt, & semper particulam cui affiguntur, ob allapsum & confluuium prauorum & crudorum humorum, debilitant; adeò, vt & brachia ad motum & laborem & pōdera sustinenda, pedes ad itinerandum, saltandum, baiulandum, multò quàm antea ineptiores reddantur. Propter hanc spirituum euacuationem, corde refrigerato; fit, vt qui multas magnas & longo tempore fontanellas gestant, ad generādum inidonei fiant. Huc accedit, quod cum diu fonticuli gestātur, diuturnitate interdum malignitatem quandam induunt, callum ducunt, intemperiem contrahunt; ob quæ sæpe cum volumus ea sanare & claudere, minimè possumus. In clausione sæpe etiam incōmoda eueniunt: nam postquam natura iam multis annis assueuit cruditatum suarum per certam partem expurgationi, nō facilè desistit ab isto motu, sed continuò eò adhuc humores mādat; qui, si iter & exitū inueniant obturatū, ibi hærentes inflammationē inferunt, aut retrogressi, in partes nobiliores impetum

petum facientes, grauia inferunt mala. Adhæc & similia mala quæ propter imperitiam vsus & modi administrandi continguntur euitanda, deinceps de vtendi modo, loco, tempore, mensura sumus tractaturi.

CAP. II. *De modo vtendi cauterijs in generali.*

MOdus cauterizãdi desumitur ab ipsa cauterij natura, à materia, à parte in qua, & fine propter quem adhibetur. Ab ipsa cauterij natura pendent quatuor quæ in omni vstione attendenda sunt & facienda. Etenim cùm vstio omnis sit à calore, caloris verò sit attrahere, simulque partem debilitare, & dolorem inferre, ex quibus fluxio in membro fieret, & inflammatio & febris & gangræna; ad ea præcauenda indicatur, vt primò ante eius vsum membrum cauterizandum bene muniatur. Quia autem facta vstione vesica est aut crusta, quæ sunt quid corpori præter naturam, neque factæ ad permanendum in eo, sed propter aliquid aliud, adeoque vt pauculo tantum tempore durent; indicatur ea tolli debere, & crustam debito modo esse detrahendam. Ablata crusta semper necessariò remanet vlcus: illud siue aliquo tempore apertũ teneri debeat, vt cùm cauterio ad fontanellam vtimur, siue statim claudi, vt cum vtimur eo ratione crustæ aut cicatricis;

tamen

tamen semper apertum seruari non potest, sed aliquando necessariò est claudendum, & hinc tertia actio indicatur, quæ in vlceris consistit clausione & cicatrizatione. Atque hæc tria necessariò in omni vstione circa modum vtendi veniunt consyderanda, vt debito modo & industria fiant. Quartum est, vt symptomatibus, si qua forte vel negligẽtiâ, vel quòd vitari non poterant, occurrant; laudabiliter subueniatur. Quare in modo agendi hæc generalia sunt & à natura cauterij indicata: vt pars muniatur, crusta detrahatur, vlcus claudatur, symptomata corrigantur; de quibus primo loco dicemus. Porrò ipsa ignis materia etiam indicat modum vstionis: aliter est vrendũ caustico, aliter igne actuali; aliter ferro, aliter ligno; aliter cauterio solido, aliter liquido. Pars quoque quæ vritur, variat modum: aliter vrendi oculi, aliter cerebrum, aliter os, aliter caro, aliter venter, caput, crura, pedes; aliter profunda, aliter cutanea particula; aliter nobilis, ignobilis, venas, arterias, neruos habens, aut ijs carens. Sumitur etiam modus vrendi à fine: alius est, cum simpliciter ad calefaciendum, siccandum, discutiendum, trahendum; alius, cum propter crustam; alius, cum propter vlcus; alius, cum propter cicatricem cauterium adhibetur.

CAP.

CAP. III. *De modo muniendi partes, ac primum de medicamentis repellentibus.*

DVplex est modus muniendi partes: vnus est, vt vicinæ particulæ, quæ circunstant membrũ vrendum, & vri non debent, ab aliqua re ita tegantur, vt ipsum cauterium, si forte tremula esset chyrurgi manus, aut corpus ægrotantis inquietum, eas tangere aut vrere non possit: vt si ægilops exuri deberet, caueamus vt oculus ab igne non lædatur; si dentes aut vuula, ne ignis vis ad linguam labiaque sana perueniat. Alter modus est, vt pars ipsa quæ vritur, & quæ circunstat ita temperentur contraria qualitate, vt non nimis incalescãt aut doleant, sicque nimis debilitentur, & fluxui obnoxiæ euadant. De hoc primò agemus. Fit autem per medicamenta repellentia & astringentia parti superposita, quę frigore suo expellant calidam intemperiem, & sic dolorem à calore causatum sedent, & astringendo, humores defluentes excludant ac repellant. Primò itaq; antequã vstio fiat, semper locus eiusmodi medicamentis est contegendus; præcipuè si insignis, aut in parte magnas venas habente, aut aliter fluxioni obnoxiâ sit: si vstio vel leuicula sit, aut corpus frigidum aut non valde plethoricum, aut pars remota, aut aliter non periclitans de affluxu, non est tunc ita anxiè ijs vten-

dum. Sed exceptio est, cùm ad ictus aut tumores venenatos cauteria adhibentur: nam tunc non oportet vlla repellentia adhibere, nec curandum an fluxio aut inflammatio in partem feratur, nec ne. Hoc testatur Dioscorides lib. 6, c. 38. qui adhibens cauteria ad ictus venenatos, vult vt vlcus sordidum maneat, & simul inflammationem minans: etsi enim inflammatio per se mala sit, quatenus tamen fluente humore ad externa cauterij loca, vna rapitur venenũ quod educere volumus, ac intus vergere impeditur, est salutaris; & melius eam est fieri quàm non: & propterea tunc loco repellentium solemus potius attrahentia applicare. Repellentium varia sunt genera: alia frigidos, alia calidos humores repellũt; de illis nos hoc loco non agimus: nam cum tractionis causa hic sit vstio, calor ac dolor, quæ etiam causæ momentaneæ sunt; tantum calidorum humorum, & qui citò fluunt, bilis nimirum sanguinisque affluxum metuimus. Horum alia propriè, alia impropriè repellentia sunt. Impropriè repellentia sunt, quæ quocunque modo fluxiones reprimunt; hoc fit vel comprimendo vias tantum, vel humores incrassando, vel partes roborando. Propriè repellentia sunt, quæ frigida sunt & simul astringentia & terrena, crassaque substantia constantia: talia enim frigiditate humores incrassant, & occursu frigoris sui, tanquam contrarij,

trarij, calidos humores hærere & sistere faciunt; calorem, qui plerumque fluxionum causa est, obtundunt, astrictione verò partes roborant & vias constringunt, & humores influxos exprimunt retrorsum. Impropriè repellentia sunt, quæ alterum istorum habent; vel astrictionem & terream substantiam tãtum sine notabili frigiditate; vel quæ notabilem habent frigiditatem sine manifesta astrictione. Quæ astrictione pollent, locum habent, vbi multorum & crassorum humorum metuitur influxus, & vbi pars laxior ac sine manifesto calore existit; quæ frigiditate, illic vbi tenues calidi acresque humores, & vbi pars recipiens ab insigni calore est debilitata. Quapropter cum in hoc casu calor dolorque fluxionis causa sint, & influxus calidorum humorum & subtilium timeatur, non tam astrictionem quàm refrigerium puto requiri: &, etsi ea omni scopo satisfaciant, quæ propriè repellentia dicuntur, quæque & insigni frigiditatis & astrictionis vi prædita sunt; tamen & ea quæ impropriè repellentia sunt, vt quæ solum impensè refrigerant; hoc loco abundè satisfaciunt: præcipuè eo tempore, quo adhuc fluxio nulla actu fertur: ad solam præcautionem. Quod si verò iam humores actu ad locum cauterizatum fluere videantur, tunc magis ea quæ simul astringendo id quod fluxit, exprimant & reuerti faciant, requiruntur.

Porrò pro magnitudine vstionis etiam ratio repulsionis est ineunda: si leuiculè cutis inurenda oleo aut aqua feruente, aut vesicatorium tantum inducendum, aut tenui alibi specillo pustulæ poríve cutis tangendi lignea rarâve materiâ; nullis ibi repellentibus opus erit: minúsque in corporibus purgatis & mundis. Sit fonticulus vrendus, mediocriter repellentibus vtendum; etiam linteum solâ aquâ aut aceto imbutũ sufficere potest. Si profundè penetrandum aut diu cauterium super partem sit tenendum, aut ipsum ferreum sit, candens, latũ, quod aut iteratò aut plures crustas vrere debet, maximè in corpore cacochymo, plethorico, calido, in parte antea sæpius malignis & acribus fluxionibus infestatâ, neruosa, venosa, per se debili, vt cum ad partes amputatas cauterizãdas, ad fluxum sanguinis, gangrænas, putredines exurendas latè serpentes eo vtimur; fortioribus, repellentibus, simul astringentibus, binis terniscque supra seinuicem positis, etiam niuea, vt Auicenna lib. 3. fen. 3. tr. 2. c. 15. testatur, frigiditate imbutis, suprà & ante partem positis, ac sæpiùs in die repetitis, etiã diebus aliquot ante vstionem, anxiè est insistendum. Quod si locus vrendus valdè sensibilis sit, ex re erit etiam narcotica repellentibus admiscere. Vstione facta, anodyna repellentibus sunt admiscẽda; vt sunt farina hordei, fenigreci, panis in aqua rosata lotus,

tus, muccago seminum cytoniorum, psyllij, vnguentum rosaceum, albumen & vitellus oui, axũgia porcina, medulla ceruina, vitulina: paulatim autem, vt periculum fluxionis euanescit, repellentibus crustas detrahentia sunt admiscẽda; quorum ita paulatim dosis est augenda, vt repellentium tandem penitùs omittatur. Vtrique autem scopo satisfaciunt prædicta, & ob facultatum illarum similitudinem, plurima vtrique possunt inseruire: sic rosaceum cum vitello oui, & repellet & anodynum erit, & crustas optimè detrahet. Ita patet pro rei necessitate repellentia variari; interdum quæ tantùm refrigerent, magis minúsve; interdum, quæ cum frigiditate astrictoriam vim habent & anodynam, magis sunt sumenda: ita tamen, vt magis semper refrigeratoria, quàm astrictoria vis requiri censeatur. Repellentium varia seges est: aqua frigida, aqua rosarum, oxycraton, aquæ solatri, plantaginis, lactucæ, papaueris, portulacæ, semperuiui, aut herbæ ipsæ contusæ, aut earum succi, albumen oui, acetum, farina hordei, sanguis draconis, terra sigillata, bolus, cerussa lota cum aqua rosacea, cortices & flores granatorum, rosarum, oleum cum cerussa, cera alba lota cum rosaceo, ipsum vnguentum rosatum, populeon, de cerussa, de bolo, emplastrũ græcum, diapalma, diachylum cum opio, &c. Modus vtendi amodo vstionis, partis situ, & ipso-

rum repellentium natura desumitur. Vtimur interdum forma vnguenti, emplastri, cataplasmatis, pultis, epithematis, embrochæ; interdum pluribus simul. Partem vnguento repellenti circuminungimus, vt de cerussa, de bolo; desuper phœnicinum emplastrum ponimus, quod in medio foramen habeat, & nisi sit magna repellendi necessitas, hæc sufficiunt: alioqui adhuc desuper lintea duplicata, oxycrato, albumine intincta ponuntur, & insuper fasciæ aquæ simplici, rosaceâ, oxycrato imbutæ superligantur. Si pars circum nutrito illinatur, & desuper stupa cannabina aqua rosacea, albumine oui, aceto forti, succis plantaginis, portulacæ, semperuiui intincta, addito bolo, inducatur, & demum fascia ab oxycrato humida ligetur; id tum validè repellet. Generatim autem, forma epithematis, pultis, aut huiusmodi cataplasmatis, validiùs, quàm vnguenti aut emplastri repellit: olea enim, quòd ab igne inflammentur, ad repellendum sunt inepta, & ideò aquosæ potius, quàm pingues formæ sunt præferendæ. Celsus lib. 5. c. 28. & Aetius lib. 16. c. 47. partem folijs circum contegunt ad munitionem: quod cum facere volumus, plantaginis, vitis, nympheæ, lactucæ folia rectè id præstabunt. Aetius quoque lib. 7. c. 85. & Auicenna lib. 3. fen. 3. tr. 2. c. 15, spongiam aquâ niueâ infrigidatam oculo ad ægilopas vrendas superponunt. Albucasis

coto

coto albumine oui imbuto munit: alij liquoribus refrigerantibus partem perfundunt, aut ſpongiâ liquore frigido expreſsâ ſemper tangunt. Sic cum naribus cauteria adhibentur frigida ore retinetur: ſic funiculum qui in ſetone inſeritur ad eum finem albumine oui & roſaceo intingimus, antequam immittamus. Si in profundo vſtio facta eſt, nihil exterius apponitur, ſed repellens cum anodyno infunditur; ſicque fiſtulis aut oſſibus exuſtis primis diebus roſaceum cum albumine oui Vigo infundit. Si vuula cauterio exuſta eſt, gargariſmis ſimilibus locus eſt muniendus. Ægyptij, vt author eſt Proſper Alpinus, locum ferro frigido ſemper tangebant. Alij laminam plumbeam diu in aceto maceratam ſimili modo, foramen habentem, quod locus ſit cauterij, parti vnguento refrigerante prius vnctæ ſuperponunt.

CAP. IIII. De ratione muniendi per ferrea inſtrumenta.

ALter munitionis modus in eo conſiſtit, vt cauterium non incidat in aliam partem, quàm in illam, quæ eſt vrēda. Hoc fit interiecto inter cauterium & alias partes obſtaculo & quodammodo pariete, qui coerceat cauterium, & figat, ne huc illuc fluctuet, aut moueatur & impediat, ne ipſius calor

per ipsum ad vicinas partes diffundatur. Modus muniendi variatur, vel propter ipsum cauteriũ, vel figuram aut situm partis vrendæ: aliud munimentum conuenit cauterio actuali, aliud potentiali: aliud solido, aliud liquido: aliud quando locus qui vri debet est superficiarius; aliud, quando in cauitate aliqua aut profundo latet. In cauterio potentiali ita particula est munienda. Si formam pulueris habet, quia is non ita commodè & exactè in partem ægram inspergi semper potest, quin etiam bene pars eius in sanam incidat; vt hoc euitetur, debet per tubulum quendam insufflari: is enim defendet, ne inijciatur in aliam partem, quàm illam quæ est vrenda. Si formam solidi emplastri habet, quia id per se hæret neque defluit, munitione nulla opus habet. Si vnguenti forma præditum est, quia tale corpori applicatum à calore liquescit, & sic decurrit in partes alias, debet alicui rei includi à qua terminetur: optimè includitur cortici nucis iuglandis aut conchæ, aut emplastrum phœnicinum superponitur parti & pertunditur foramine, in cuius medio causticum & desuper aliud emplastrum phœnicinum & pòst puluinaria imponantur, quæ ipsum comprimendo contineant & stringant. Interdum tenuiter cum specillo adhibetur, & tunc munimento non eget. Cum in forma vnguenti internis aliquando partibus debet applicari, præcipuè

cipuè cum vuulam inflammatam cauſtico vrere volumus, inſtrumento quopiam cochlearis formam habente, quale infrà poſuimus ſeptenario numero notatum, eſt vtendum, idque vnguẽto implendum efficaciſſimo & in os imponẽdum, vt vuula in ipſum propẽdeat, & à cauſtico tangatur, ſicque vratur. Interdum tubulo aut fiſtulæ ipſum indimus, quòd extremo ſui orificio vnguentum oſtentet, & ſic parti vrendæ ſuper ponimus: quomodo Paulus lib. 6. c. 79. vuulam & hæmorrhoidas vſſit. Aliqui neoterici pulchra inuentione chalcanthum in olla ad ignem fundunt & infundunt calamo arundinaceo, donec coaguletur; tunc interius calamum abſcindunt, vt chalcanthum extrema orificij impleat, ſicque imponunt tuberculo vrendo, & breui vrunt. Si cauſticum fuerit in forma liquida, vt cum aqua vitæ, oleo vitrioli aut ſimili vtimur, modus hic eſt: vt tubulus aut canaliculus argenteus, ferreus, ligneus, aut etiam calamus ſumatur & ſuper partem vrendam ponatur, ſic, vt illud quod vri debet, ingrediatur os tubuli; tum per alterum ipſius foramen liquor cum infundibulo infundatur, tubulusque hæreat tantiſper, dum cauterium effectum ſuum ſit conſecutum; quem modum Albucaſis lib. 1. in vrendis verrucis vſurpauit. Alius quoque modus eſt, vt agger aliquis ex argilla aut aliquo genere cretę ſuper partem fiat, cuius interiorem

cauita-

cauitatem præcisè occupet pars vrenda, & tum cauſticus liquor infundatur, parte tantiſper immobili detenta, donec operatio ſit abſoluta. In profundis & ſinuoſis vlceribus optimum eſt, vt per ſyringam ſeu paruum clyſterem infundatur: clyſteris enim parietes tum munimenti vicem gerunt. Quod ſi cauſtico cruſtas plures aut longè latèque protenſas aut varia præditas figura inducere animus ſit, ad munitionem partium quas intactas eſſe volumus, ferramenta conſtruere licet circulos aut lineas habentia, intus concauas, quæ cauſtico infercian-tur, eandemque quam cruſtis inducere volumus, figuram repreſentent. Sic Albucaſis lib. 1. c. 42. duos circulos diametris ſibi annexos intus concauos facit, quos coxę ſuper imponit, & aqua cauſtica replet, ſinitque vna hora hærere, ad latas & circulares ſuper eam pro iſchiadis curatione faciendas vſtiones. Iam ad modum in actuali cauterio obſeruãdum progrediamur. Illud, ſi liquidum eſt & fluxile, eandem muniendi rationem ſortietur, quæ de potentialibus dicta eſt: ita plumbum in ægilope per cannam infudere Actuarius & Albucaſis lib. 1. c. 12. & 18. docuerunt, & butyro feruído intra aggerem ex farina poſito, Cælius Aurelianus lib. 4. c. 7, alius, intra aggerem ex oeſipo aut lana intorta, vſus eſt. Infundi autem debet per infundibulum, vel cum cochleari canaliculum habente,

bente, per quem ita lentè & iunctim liquor effundatur, vt non dispergatur aut transfluat labra cochlearis: quod ob magnum periculum, quod exinde oriretur, singulariter est cauendum. Si tantum cum specillo guttatim applicetur, quomodo butyrum aut vitrioli aut sulphuris oleum feruentia aliquando adhibentur, nulla opus est munitione. Cùm autem solidum est; interdum munitione eget, interdum non. Cùm tali materia vtimur, quæ non valde candet, vt lignis incensis; quandoquidem periculum inde exiguum est, non est opus ferro vllo ad muniendum. Cum multis paruisque locis vstiunculæ fieri debent, vt cum fœdas aliquando per corpus pustulas, cum pilorum euulsorum singulas radices vrimus, non est munimentum capiendum: nam, præterquam quòd opus non est, impediret potius & molestiam adferret operanti, faceretque vt non ita expeditè (quod est magnum in cauterizando vitium) neque ita bene & directè singula loca tangere aut videre posset. Denique in fluxu sanguinis ad vlcera & venas arteriasque crustis vrendas, munimenta plus impedimenti, quàm auxilij adferrent. Cùm amputatum est brachium aut crus, & locus est cauterizandus, non est ibi munimento opus: nihil enim est, quod ab igne defendi debeat, sed omnia æquè circumquaque sunt vrenda.

Porrò

Porrò in loco plano & aperto, vt in ventre, thorace, dorso, chyrurgo existente experto, iuuene, non timido, non tremulo; non est opus munimentis, sed commodè sine ijs, notato tantum atramento loco, vstio perfici potest. Tamen quia ex parte ægri delinqui potest, vt attactu ignis, se vel eleuet, vel vertat, aut iactet; ex quo male ipsum à ferro vri contingere possit: securius semper est munimento vti.

CAP. V. De materia & figura huiusmodi munimentorum.

MVnimẽta pro cauterio actuali ex varia & multiplici materia fieri possũt. Auicenna 4. 1. c. 29. cum pasta argillacea aut cretacea cum aceto subacta & mœnium instar conformata partem munit. Idem lib. 3. fen. 3. tr. 2. c. 15, & Aetius lib. 7. c. 85, & Albucasis lib. 1. chyrurgiæ, in ægilopis aut palpebrarum vstione, spongia cotone aut linteis multiplicatis & humectatis superpositis, oculum muniunt. Celsus lib. 5. c. 28. viridibus folijs partes circumtegit, ne exulcerentur: quæ omnia & munimenti & simul repellentis remedij vicem gerunt. Posset etiam asser aliquis ad vsum ex tempore componi quacunque forma, cum ferrum nõ est in promptu: verum ferrum & commodissimum est, & in communi hodie vsu; primò, quia frigidum cum sit, resistit

sistit calori, & cum densum ac solidum, vim ignis non ita facilè recipit ac transmittit in partem: quod ad naturam munimenti est requisitum. Si enim ipsum facilè in se calorem reciperet, iam non muniret, sed vreret, & cauterij naturam indueret. Figura ferrei munimenti varia est, pro situ partis vrendæ, & forma cauterij quo vtimur. Vnaquæque cauterij figura, magnitudo, vnaquæque pars nouum munimenti genus exposcit; quod nouisse debet medicus pro ingenio suo mutare, & parti ac cauterio accommodare. Si pars plana est, vt venter, dorsum; planum erit munimentum, vt lamina ferri rotunda aut quadrata: si connexa, vt crura, brachia, caput; curuitatem quandam & concauitatem habebit parti respondentem. In medio autem foramen sit simile cuspidi cauterij illud ingredientis, non maius neque minus; ne cauterium vagetur ad latus, sed rectè ibi vrat, vbi locus est notatus. Margines cauterij, qui foramen illud circunstant, trium aut quatuor digitorum latitudinem habere debent, vt titubans aut quassata timidi chyrurgi manus vltrà margines non facilè progrediatur. Tum notato prius atramento loco vrendo, lamina illa sic super locum componi debet, vt locus notatus per laminæ foramen appareat, & per ipsum tunc cauterium est infigendum. Debet autem munimentum parti ad securitatem alligari, vt

non

non moueatur; quod vt commodè fiat, quadratam figuram habere poterit, vt ad singulos angulos singuli sint funiculi ad ligandum, vt in subiectis figuris videre est. Si pars profunditatem aliquam habeat, concauum nonnihil debebit esse munimentum, quale est quod in ægilope vsurpatur quinario numero notatum. Si plane profunda est, vt os, nasus, anus, docet Auicenna 4. 1. c. 29. munimentum debere esse sicut canalem aut fistulam, & per ipsum cauterium styli formam habens esse immittendum: sicut infrâ figurâ octaua est expressum: ita in vuula per cauterium amputanda Razes lib. 9. rei med. c. 47. ferrum per canalem ori impositum immittit; Albucasis dentes per cannulam immissam vrit; Hippocrates lib. de hęmorrhoidibus, per fistulam quam καυςήρα vocat, ὡς καλαμάσκον φαρμακίτην σηδήριον ἐνάρμωζας, vrit. Celsus lib. 7. c. 11. per subtilem fistulam seu enodem calamum scriptorium cum ferro candente ozęnam inurit. Hic autem parietes ipsius fistulæ munimenti vicem præstant. Sed in eius vsu animaduertendum est, quod cauterium quod immittitur, debeat esse minus canali, vt inter parietes canalis & ipsum cauterium sit aliqua vâcuitas: alioqui si cauterium canalem immediatè tangeret, eum statim ita accenderet, vt ipse partem non minus, quàm cauterium vreret; quod Auiceuna 4. 1. c. 29. & Albuca. lib. 1.

c.22. docuerunt. Debet qnoque canaliculus anſam habere qua eam chyrurgus apprehendat, ne ipſius manus vratur: quod ſi longior ſit, poteſt ſine anſa apprehendi, circumpoſito ei linteo multiplicato aqua aut alio frigido humore imbuto. Quia autem latere nos poſſet, cùm ſic per canalem cauterium immittitur, quàm profundè immergatur; ideò debet ipſum ſuperius foramina nonnulla habere, per quæ obſtaculum ferreum, quod profundiorem quàm neceſſum ſit immerſionem prohibeat, tranſigatur. Monet etiam Albucaſis, vt canalis ſit ſatis craſſus, ne facile igniatur, ac calorẽ tranſmittat: ad quod meliùs vitandum, Auicenna loco prę-fato docuit, cùm in os, vuluã, anum, & alia magna foramina canalis immittitur, vt linteo aqua frigida aut roſacea imbuto prius circundetur. Canalis erit lõgus, breuis, pro partis profunditate; paruo, amplo foramine, pro cauterij magnitudine, & pro neceſsitate vſtionis faciendæ. Cùm autẽ opus adeundum eſt, primò cannula ſuper locum vrendum ponatur, vt ipſe cãnulæ orificiũ ingrediatur: tum ea firma permanente, per alterũ orificiũ velociter ſtylus candens immittatur. Hac ratione interna rumpimus apoſtemata & in ano, vulua, in profundis vlceribus, in oſſibus carioſis, alijsq; omnibus profundis locis, quæ tangere ſine combuſtione labrorum & circũpoſitarum partiũ non poſſemus; in colu-

columellæ absumptione, apertione, dentium & ægilopis & polypi vstione, vtimur. Si sub cute stylus pungendus est, munimentum est sicut forceps, inferius latos margines habens, quibus cutis apprehenditur, per quorum medium foramen est, per quod cauterium infigitur; vt patet in hac figura numero decimo notata, quo munimento ad setones infingendos vtimur. Ad maiorem partium colli defensionem, curare possumus, vt margines huius forcipis etiam retorti ac recurui sint; vt sic prohibeatur styli calor in propinquam carnem irradiare. Etenim simplex forceps sufficit quidem ad cauendum, vt stylus in debitum locum inferatur; non tamen hunc caloris super vicinum membrum splendorem potest arcere. Infrà autem de tota ratione infigēdi setonis capite decimoquarto pertractabimus, vt non sit hic opus latiorem de instrumentis ad eius vsum requisitis sermonem facere. Ferramēta quibus munimenta hæc inseruiunt, capite decimo octauo subiunximus. Quia enim munimenta singula non habent peculiaria ferramenta, sed varia, eiusdem formę munimentis possunt accommodari; ideò ea à se inuicem separauimus.

CAP.

CAP. VI. De modo detrahendæ cruſtæ.

VStione peracta quid agendum ſit, docet Aetius lib.14.c.4.vbi,cùm thymos exuſſiſſet, curationem reliquis omnibus vſtionibus communem dicit eſſe adhibendam, cum ijs primò quæ cruſtas abſcindunt, dein cum his quæ repurgent, vltimò cum exiccantibus procedendo: quod clarius Ægineta lib.3.c.22.declarat,poſtquam ægilopem exuſſiſſet; dicens vtendum eſſe lenticula cum melle, & cùm cruſta exciderit, cum terebinthina purgandum, carne replendum, & cicatrice obducendum eſſe: & multo adhuc clarius Celſus lib.7.c.22. Ex quibus patet vſtione facta cruſtam eſſe detrahendam,tum vlcus purgandum, incarnandum & cicatrizandum. Sed quanquam hæc in omni vſtione ſint facienda, in aliquibus tamen aliquid iſtorum citiùs, in alijs ſeriùs eſt faciendum: in ſanguinis fluxibus ſeriùs cruſta detrahenda,in fontanellis ſeriùs vlcera ſunt cicatrizãda. De cruſtæ autem detractione primò eſt agendum. Cruſta eſt pars carnis ab igne ſic aduſta & exiccata, vt proprio omni calore naturali ſit deſtituta, & remanſerit ſicca,dura,nigra,terrea, & mortificata, benêque eam Galenus 5.meth. c,4. ſemiuſtis carbonibus comparauit. Etenim ſicut ignis agẽs in lignum, ipſum comburendo vertit in carbonem,ita & hic cau-

terium carnem: adeò vt cruſta nihil aliud ſit, quàm quidam carbo, in quem ignis vrendo carnem conuertit. Hinc ſicut carbo in ligno niger eſt propter ablationẽ humidi, ita & cruſta. Eſt quoque cruſta durior carne ſana, quia ſiccior; humiditas enim mollitiẽ, ſiccitas duritiẽ facit: ſic ligna leui vſtione duriora, quàm ante & minus flexibilia euadere videmus. Verùm ſicut ignis vrendo lignum primò conuertit in carbonem, poſtea in cinerem; ita & cauterium, ſi diutius in parte detineretur, primò carbonem, tandem etiam cinerem faceret: ſed quia ob grauem noxã quæ inde emanaret, citius aufertur, quàm id fiat; ideo tandẽ carbo ab vſtione relinquitur: præterquàm quòd etiam ob carnis humiditatẽ nõ ita facilè poſsit incinerari. Quapropter propter aduſtionem nigra eſt, propter exiccationem dura & terrea: partes enim quæ in ea ſunt aëreæ & aquoſæ euolarunt, remanſerunt tantũ igneæ & terreę, ex quo complexio ipſius calida ſiccaq́; eſt. Sed quæri poteſt, an adhuc viuat: videtur enim quod ſic, quia toti continuatur; quę autẽ cõtinua ſunt, ſpecie non differunt. Verùm non viuere ex eo patet, quòd nũquam poſsit ad communẽ cum toto vitam reuerti, nec nutriatur aut ſentiat, vt ante ſolebat: denique, quia etſi cũ toto continuatur pro tẽpore, tamẽ poſteà excidit & à toto ſeparatur; nõ enim ſequitur ideo eã viuere, quia adhuc continua eſt toti, quia multa

ſunt

sunt cõtinua, quæ formis differunt; vt in arbore, pars ligni quæ fulmine tacta marcescit, etsi cum reliqua viridi cõtinuetur, nõ tamen cõmuni vita fruitur. Deniq; quod nõ viuat ex eo patet, quia natura studẽs partes vstas, quantũ possibile est, ad naturam reducere, eas quæ sanæ carni vicinæ sunt, nõ potest meliori quàm puris formæ restituere: quãto minùs eã quæ remotior est, totaq; vsta ac nigra? Quapropter cùm illa particula ad statũ reduci non possit, vitamq; perdiderit, necessario est detrahenda. Quoniã autẽ, vt aliquid detrahatur, sciri primũ debet quomodo hęreat; videndũ est quo mediante crusta, cum sit pars mortua, cõtinuetur adhuc cũ carne sana & viua. Nicolus Florentinus sermone 7. tr. 5. summa 3. c. 82. dicit, quòd medicamentũ causticũ attrahit humiditatẽ carnis ad cutẽ, & ea admiscetur cuti vstæ, per cuius cõmixtionem cutis ipsa conseruatur: nisi enim, inquit, humiditas ista traheretur ad cutim, & permisceretur ei, caderet cutis facta sicut carbo siccus & separatus à parte substantię ei circũiacente, & nõ conseruaretur; sed mediante illa humiditate conseruatur inuiscata illi carni vel ossi subiacenti. Verùm aliter sese habet; nam si id esset, superpositione rerum siccantium illa humiditate exiccata, crusta detraheretur: sed contrà fit, & quæ humectãt crustam detrahunt, videmusque crustã suppuratione carnis mediæ inter sanam & ægrã decidere.

terium carnem: adeò vt crusta nihil aliud sit, quàm quidam carbo, in quem ignis vrendo carnem conuertit. Hinc sicut carbo in ligno niger est propter ablationẽ humidi, ita & crusta. Est quoque crusta durior carne sana, quia siccior; humiditas enim mollitiẽ, siccitas duritiẽ facit: sic ligna leui vstione duriora, quàm ante & minus flexibilia euadere videmus. Verùm sicut ignis vrendo lignum primò conuertit in carbonem, postea in cinerem; ita & cauterium, si diutius in parte detineretur, primò carbonem, tandem etiam cinerem faceret: sed quia ob grauem noxã quæ inde emanaret, citius aufertur, quàm id fiat; ideo tandẽ carbo ab vstione relinquitur: præterquàm quòd etiam ob carnis humiditatẽ nõ ita facilè possit incinerari. Quapropter propter aduſtionem nigra est, propter exiccationem dura & terrea: partes enim quæ in ea sunt aëreæ & aquosæ euolarunt, remanserunt tantũ igneæ & terreę, ex quo complexio ipsius calida siccaq́; est. Sed quæri potest, an adhuc viuat: videtur enim quod sic, quia toti continuatur; quę autẽ cõtinua sunt, specie non differunt. Verùm non viuere ex eo patet, quòd nũquam possit ad communẽ cum toto vitam reuerti, nec nutriatur aut sentiat, vt ante solebat: denique, quia etsi cũ toto continuatur pro tẽpore, tamẽ posteà excidit & à toto separatur; nõ enim sequitur ideo eã viuere, quia adhuc continua est toti, quia multa

sunt

sunt cõtinua, quæ formis differunt; vt in arbore, pars ligni quæ fulmine tacta marcescit, etsi cum reliqua viridi cõtinuetur, nõ tamen cõmuni vita fruitur. Deniq; quod nõ viuat ex eo patet, quia natura studẽs partes vstas, quantũ possibile est, ad naturam reducere, eas quæ sanæ carni vicinæ sunt, nõ potest meliori quàm puris formæ restituere: quãto minùs eã quæ remotior est, totaq; vsta ac nigra? Quapropter cùm illa particula ad statũ reduci non possit, vitamq; perdiderit, necessario est detrahenda. Quoniã autẽ, vt aliquid detrahatur, sciri primũ debet quomodo hęreat; videndũ est quo mediante crusta, cum sit pars mortua, cõtinuetur adhuc cũ carne sana & viua. Nicolus Florentinus sermone 7. tr. 5. summa 3. c. 82. dicit, quòd medicamentũ causticũ attrahit humiditatẽ carnis ad cutẽ, & ea admiscetur cuti vstæ, per cuius cõmixtionem cutis ipsa conseruatur: nisi enim, inquit, humiditas ista traheretur ad cutim, & permisceretur ei, caderet cutis facta sicut carbo siccus & separatus à parte substantię ei circũiacente, & nõ conseruaretur; sed mediante illa humiditate conseruatur inuiscata illi carni vel ossi subiacenti. Verùm aliter sese habet; nam si id esset, superpositione rerum siccantium illa humiditate exiccata, crusta detraheretur: sed contrà fit, & quæ humectãt crustam detrahunt, videmusque crustã suppuratione carnis mediæ inter sanam & ægrã decidere.

Itaque quod cruſtam retinet, ſunt tenues fibræ carnium & neruorum, quæ in partem illam antea ſanam deriuabantur, nunc ex ſana in combuſtam deſinunt, ambasque ligant. Nam vbi illæ mediæ ſunt inter ſanam & mortuã carnem; propterea quòd eò non fortiter peruênit vis vſtionis (vt ex eo patet quòd alioqui non eſſet ibi terminus eſcharæ) ſunt adhuc ſemiintegræ, & ob ſolidiorẽ ſuam ſubſtantiam minus quàm reliqua caro in carbonem permutatæ: & propterea adhuc ibi combuſtam carnem cum ſana connectunt, faciuntque vt ſine ſummo dolore non poſsint à ſe mutuò diuelli aut ſeparari. Eæ cùm nõ ſint combuſtæ aut planè exiccatæ, ſunt tamen ſic alteratæ, & à temperie ſua naturali remotæ, vt reduci ad naturam nequeant, ſed anima caloreque natiuo deſtitutæ putreſcant; quibus putreſcentibus fit, vt cruſta, quæ antea ijs nectebatur, decedat, diſcontinuetur ac excidat. Ex quo eſt, vt adhibitis medicamentis ſuppurandi vim habentibus, cruſtæ detrahãtur. Quapropter notandum duplicem eſſe modum detrahendæ cruſtæ: alter eſt violentus, per ipſius exciſionem; alter naturalis, per medicamenta pus mouendi, detergendi & incidendi poteſtatem habentia. Violentus, quandoquidem cum dolore eſt & periculo fluxionis, tantum in duris corporibus ac ruſticis, aut cum detractio hæc moram non patitur, vt in caſu putredi-

credinis aut veneni, locum habet: hoc casu excepto, semper lentè & sine molestia ac superpositis medicamẽtis ad hoc idoneis crusta est detrahenda. Horum non exigua est diuersitas pro corporum affectuumque natura: corporũ, quia quæ in vno id poterunt, in altero nihil efficient, sicut Ægineta lib. 4. c. 19. docet: affectuum; quia pro diuersis scopis diuersa sunt eligenda præsidia. Etenim aliter est detrahenda crusta in cauterizationibus magnarum putredinum & sordidorum vlcerum, partium humiditatibus scatentium, in sanguinis fluxionibus, gangrænis, carbunculis, cancris; aliter in paruo vsculculo in partesana facto, quale setaceum est aut fontanella. In his ad crustam detrahendam, medicamentis vtimur pus generantibus & putrefacientibus, calidis, humidisque; in illis, si his vteremur, magis noceremus, & putredinem sordesque quas impedire studemus, augeremus, vt Galenus 14. meth. testatur. Illic enim, quod putridum, humidum, sordidumque est, consumere & exiccare intendimus; hic quod sanum, sordidum reddere: illic ablata crusta volumus carnem generari, & vlcus claudi; hic illam excauamus, & studemus vt vlcus apertum maneat; ad carnis autem generationem vlcerisque & venæ conglutinationem, nihil minùs, quàm pus generãtia, valet: ex quo patet diuersam esse crustas detrahentium materiam. Illic

quæ detergunt, incidunt & ſiccant, conueniunt; detergẽdo enim incidendoq; cruſtas abſcindũt, & ſiccando ac detergẽdo ſimul etiã vitium putredinis & humiditatis corrigunt, vlcus mundãt & carnẽ innaſci faciunt: ſic anodyna, vnctuoſa, emplaſtica, ſuppurandi vim habẽtia ſunt ſumẽda. Ideò Paulus li. 4. c. 19. in gãgrænę curatione, medicamenta cephalica ſicca & detergentia ad cruſtæ detractionẽ pręſcripſit: & Galenus thus, eruum, iridem, ariſtolochiam cruſtas detrahere dixit, de gangrænæ itidem curatione loquẽs: & 6. de cõpoſ. med. in exulcerationibus, vbi putredo aduenit, quę exuſtione egẽt, cùm in externis membris ſunt, huiuſmodi detergẽtibus cruſtas monet eſſe detrahẽdas: cùm verò etiã interiores & humidiores partes, & magis putredini obnoxias, vt os, occupãt, addit tutiùs eſſe, vt eis etiã talia addãtur, quę ſi per ſe ſola adhiberẽtur, cruſtas etiam facere apta eſſent: & propterea & cathæreticis & ſepticis & cauſticis ad cruſtarum quoq; detractionẽ eſt locus. Sicut enim filamẽta illa quæ cruſtam ligant, putredine conſumũtur, deterſione ac inciſione diuiduntur; ita & cauſticis exeduntur. Propterea Galenus ibi & Critonis medicamentum ex vna myſios, duabus mellis partibus conſtans, tanquã detrahendis cruſtis vtile ponit; & aliud Archigenis ex ſtercore canino, cinere hyrundinum vſtarũ cum melle; & aliud ex Sorano, ex iridis Illyricę partibus

tibus quatuor, myſios partibus octo, croci vna, & melle conſtans in eam rem adducit. Verùm omnia hæc pro partis putredinisque & affectus ratione, variè à prudente & experto medico tẽperari debẽt: aut vt per ſe applicentur, aut vt cũ ſuppurantibus, & verè cruſtas detrahẽtibus magis minúſve miſceantur. At quæ in vlcuſculis ſanarũ partium, vt fontanellis & ſetonibus cruſtas detrahũt, ea vi ſuppurandi prędita eſſe oportet, id eſt calida & humida, & ſimul viſcoſam & emplaſticã ſubſtantiam ſortita, vnà cũ emolliẽdi, laxãdi & anodyna vi. In quantũ enim calida & humida, calori noſtro natiuo, qui puris opifex eſt, ſimilia ſunt; quatenus verò emplaſtica, poris clauſis, per antiperiſtaſim intrò cõcluſi caloris noſtri ſubſtantiã augent, ſpirituũq; qui illius vehiculũ ſunt, effluuium cohibent. Eſt autẽ ſubſtantiâ & quantitate innati caloris ſpirituque in mẽbro multo & halituoſo, nõ ita eius intẽſione graduali ad puris productionẽ opus. Quatenus autẽ emolliũt, laxant, humectãt; cruſtã, quæ duritie & ſiccitate putreſcere minus apta erat, ad putredinẽ diſponunt, ac doloré ab igne inductũ ſedãt. Ex quo patet nihil minùs quàm ſicca huic vſui cõuenire: intẽſio enim noſtra eſt, nõ vlcus ſanare aut carnẽ facere, ſed vlcus & ſaniẽ prorogare; ſicca autẽ vlcus non faciunt, ſed curãt. Sed neq; calida valde huc faciũt; quia caloré noſtrũ intendũt tantũ in gradu, nõ in ſubſtãtia, adeòq;

non naturalem potiùs quàm naturalem reddũt; multò minus frigida, quæ calori è contrario aduersantur. Nam etsi interdum super crustam plantago, oxalis, oui albumen, sal cum aqua, aut sal loco frigido in aquam conuersus, vt Albucasis fecit, ponantur; non est hoc ad nudam & simplicem crustæ detractionem, sed ad ea symptomata, quæ cum crustâ complexa sunt, dolorem, inflammationem, frigoris beneficio compescenda. Astringentia porrò, quod crustam firmiùs constringant & nectant, huic quoque scopo inidonea sunt. Variantur suppurãtia pro parte & corpore subiecto, & ipsius vlceris constitutione: nam cum ea quæ suppurant calori partis similia esse debeant, calor autem & temperamentum non idem sit omnium partium, sequitur vt aliud atque aliud, adeoq; vnicuique parti & corpori peculiare ac proprium quasi suum sit suppurans; vt quod in vno eam vim est habiturum, in altero sit futurum iners & imbecillum. Sic butyrum, hydrelæum, & similia in teneris corporibus sufficienter suppurabunt; in duris, rusticis, siccis, nihil efficiẽt. Vlceris porrò status hic mutat indicationem: quantò maior metus est aut vestigium inflammationis in loco crustoso, tantò magis suppurantia caloris expertia esse debebunt. Cùm primùm producta crusta est, quia nihil adhuc saniei fluit, proindeq; nihil est quod detersionem requirat;

solis

solis suppurantibus est vtendum, admixtis anodynis aut nonnihil refrigerantibus, ad dolorem & empyreuma à recenti vstione relicta, auferẽda: paulatim verò, vt pus apparere incipit & crusta secedere, suppurantibus detergentia sunt admiscenda, aut capienda ea, quæ cum suppurandi, vim detersoriã habeant coniunctam: putrefacta omni carne corrupta, ab illis est abstinendũ, solisq; detergentibus ac siccãtibus vlcus est mundificandũ. Omni scopo satisfacient, quæ & suppurãtibus & detergẽtibus constãt. Quod si solùm suppurantibus vti debemus, id præstabunt adeps suillus, gallinaceus, vitulinus, medulla ceruina, vitulina, vitellus oui, crocus, hydrelæum, farina tritici cum oleo, butyro, vitellis ouorum, &c. Si detersionem insuper aliquam volumus; aut miscenda aut per se sumenda, passulæ, caricæ, ficus, mel, mulsa, farina hordei, magisque erui, orobi, fabarum, myrrha, terebinthina, aristolochia, thus, iris. Si minus calida volumus, ex oleo, butyro, pane lotis; oleo violaceo, farinâ, potius hordei, quia frigidâ, faciemus: farinam hordei in aqua coquemus, aut panem modicè coctum, in aqua lotum, cum butyro vel violaceo miscebimus: interdum plantaginem aut oxalidem adiungemus. Si calor aliquis desyderatur, farinam tritici, fenigręci coquemus in hydrelæo; si maior, in oleo; & croco tingemus. Minùs semper calida erunt, si butyro

& pa-

& pane lotis vtamur, quàm nõ lotis; & si aquæ plus, olei minus sumatur. Si anodynam simul quampiam vim expetimus; vitellum oui, crocum, oleum violatũ, rosatum nõ omittemus, & farinam in lacte, decocto altheæ, liliorum incoquemus. Vniuersim hæc quæ sequitur crustas detrahẽtium est materia. Ac primò butyrum in familiari est vsu: nam Halyabbas 9. pract. c. 81, Razes lib. diuis. c. 138. & alibi, butyro, inquiũt, detrahe crustas; non aliter ac si hoc remedium vsitatissimũ esset: & Albucasis & Auicẽna vbique in vstionibus cotum cum butyro crustis superponunt. Huic similis axungia porcina recẽs sine sale, adeps gallinaceus ac vitulinus, oleum dulce oliuarum, liliorum alborum, amygdalarum dulcium, medullæ, vitulina atque ceruina. Prosper Alpinus in libro de Med. Ægypt. scribit Ægyptios nullo alio remedio ad crustarũ detractionẽ, quàm medulla vitulina vti, & quidem fœliciſsimè: ficus, caricæ pingues, radices, altheæ, maluæ, liliorum, vitelli ouorum, farina tritici, hordei, fenigræci, lini, vnguentum dialthæas, emplastrum de muccilaginibus, diachylum, resumptiuum, macedonicum, tetrapharmacum, phœnicinum; omnia ex oleo, melle aut butyro. Farinam tritici, hordei, aut panem in hydrelæo cocta in cataplasma, ponit Ægineta lib. 4. cap. 19. potest & mel & crocus miscerí: butyrum cum croco: vnguentum ex

cera

cera noua, croco, butyro, & oleo cõmuni vel amygdalino: farina hordei cum oleo violaceo & butyro: farina tritici cum decocto ficuum, altheæ, melle, butyro: mica panis triticei in ore mansa cum butyro; vel cocta cũ oleo violaceo & vitellis ouorum: cæpa cocta cum butyro pistata; butyrũ cum melle rosato. Aetius lib. 16. c. 47. & lib. 14. c. 4 & 7. & sæpius, lac cũ melle sine dolore crustas detrahere dicit: ficus elixatę in aqua mellis, & cũ radice ireos concinnatæ in cataplasma: folia hyoscyami, brassicæ sub cineribus cocta, vel ad ignẽ tabefacta, & butyro vel axungia illita: farina hordei, fenigræci, lini cum sapa & vitellis ouorũ. Ægineta lib. 6. c. 66. vtitur omphacomelle, quod repellit, empyreuma tollit & crustã detrahit & putredinẽ arcet. Farinæ supradictæ cũ ficubus, axugia & aqua mulsa optimũ sunt remediũ: pix cũ oleo rosato, violato. Matthiolus in cõ. lib. 6. c. 38. in Dioscor. optimè & citissimè crustam detrahere dicit liquidã veruicem cũ oui vitello & butyro. Præterhæc, quę suppurãt & anodyna sunt, alia quoque sunt magis detergẽtia sicca & putredini resistentia, quæ Paulus lib. 4. c. 19. crustas optimè detrahere dicit: panis nempe cũ apio tritus aut ocymo, iris, radix panacis vel aristolochiæ vel acori cum melle: isis cum melle; erui farina cum melle & thure; farina tritici cum porri vel rutę succo. Halyabbas 9. pract. c. 81. & Ægineta lib. 4.

lib.4.c.19.& 6.c.42.porro cum ſale vtuntur. Aetius lib.6.c.24.ſic etiam allijs ac cepis vtitur:Albucaſis lib.1.c.53.ſulphure trito cum oleo: oleaſtri folia etiam cum melle illinuntur. Aetius tetrab.3.ſer.4.c.3,oliuas nigras cum ſeſamo tritas, nucum interiora trita in hanc rem commendat. Vnguẽtum de betonica & cephalica dicta, vt author eſt Galenus: denique & vſtarum hyrundinum ac terreſtrium cochlearum cinis,album ſtercus caninum,ſal, cinis cẽtaurij & dracontij, calcitis cum melle ſub triplo vel cum media ireos & exigua mellis parte, ad hunc vſum ab antiquis ſunt vſitata. Sed notandum eſt,quòd,vt dictum eſt, hæc in duris corporibus, in putridorum & malignorum vlcerum,cancrorum,gangrænarum, anthracum & venenatorum apoſtematum,aut partium humidarum & putredini obnoxiarum; ſuperiora illa,in mollibus corporibus, in fontanellarum aliarumque non ita magnarum vſtionum,& in ſana carne factarum cruſtis detrahendis locum habent. Atque hæc de materia: de forma etiam qua ea applicari vtilius queat, aliquid eſt dicendum. Ea autem humida eſſe debet ac pinguis; ſicca minimè conuenit: vnde vnguenti forma huic ſcopo magis inſeruit. Paulus lib.4. c.19,Aetius lib.16.c.47.& lib.14.c.4, Albucaſis pluribus in locis, vnguentum cum linamentis & coto ſuperponunt. Paulus ibidem,

ne de-

ne decidat, in cataplasma effingit: emplastri liquidioris forma non est inconueniens. Hodie cum ad fonticulos vstio facta est, hederæ folium aut plantaginis aut brassicæ ad ignem tabefactum cum vnguento aliquo, axungia aut butyro superponitur. Cùm in putridis & humidis locis vstio facta est, malim emplastri formam; quia nonnihil siccior: cum in sana carne; vnguenti, linimenti aut mollis cataplasmatis. Sed & partis conformatio formæ modum præscribit. Si ab vstâ in ore vuula crusta esset detrahenda, gargarismo id fieri deberet, ex ficubus, melle rosato, &c. si in profundo esset, non superponi, sed infundi medicamentum deberet. Circa tempus detrahendæ crustæ Galenus 5. meth. c. 4. & Aetius lib. 14. c. 52. monent, vt in sanguinis profluuijs, quàm tardissimè crusta detrahatur; vt interea caro possit aggenenari: in depascentibus putridis & venenatis, quam citissimè: ne dum crusta hæret, serpant: in alijs medio modo procedatur.

CAP. VII. *De correctione symptomatum.*

CRustâ detractâ remanet vlcus: id apertum teneri debet, quando ratione fontanellæ cauterium est adhibitum; aliàs semper est claudendum. Cùm apertum manere volumus, mundificantibus. non est vtendum, quia talia vlcus clauderent; sed potius suppuranti-

rantibus,quæ ipsum teneant apertum,cum leui tamen detersione & attractione, quale est brassica cum butyro inuncta:cum claudi,tunc ijs est vtendum. Progrediente autem tempore,vlcere satis mundato,si cauum est,sarcotica & tandem epulotica sunt admiscenda. Mundificant, quę detergẽdi & exiccandi facultatem habent, & quæ inter fortiora crustas detrahentia iam retulimus. Variãt nihilominus pro ratione vlceris,partis,corporis. Aliter paruum vlcus,aliter magnum: aliter sordidum,in parte putrida, humida,duro corpore,detergendum. In vlceribus hisce cutaneis,fonticulo,setone,vesicatorio; mitia detergentia tẽpore clausionis statim sufficiunt: fortioribus vtendũ in alijs vlceribus; fortissimis,in vomicis. Et cum ea vlcera in quibus cauterio egemus,maligna sint;ideò fortioribus hic detergentibus est opus. Nam & cathæretica etiã sæpe adhibemus,vt quod post ignem semi putridum aut corruptum relictum est, abstergatur. Verùm cum prẽter propositum sit de vlcerum curatione disputationẽ instituere,hæc de præsenti materia breuiter dicta sufficiãt:studiosos autem ad chyrurgos & qui rationem curandorum vlcerum singulorum docent,ablegamus. Modò ad correctionem symptomatũ pergamus. Ea sunt dolor,inflammatio,abcessus,fistulæ,gangrænæ, mortificationes, fœtor,calli, hypersarcoses, siccitates, &c. His præcauendis

gene-

generale remedium est, si & ante cauterizationē æger sit purgatus, & multis diebus tenui frigidaq; diæta alitus, & aqua (quod veteres nōnulli fecerunt) potatus; post vstionem verò, cū vlcus clauditur, denuò pharmaco euacuetur. Hoc anxiè faciendū docet Razes lib. de affect. iunctur. c. 16, cum ad sistendas & diuertendas fluxiones cauterio vtimur: caue, inquit, si aliquando feceris cauterium & prohibueris membrū, ne recipiat superfluum, vt euacues corpus paulatim, ne superfluitates quæ solēt currere ad aliud mēbrum, reuertantur ad aliquod membrū nobile. Ego enim, inquit, vidi plures mori subitò, eò quòd non fuerint euacuati post cauterizationem. Verùm & in alijs omnibus cauterijs, & ad auertenda omnia prędicta symptomata corporis purgatio non exiguam adfert vtilitatem. Ergo si dolor in cauterijs contingit, inquirenda causa est. Ea vel externa est, vel interna. Externa interdum est aëris circumpositi frigus; frigus enim omne vlceribus inimicum est, vt Hippocrates dixit. Eo casu conuenit locum aqua calida, sicut Razes libro diuis. cap. 103. fecit, tepidóue oleo fouere, panno laneo, lana succida, pellicula excato, vulture, locū munire: Interdum est à contactu pilulæ quæ imponitur, quæ vel aspera est vel dura, vel nimis magna, vel acri materia affecta; qualem vel ad vlceris dilatationem, vel meliorem tractionem

sponte

ſponte non rarò facimus: tunc autem ſi tractionem molimur, modò non nimis dolor excedat, eſt ferendus, quia ideo cauteria melius trahunt, quia dolorem faciunt. ſi excedat neq; tractioni ſtudemus, ſedabitur; ſi quæ aſpera eſt, fiat lenis, magna minuatur, acribus affecta medicamentis, butyro inſulſo, axungiâ, medullâ, vitello oui imbuta imponatur, acriaque eximãtur; ſi dura, molliore mutetur; pro lignea, argentea, ex medulla ſambuci, carptis linamentis fiat. Interdum eſt à nimia compreſsione pilulæ aut faſciationis, & tunc ea remittatur; fiant quoque faſciæ molles, latæ, æquales, ex ſerico: ſi hærere nequeant niſi comprimantur, faſciæ in medio aptabũtur cum ſcutellula concaua, quæ excipiat locum cauterij, tuncque arctè poterit ſtringi, quia ſtrictio illa nullam tunc ſuper cauterium faciet compreſsionem. Interdum eſt ab ipſo cauterio: maior enim dolor à ferro fit, quàm ab alio metallo, ob aſtrictionem & terreſtreitatem, maior ab illis quàm à medicamẽtis, maior à fortioribus quàm mitioribus. Hic dolor cum cognitam habeat cauſam, ſerendus eſt, niſi periculum minetur; tũc anodynis quæ inſignem vim refrigerandi habeant, occurretur. Si eſt à violenta cruſtæ detractione, quæ incepta eſt detrahi, relinquatur, vt ſponte decidat; niſi forte minus periculi ſit à dolore, quàm ab eius permanſione, quod in ſuſpicione veneni

locum

locum habet: tunc enim quod remedij vicem habeat, extrorsum trahendo, est tolerandus. Interna causa est affluxus humoris. Is vel intemperie dolorē infert vel continui solutione, vt si acer est rodendo, si multus distēdendo: duæ enim illæ omnis doloris causæ sunt: qualiscunque sit, si corpus cacochymum adhuc est, euacuandus est; si frigida est intemperies, oleo amygdalino, liliorum, communi tepidis, aqua quoque calida locus est perfundendus, & lana succida pinguis calefacta cum vnguento dialtheæ aut oleo lini & camomeli superponenda. Si calida fluxio est, quod pruritus, tēsiones, durities, pustulæ, excoriationes & erosiones ostendent; repellentibus vtendum est: vt rosaceo, oxycrato, populeo: aqua rosacea, plantaginis, solatri, &c. locus lauandus, fasciæque imbuendæ, & omnis repellentium materia supra allata locum habebit. Si est inflammatio, curiosiùs repellendum est: si plethora, vena secanda ad euacuationem, reuulsionem; cucurbitulæ in contrarium sunt applicandæ. Post repulsionem discutientia & resoluentia sunt adhibenda, serioque est inuigilandum; nam hinc horrenda mala oriuntur: si non resoluitur; in scirrhum induratur, vel in gangrænam abit, vel suppuratur, & abcessus fit, & inde sæpe fistulæ, putredines, rosiones; quorum omnium singularem hic curationem instituere non est nostri

instituti. Si excoriationes & pustulæ cum pruritu circa locum contingant (quod propter insuetam ligaturam, prohibitam à fascijs transpirationem indéque caloris auctionem, humorum quoque qui ad vlcus ferri incipiunt, motum fieri potest) frigidis nonnihil repellentibus & siccantibus, vt diapompholygos, vnguento de cerussa, de bolo, occurretur. Plumbum vstum & lotum, cera virginea, lythargyrium, succus plantaginis, portulacæ, earumque aquæ, serum lactis chaly beatum, aqua rosacea, &c. illita, infusa, aut linteis superposita conuenient. Si fœtor est in vlcere, lintea sint sæpius munda; vlcus pluries de die mundetur, bis térve; lauetur vino, aquis odoratis; fasciæ ducant: odorem à spica, musco, rosis. Si caro vlceri supercrescit, quæ affluente melancholico humore abeat in callum, rasorio vel forficibus, vt Galenus lib. art. med. c. 96. testatur, est auferenda: vel medicamentis quæ insignem siccandi, detergendi & abradendi vim sortita sunt, adeóq; cathæreticis, & etiam septicis, de quibus superiore libro dictum est, modo infrà dicendo est reprimenda. Quod si toti cauterio ita supercrescit, vt fluxio sistatur; scarificationibus & cucurbitula superposita est reuocanda. Si vlcus putrescere incipit; frigida & sicca, vt ceratum album & similia sunt imponenda. Si conuulsio tactis neruis oboritur; anodynis, emollientibus

cum

cum quadam frigiditate est vtendum: pars fouēda aut perfundenda oleo camomelino, violato, amygdalino, vel lacte & aqua tepidis, aut decocto altheæ, camomeli, liliorū, fenigræci, & loco vstionis vnguentū aut cataplasma ex pane triticeo, vitello oui, oleo violato cum lacte, opio quoq; & feminibus hyoscyami, papaueris, si opus est, inducēdum. Scribit Herodotus lib. 4. Lybiæ populos solere pueris verticem vrere, & temporum venas; & si vstionis tempore spasmus contingat; inuentum, inquit, est remediū: vrina enim hirci aspersa eos liberant.

CAP. VIII. *Quomodo vtendum cauterijs ad calefactionem, exiccationem, discussionem & attractionem.*

NVnc particulatim de modo vtēdi cauterijs in singulis eius differētijs est vidēdum, sumpta primùm ratione à fine & scopo propter quem adhibentur. Notandum itaq; quòd hos effectus ipsa præstēt duobus modis, & per se & per accidēs: per accidens, in quātum vlcus relinquūt & fontanellæ vicē præstāt. Euacuatione enim humoris oēs illi scopi adimplētur. Cùm ratione fontanellę hos effectus cōsequi nitimur, tūc modus vtēdi à modo faciēdi fontanellas minimè differt. Sed aliter etiā cauteria eos edunt, & per se, vt supra cap. 6. dictum est; nō ratione vlceris, sed suæ igneæ qualitatis.

Hoc modò ea omnia agunt tantùm eo tempore quo corpori applicantur, & etiam pauculo pòst: propter vestigia caloris & empyreuma adhuc in parte relictum. Crusta ablata & inducto vlcere nullam amplius exercent alterationem. Quapropter cum ad hos vsus cauterijs vtimur, tantùm tempore quo hærent, effectus est expectandus. Ex quo sequitur, quòd cauteria, quæ lentiùs agunt, & per consequens diutiùs hærent, ac diu in operatione sua continuantur, hos effectus optimè sint præstitura, adeóque ad hunc finem sint eligenda. Propter hanc causam cauterijs potentialibus, quorum operatio magis lenta est & diuturna, hac in parte maximè locus est; præcipuè autem sinapismo aut phœnigmo. Escharotica & septica, quia validissima sunt, minùs possunt in actione sua continuari; & illa non quidem discutiunt, sed assant, & assando crustam gignunt, quæ duritie sua halitibus exitum præcludit; hæc partem putrefaciendo magis humectant quàm exiccent. Hinc medici dropace, sinapismo, phœnigmo, ad calefaciendum, fundendum, siccandũ, discutiendum, attrahendum, in omni perfrictione, in diuturnis frigidisque affectibus, in cephalæa, paralysi, apoplexia, asthmate, ischiade, hydrope, alijsque similibus vsi sunt: vt apud Oribasium 10. collect. med. c. 13. & Æginetam lib. 7. c. 19, Aetiũ lib. 4. c. 181. videre est. Galenus 7. meth. c. 4. ad cura-

curationem frigidi & imbecilli ventriculi, alijs omnibus calefacientibus medicamẽtis nihil iuuantibus, ſinapiſmum & phœnignum, cõmune, inquit, talium affectuum remedium, ipſi iubet inducendum; Ægineta loco citato in omnibus diuturnis morbis, in omni perfrictione quarũcunque partium, quæ alijs remedijs non cedit, ad calefactionem & diſcuſsionem, ſinapiſmum vtilem eſſe dicit: & coxæ doloribus, ſtomacho, pectori, capiti, in diuturnis & frigidis deſtillationibus imponendum aſſerit. Alij quoque in vertigine, morbo comitiali, inſania, tuſſi, difficili ſpiratione, renum ac lumborum frigiditatibus, ſpinę reſolutione, deiecta appetentia, colica, lienis tumoribus: ad calefaciendum, ſiccandum, diſcutiendum, attrahendum eis vſi ſunt; & in difficultate auditus, in recti inteſtini reſolutione, linamenta ex phœnigmorum materia auribus indiderunt: & Celſus lib. 4. c. 6. in pleuritide ſub finem ad euocandum, & cap. 12. ad inteſtinorum lęuitatem, ſinapi ſimilibuſque vſus eſt. Galenus quoque 13. meth. c. 6. ad venenum à beſtiarum ictibus extrahendum dixit ſinapi & cauteria valere. Verùm vbi calefaciendum, exiccandum, fundendum, diſcutiendum, magis ſinapiſmus; vbi trahendum & euocandum ex alto, magis phœnigmus eſt vſurpandus. Cauteria actualia, etſi cum ſint ipſe ignis, ab igne autem & calore illæ actiones proma-

nent, videantur eas omnes melius potentialibus posse præstare; tamen per accidens variè fit, vt ab ijs quoad hos effectus exuperentur. Quocirca notandum duplicem, vt infrà dicemus, esse modum cauteria ignita adhibendi: vnus est, quando ipsum membrum immediatè tangunt; & tunc vrunt & crustam faciunt: alter, quando non tangunt nec vrunt, sed tantum à longè super ipsum irradiant, ipsumque calefaciunt. Primus modus, quoniam ob excellentiam actionis quæ à forti approximatione prouenit, non potest nisi momento durare; nequit valde magnam vim habere ad fundendum, discutiendum, aut attrahendum, propterea quòd hæ actiones lentè fieri expetunt, & potiùs mediocrem, quàm summum calorem requirunt. A summo enim membrum incrustatur; vnde non permittit vapores aut humores exire: & humores potius assantur, quàm fundantur, aut conuertantur in vaporem. Quoniam verò propter celerem actionem breuis & transitoria inducitur affectio, minimeque stabilis; non magnam etiam ad calefaciendum habet facultatem. Sicut enim calor qui inde resultat, citò fit; ita breui, ablato cauterio & cessante actione, iterum cessat: quia in superficiem tantum est inductus, non autem penetrauit in partem, nec in ea est habituatus. Et propterea, qui diu igni

à lon-

à longè aſsidet, magis incaleſcit, quàm qui maximè prope eſt, ſi breui recedat. Verum in duplici caſu hic modus eſt maximè vſurpandus. Primus, quando pars aliqua roboranda & inſigniter eſt exiccanda, propter egregiam quæ igni ineſt exiccandi poteſtatem; quod in articulis laxitate & madore diffluentibus, vt periculum ſit ne diſſlorentur, & in ſplenis humiditatibus, & in muccoſa vlcerum putredine, oſsiumque carie contingit: nam tunc neque potentialibus, neque vlla alia ratione melius humiditas tollitur, quàm ſi ſuper ipſum membrum ignis adhibeatur. Secundus caſus eſt, quando præter exiccationem, calefactionem & attenuationem, inſuper quoque & euacuationem expetimus: eò quòd hunc modum cruſta vlcusque ſequantur. Ad quemcunque autem iſtorum ſcoporum vſtio fiat, debet non vna tantum aut parua, ſed latæ & multiplices cruſtæ induci. Nam ſi, quemadmodum breuis, ita quoque & parua vſtio eſſet; nihil fundendo, ſiccando, calefaciendoque præſtaremus: & ideo actionis celeritatem, magnitudine & numero ſtygmatum oportet compenſare. Propterea Hippocrates, Albucaſis, alijque, in frigidis & humidis & phlegmaticis capitis, ſtomachi, hepatis, ſplenis affectibus; ſex, octo, decem, duodecim cauteria circum partem inuſſerunt.

Ferri figura ad hanc rem idonea est plana, & quæ latitudinem habet; propterea quòd non profunditas, sed extensio vstionis ad eos fines sit requisita; ideò Albucasis in prædictis partium affectibus cauterio clauili est vsus. Cùm in partium madoribus igne vtimur, vtile est ferramentum foraminibus aliquibus peruium esse, per quæ fumus, qui est ipsa partis humiditas in vaporem conuersa, facilius exhalet. Alius modus est, quo cauteria ita adhibentur, vt partem non tangant nec vrant, sed à longè diu quasi torrendo siccent & calefaciant. Is cùm neque ad crustam, neq; ad vlcus, neque ad cicatricem, neque ad aliquid consumendum faciat (alioqui immediatè ipsa membro adhiberentur;) reliquum est, vt ad siccãdum, calefaciendum membrum, & humores fundendos ac discutiendos, & in altum trahendos vsurpetur. Et ad hunc quidem vsum varia huiusmodi vstionis exempla apud antiquos extant. Sic medici in apoplexia patellam ferream, vel galeam ignitam ad calefaciendum, siccãdum & fundendum humores, super caput poni docuerunt. Razes lib. 9. rei med. c. 4. iubet frixorium ferreum candens capiti tam prope admouere, vt capilli etiam ægroti aduri videantur. Damascenus quoque lib. 3. cap. 24. in cura apoplexiæ: capita, inquit, eorum ferro candente suspenso, & capiti tantum non incumbente, sunt calefacienda.

Simi-

Similem modum videre est apud Hippocratem lib. de hęmorrhoidibus, vbi hęmorrhoides vrerè docet, nõ tangendo, inquit, ferro, sed eas à longe exiccando. Sed duplex est hic modus applicandi ferri candentis absque inductione crustæ aut attactu partis: alius enim fit immediatè, cum nihil est inter caput & cauterium medium, sicut Hippocrates & Razes iam fecerunt: alius, aliquo mediante. Sic nonulli in apoplexia caput pileolis lineis multiplicatis aut cotone fultis super caput ponunt & postea desuper galeam ignitam, quæ tamdiu applicatur, donec linteum incipiat comburi: vt sic ignis vis obtusa quodammodo & fracta ad caput pertingat, ne cerebri meninges inflammentur. Et quidem hic modus priore tutior videtur; propterea quòd hac ratione ignis calor mitior reddatur per subiecti rarioris mutationem. Cælius Aurelianus lib. 5. c. 1. chroniôn, non dissimilem modum habet, quo antiquos vsos fuisse asserit, ad aquosi seri in hydrope discussionem. Sacculum, inquit, lineum imple sale torrido, & impone patientibus partibus, tũc superaspergo aquam salsam calidam, & superimpone cauteria lata ignita: sic enim, inquit, calefacto saccello instillans humor & cum feruore acerrimo decedens & poros singulos inuadens partes phœnigmi aut sinapismi instar rubificat. Huc referri debet modus cauterizandi Albucasis lib.

sis lib. 1. c. 22. quo vtitur ad calefactionem pro dolore dentis à frigiditate causati. Capit enim ipse lanam aut cotum, quod submergit in butyro frigido, & ponit super dentem dolentem, & desuper ponit ferrum ignitum; donec, inquit, perueniat ignis ad profunditatem concauitatis dentis. Non dissimilis est ratio cauterij, quod habet Auicenna lib. 3. fen. 22. tr. 2. c. 17. quo vtitur in podagra ad calefaciendum, exiccandum, discutiendum, & ex alto trahendum. Circundetur, inquit, locus doloris, & impleatur medium eius sale, & ponatur desuper parum olei, & desuper pānus, & igniantur cauteria plurima, & administrentur taliter, vt non sentiantur calida; deinde sentiantur cum calore, deinde sentiantur summè calida, quousque possunt tolerari; ne, inquit, aduratur locus aut vlceretur: cùm autem tolerare amplius non possunt, deponantur, & aqua rosacea aspergatur facies ægrotantis. Videamus adhuc alium modum ex Cælio Aureliano lib. 5. c. 1. diutur. quo antiquos vsos fuisse scribit ad aquæ in hydropicis discussionem. Farinâ, inquit, manibus subactâ agger super partem fit: alueus oleo repletur: tunc cauteria ignita longa immittenda; ita, inquit, vt cutem tangere minimè debeant: hoc faciendum, donec oleum feruefactum calorem corpori tribuat. Pro discutiēdis flatibus in colica, idem lib. 4. diutur. c. 7. ponit hoc cauterium.

terium. Locus, inquit, farina circumclaudendus & implendus cauliculis, & oleo, tum immittenda cauteria ignita; non, inquit, vsque ad effectum vstionis, sed vsque ad ruborem faciẽdum. Ex his verò patet, quòd ad fundendum, calefaciendum, discutiendum, attrahendum, antiqui non tam cauterijs quæ crustam facerent & vrerent, sed quæ à longè torrerent, sint vsi. Quod cùm faciendum indicatur, meo iudicio præstantius est, ignem mediante aliquo corpore alio ipsius vim frangente, applicari. Etenim calor ignis, cùm sit acris, corruptiuus & intemperatus, non est calori nostro proportionatus, sed accendit: verum cum per oleum aliquod aut gossypium aut oesipum aut pannum transit, subiecti rarioris mutatione mitior magisque proportionatus euadit: ac præcipuè iuuat cùm resolutione est opus. Nam ad resoluendum, non est vtendum magno calore; nam is per modum assationis incendendo, conuertit humores in terram & lapidositatem: sed ijs, quę humectando simul, calore moderato in aeream substantiam resoluunt. Quapropter optimum iudico oesipum oleo intentioni nostræ accommodo discussiuo & attenuante imbuere, & super partem quam calefacere & resoluere volumus, imponere, & desuper laminam spissam ferream, latam applicare: primum à longè, postea magis magisque approximando: sic e-

sic enim paulatim pars calori assuescit, obstupescit, nec dolorem sentit, vt loco supracitato docuit Auicenna. Hac ratione & cauterium actuali suo calore & oleum potentiali sua vi operando, duplicant effectum, fitque vt olei ad scopum accommodati substantia, & vis ad intimas partes penetrans secum, & propriam & cauterij vim penitius deferat. Nam pręterquam quòd per se ignis calefaciat, discutiat, fundat: hanc quoque vim habent quòd medicamenta melius faciat pertransire; sicque non absimile prædictis cauterizandi modis est, & quodammodo ad cauteria spectare videtur, quòd quæ olea ad calefaciendum, siccandum, discutiendum, præscribimus; calida manu & ante ignem inungi iubeamus. Sunt & aliæ discutiendi & calefaciendi rationes, quæ ad cauteria meritò referri possunt. Albucasis lib. 1. c. 22. cotum feruente butyro imbuit, & applicat dentibus à refrigerio dolentibus. Cælius Aurelianus 4. diuturn. c. 7. feruido butyro ventri superinfuso ad flatuum vtitur discussionem. In colica pro flatibus hodie afferes quernei calidi, sacculi ex arena aut cinere aut furfuribus feruefactis, panis ex furno calens cum pulueribus carminatiuis, quantum ferri potest, imponuntur. In tinnitu aurium ad calefactionem & discussionem solet pater meus, vt in libello suo de flatibus scribit, tanquam præsentaneo remedio rapi vnius

ad ig-

ad ignem ſummè feruefacti medietate auri ſuperpoſitæ vti. Huc referri debent corporis ad ignem, & in ſole vſtio & torrefactio; quam, vt ſcribit Aurelianus 2.diutur.c.13, Græci Heliosim appellabant, paroptesis & ſepelitio in arena maris æſtuante, &c. qui ſunt modi quidam vrendi & cauterizandi inuenti ad ſupradictos effectus; & quibus antiqui in frigidis affectibus paralyſi, hydrope, &c. ad pituitæ & aquæ diſcuſſionem, corporis exiccationẽ & calefactionem, & ſanguinis ac ſpirituũ ad externa membra tractionem, Cælio teſte, vtebantur. De fomento ex igne & carbonibus loquẽs Oribaſ.10 collect.med.c.1.torreantur, inquit, donec difficulter ferre queant. Cæterum, inquit, torreri ad muros ignitos immediatè, aut lineis pannis intermedijs eándem habet vtilitatem. In frigidis, inquit, iſchiadicis, aſthmaticis, cæliacis, neruorum & aliarum partium frigidis affectibus valet. De ſiccatione per arenam.c.8.ex Herodoto: de inſolatione c.9.libri citati vide.

CAP. IX. *Quomodo vtendum cauterijs ad annihilandum & conſumendum, & primùm quomodo apoſtemata cauterio auferantur.*

AD conſumẽdum & annihilandum cauterio vtimur in duobus: in apoſtematibus ſeu excreſcentijs, & in vlceribus carnis

carnis vel ossis, quæ caries dicitur, exurendis. Primò autem quomodo apostemata cauterio auferantur, est dicendum. Sciendum itaque, quod omne id quod corpori præter naturam adnascitur aut supercrescit, si aut malignum aut leuioribus remedijs non cessurum videatur, cauterio adimi potest. Calli, carnositates, carbunculi, ganglia, lupia, atheromata, steatomata, verrucę, acrochordones, strumæ, phymata, thymi, & id genus alia; vti supra dictum est, lib. 1. cap. 7, sic auferuntur. Verùm non est in omnibus idem vrendi modus eademque ratio. Quapropter cum hoc fine cauterio vtimur, ante omnia videndum est; an id quod exurere aggredimur paruum sit an magnum, durum an laxum, in cauitate aliqua an in extima parte contentum: & si hoc, an parti adhærens vel inhærens; & si inhærens, an nerui, venæ, atque alia vasa coniugantur aut subijciantur, necne. Primum itaque studendum est, vt quòd auferre volumus, in totum aboleatur: alioqui facilè de nouo accrescit. Sic polypus, nisi totus exuratur, iterum assurgit; & verrucas, carbunculos, nisi cum radice euulseris, nihil effeceris. Si paruum est, minimo; si magnum, maiore negotio aufertur. Sic paruæ excrescentię mitioribus cathæreticis tolluntur, magnæ septicis causticisque; etsi valdè magnæ sunt, ferro candente potius quàm medicamento aduruntur. Certum

autem

autem est tumoris magnitudini ferramenti figuram debere respondere. Molles tumores mitibus, duri non nisi fortioribus remedijs cedunt; laxa caro cathæreticis exeditur, callus etiam caustica exposcit. Si iuxta venas, arterias, neruos sunt; cautio est adhibenda, ne ea tangantur: ideò si scrophulas vrere volumus, periculum est: nam, vt inquit Hollerius, multi eas vrere volẽtes arterias carotidas vlsere, & mortem intulere: à neruis quoq; recurrentibus periculum est. Tunc verò securius est medicamento, quàm ferro vrere. Nam cum illud lentè agat, melius percipitur quantum continuò proficiat, & quousque eius actio peruenerit; & ideo melius cauetur, vt membra ea non tangantur. Porrò & ne alias circumiectas partes vramus est cauendum. Id quia in externis tumoribus facilius, in profundo verò positis difficilius cauetur; ideo vt id securè fiat, qui interius in aliqua cauitate latent, per cannulam immissam sunt vrendi. Tamdiu enim immissa in cauum cannula tentandum est, donec tumor in cannulæ foramen ingrediatur; quo facto, vel medicamentum causticum inspuitur, vel candens ferramentum imponitur. Sic polypum, vuulam; adnata vuluæ, peni, recto intestino, exurimus. Cereum virgæ imponimus & relinquimus; vbi eximitur, sanies ipsi adhærens locum tumoris ostendit: ea parte cereum

nonni-

nonnihil excauamus & cathæretico vnguento emplastramus : tum iterum immittimus, vt ante, sic vt vnguentum ad locum tumoris pertingat, sicque penis carnositates intus natas absumimus. Quod si nec hi modi satis tuti fuerint, vel necessitas vrgeat, & partis ignobilitas patiatur; caro ipsa circumcidenda est, vt tumor vrēdus denudetur: hoc vt in tumoribus qui sunt in locis carnosis fieri facile potest, ita & in naribus & in virga fit, præcipuè in rusticis, vt ad polypi ac carnis intus genitæ ablationē aperiantur ac findantur per mediū, & tumore ablato iterū consuantur, vt Hippocrates 2. de morbis testatur. Si tumores inter carnem iacent, vt strumæ, lupia, ganglia, atheromata, steatomata, &c. sic exure. Primò cutim caustico pro magnitudine abcessus rumpito, cute rupta & inducta eo loci eschara, per escharæ medium abcessum rectâ lineâ in longum diuidito, incide autem versus profundum ferè ad viuum vsque, & in sectionis vulnus linamentum aliquod exedente medicamento, vt puluere asphodelorum, arsenico, &c. respersum impone. Quando autem certò constabit glandulam iam absumptam esse ac corruptam (quod ex duritiē & tumore crustæ inductæ deprehendes) tunc crusta à viuo resoluenda erit suppurantibus, & cum exciderit, si quidpiam adhuc ex glandula, lupia, aut struma remanserit, id absumendum, aut erodente medica-

dicamento, vt puluere asphodeli, vnguento ægyptiaco aut simili: inde vlcus purgandum & consolidandum instar aliorum. Si externus tumor est & eminens, vel caustico vel igne auferatur. Si igne, munimentum superponitur, & per eius foramen candens ferrũ adigitur: si minor est, superpositio infundibulo aut testa nucis, aut calamo scriptorio locus munitur, ita vt tumor foramen eorum ingrediatur, tuncque sulphur incensum, plumbum liquefactum aut aqua separationis feruens infunditur: sic verrucæ, acrochordones exuruntur. Interdum prehenditur tumor, & filo in materia caustica, vt aqua fortì, oleo vitrioli macerato ad radicem ligatur, & filum indies magis magisque stringitur, donec tumor decidat: sic etiam verrucæ, strumæ & aliæ excrescentiæ aliquando curantur. Interdum penicillo aqua forti vel aliquo caustico imbuto cottidie tangitur, interdum cum tumor pendulus est, aut ad radicem apprehendi bene potest, forficibus ignitis amputatur. Nonnulli tumores prius præscinduntur, & quod reliquum est igne absumitur; quod in magnis & vbi à substantibus venis & profluuio sanguinis non timetur, meritò locum habet. Extremum enim tumoris citius & melius abscinditur, radix verò exuritur. Ideò cum multi tumores etiam sola scissione curentur, tamen plerunque monent medici, vt post scisionem

(quo radix melius euacuetur) vstio superaddatur. Nonnulli, inquit Ægineta loquens de gangræna & sphacelo, vbi putridam carnem præciderunt, ad mali radicem auferẽdam, candens ferramentum adigunt : idem lib. 6. c. 58. thymum scalpello deradit, tum chalcitide aspergit, & eodem modo c. 18. condylomata circa sedem & 77. callos à fistulis detrahit. Galenus 2. artis curat. ad Glauconem c. 9. pro gangræ-
" na : Ad maiorem autem, inquit, securitatem,
" quãdo abscindis quid putridum aut circũcidis,
" id quod iam putruit, ipsius mali radicẽ parti sa-
" næ cõiunctam adurere oportet: & c. 10, primò cancrum abscindit, postea vrit : & Auicènna lib. 4. fen. 3. tr. 2. c. 6. & 16. Aetius lib. 14. c. 4, Celsus, alijque, in gangræna, cancro, thymis, multisque alijs tumoribus, primò scindunt, postea vrunt. Optimè enim sectio & vstio simul sunt, sibique mutuo succenturiantur, nam vbi multum est quod auferri debet, nequit ita bene vri; quia ex diuturna illa & multa vstione fieret dolor magnus, febris ac periculum inflammationis : ideò citius scinditur : verum vbi radix non potest bene sectione auferri, aut malignum aliquid & putridum subest, (quia nequit pręcisè id à sano sectione secerni) optimè vstione superatur. Hæmorrhoides sic vruntur. Pannus lineus duplicatus accipitur, aqua rosacea, & albumine oui saturatur & podici apponitur,
& per

& per relictum in eo foramen hæmorrhois filo ligata protrahitur : hinc forficibus ignitis abscinditur ; quo peracto vitellus oui cum butyro & semperuiui succo imponitur, ne dolor oriatur. Possunt etiam & filo caustico abligari. Si cœcæ sunt, ano imponenda fistula, caustico plena, superque hæmorrhoides tenenda, sicut Paulus lib. 6. c. 79. & Celsus capite, ni fallor, 18 lib. 6. docuerunt. Hippocr. lib. de hæmorrhoidibus sic eas vrit : iubet vt æger iaceat supinus, & sedes digitis quàm maximè foras extrahatur, tum candens ferrum per fistulam sic admittatur, vt ipsæ non tangantur, sed à longè tantum exiccentur. Circa hoc, an omnes ad vnam hæmorrhoides vrendæ sint an non, Hippocrates 6. Aphor. 12. & Paulus 6. c. 79. monent vnam esse relinquendã : è contrà verò Aetius lib. 14. c. 5. omnes vrit. Si natura illac multo tempore sese exonerauit, nõ est ille cursus in totum impediendus ad quem natura iam assueuit ; quare vna pro tempore relinquenda est : sin fluxus recens est, omnes vrendę, & sectâ alio in loco venâ sanguis est deriuandus. Varices sic vruntur: cutis superinciditur, patefacta vena tenui & retuso ferramẽto candente modicè premitur, vitaturq; ne vulneris oræ adurantur, quas reducere hamulis facile est : id interpositis fere quaternis digitis per totũ ramicem fit, & tum superponitur medicamentũ quo adusta sanantur. Hãc ratio-

rationem tradit Celsus lib. 8. c. 31. Videndus quoque Aetius lib. 14. c. 85. Caius Marius etsi in vno crure varices secari sibi constanter tulisset, in altero tamen remedium repudiabat; vt Cicero 2. Tusculanarum quæst. testatur: ex quo cognoscitur remedium hoc cum insigni dolore esse coniunctum. Modus exurendi cancros mammarum ponitur ab Aetio lib. 16. c. 46. „ supra cancrum, inquit, partem mammillæ sanam „ incido, & incisam cauterijs suburo, quousque „ crusta inducta eruptionem sanguinis reprimat, „ mox iterum incido scarificando simul & profundum mammæ dissecando, ac rursum partes „ incisas vro, sæpissimeq; idem repeto, & secans „ & sistendi sanguinis gratia inurens; ita enim „ eruptionis sanguinis periculum euitatur. Post „ amputationem verò integrè peractam, vsq; ad „ desiccationem partes omnes inuro. Ac primæ „ quidem inustiones pro reprimendo sanguine „ sunt, postremæ verò ad omnes morbi reliquias „ abolendas. Vuula ex Mesue sect. 1. par. 2. sum. 1. sic est vrenda. Ferrea fistula paranda est iustæ magnitudinis, cuius extremũ ita recuruum sit, vt illam vuulæ partem exactè & non maiorem, quàm quæ corrupta est, possit excipere; in illud igitur extremum corrupta pars tunc excipitur, tum per reliquam fistulam, quam scilicet sinistra manu tenere oportet, aureum scalpellum acutum & ignitum vsque in extremum

fistulæ

fistulæ immittitur, vt vuula comprehensa abscindatur, & vratur: tum abluendus aceto locus in quo alumen & gallæ sint incoctæ. Albucasis lib. 2. c. 37. sic vrit cum causticо. Capit instrumentum ferreum habens anterius aliquid sicut cochlear concauum, illud implet vnguento causticо nec nimis spisso nec fluxili, & tunc ponit instrumentum cum vnguento ad vuulam, curatque vt æger decumbat super latus, vt ex ore eius fluat saliua, ne aliquid medicamenti labatur in guttur, & tamdiu hærere sinit, donec vuula sit combusta & denigrata: quod, inquit, spatio mediæ horæ fieri potest: nam tunc, inquit, post duos aut tres dies vuula cadet. Quãdo membrum aliquod, crus aut brachium propter gangrænam aut venenũ est amputandum, hoc modo, vt testatur Celsus lib. 7. est procedendum. Membrum supra corruptam partem arctè ad obstupescentiam deligetur fascia non nihil lata nec acuta, sed crassiore & lanea: tum nouacula præscinde carnem vsque ad os, illic vbi infecta caro separatur à sana; tum serra ossa preseca, inde tum circa ossa arterias, venas & semicorruptam carnem cauterio vre, & vt fasciâ solutâ sanguinis profluuium non oboriatur, & vt quod semicorruptæ carnis in parte toti continua adhuc reliquum est, non serpat & sanam inficiat, sed productâ eschará cadat. Cauterium ad rem idoneum est falcatum, & in formã lunæ

vt os prominens, internum ipsius circulum sic ingrediatur, vt non impediat, quo minus ipsam vndique carnem contingere sua planitie possit. Quod si planum eiusmodi ferrum non omnes partes aut orificia venarum exactè contingat, ad manum esse debet oliuare, quò ea melius contrahi & comprimi possint. Hoc facto, causticus puluis & constrictiuus, vt chalcanthum cum sarcocolla inspergi debet & stupa, aceto madida cum bolo, aloe, sanguine draconis, pilis leporinis concisis, & albumine oui, quæ in medio foramen habeat, quod ex tanti ossi loco cum faciat, vt ipsa firmius carni possit apponi; debet superinduci: tum brachium vesica arctè induendum est, quę ei circumligetur. Hæc enim à magno sanguinis profluuio medicum in omnem euentum immunem reddit, quia ea impleta sanguinis plus exire impossibile est. Tum prima fascia quæ arctissima erat, soluenda est, & alia tres digitos latâ aqua rosacea aut aceto imbutâ, ab vna vulneris parte sursum progrediẽte, & paulatim minus stringente pars est muniẽda, ipsaque pars sursum gerenda est, vt sanguinis descensus & profluuium impediatur. Ego hac ratione nuper ante tres menses puero octodecim annorum ita fœliciter brachium amputaui, vt nec animo delinqueret, nec semiunciam sanguinis effunderet, nec tamen cauterio opus haberet.

CAP.

CAP. X. *Quomodo in vlceribus & carie cauterijs est vtendum.*

ILla vlcera sunt vrenda quæ maligna sunt & antiqua, & alijs remedijs non cedunt, quæ coniunctam habent humiditatem & putredinem ac particulæ corruptionem, quæque gangrænosa, sinuosa, callosa, depascentia & venenosa ac à telo venenato sunt inducta; quæ cacoethea, chyronia, telephia, æstiomena, phagædenica, fistulosa appellantur: vti Galenus, Auicenna, Aetius, Paulus, Celsus testantur. Nam si antiqua & difficilia sunt, ignis omnia exuperat: si putrida; nihil igne magis exiccat; si venenosa; ignis omnium maximè venenum oppugnat. In eorum verò vstione plura quoque sunt consyderanda: vt an parua sint an magna; humida & mollia, an callosa; caua, sinuosa atque inaccessibilia, an verò foris exposita: an sola caro, an etiam nerui & subiecta vasa ossaque computruerunt. Si sinuosum & cauernosum est vlcus, circum incidi & aperiri labra debent, donec totum vlcus in aperto sit; alioqui totum quod putridum est non vreretur, aut sana pars quæ circunstat & superiacet, tangeretur. Diuisio autem illac est facienda, quò sinus & cauerna vergit, & vel simplex vel multiplex pro ratione sinuum ipsorum esse debet. Diuisione facta, penicilla oui candido imbuta inter la-

bra ſolutæ vnitatis ponenda ſunt, vt ea deducantur & vulnus hiet: poſtera die locus eſt adurendus. Vſtio vel cum potentialibus, vel cum actualibus fieri poteſt: vbi putredo eſt aut veneno ſitas, actualia ſunt eligenda. Poteſt autem vel immediatè vlcus vri, vel primò quod in eo putridum eſt, ſi eſt multum, vt in gangrena, fiſtulis, vt Auicenna lib. 4. fen. 4. tr. 3. cap. 9. monet, abſcindi & circuncidi, & tunc demum vri. Ferrum ad vrendum debet vlceris formæ reſpondere. Si vlcus eſt vniforme & planum; lato & amplo ferro poteſt vri, ad dolorem non ſæpe repetendum: ſi putredo inæqualiter ſerpit, aut vlcus ſinuoſum eſt; tenue debet eſſe ferramentum aut cultellare, & illud debet circum circa vlcus toties duci, donec, vt inquit Albuc. lib. 1. c. 37. nihil putridum eſt quod non ſit vſtum. Terminus hic, teſte Auicenna lib. 1. fen. 4. c. 29. & Aetio. 2. tetrabibli, cognoſcitur ipſo dolore: quamdiu enim non ſentitur dolor, adhuc pars putrida vritur: quando verò dolet; ſignum eſt ad partem ſanam eſſe deuentum, & ideò tam diu circum circa vrendum, donec dolor oriatur. Vſtionis terminus quoque eſt, dum mollis illa caro durior ſolidiorq; effecta fuerit, & caro perfectè ſit exiccata, quod tactu ipſo cognoſcetur. Vniuerſim, præſtat pluribus vicibus operationem tentare, quàm confertim vrendo ſanam partem contingere. Expetunt quo-

quoque eiuſmodi maligna vlcera fortem ſatis impreſſionem & ignitionem: quas tamen ita temperare oportet, vt vbi pars natura vel morbo humidior eſt ac putredo maior, & candentiore ferro vtamur, & impreſſioni diutius immoremur. Abſoluta vſtione dolorem mitigantia & anodyna vlceri ſunt imponenda; qualis eſt porri ſuccus: (quatenus, ni fallor, igneitatem extrahit) quem Galenus 2. ad Glauconem laudauit, & cuius ſententiam omnes Græci tenuere. Nos locum aceto, albumine oui, aqua roſacea, ſucco plantaginis, perfundimus: vniuerſimque ijs quæ vel refrigerando vel anodyna vi empyreuma corrigant, eſt vtendum. Poſtea detrahenda cruſta eſt, non cum ſuppurantibus aut humectantibus, ſed quæ ſiccandi, incidendi & putredinem cohibendi habent poteſtatem: de quibus ſupra c. 6. à nobis dictum eſt. Monet autem Aetius lib. 14. c. 52. in talibus curandum eſſe, vt inducta eſchara quàm citiſſimè cadat, ne diu hærendo interim vlcus iterum ſerpat. Si potentialibus vtimur, ad rem erunt ægyptiacum, paſtilli Andronis, Muſę, Paſionis, Polyidæ, Aldaron, Calidicon, trochiſci aſphodelorum, arſenicum, ſublimatum, calcitis, ſandaracha, &c. quæ vel vlceri illinuntur, vel forma pulueris inſperguntur, aut in caua per calamum ſcriptorium inſufflantur, vel per auricularium clyſterem formâ liquidâ infunduntur;

vul-

vulnusque linamentis concerptis, aut alio quouis, ne elabatur, clauditur. Interdum penicillo vlcus circumcirca attingitur, oleo vitrioli, aqua ardente & similibus intincto. Si simul neruus aut vasa aliqua computruerint, vnà quoque sunt vrenda: si etiam subiectum os; etiam, inquit, Auic. lib. 1. fen. 4. tr. 29. vnà cum carne ipsum cauterizare oportet: & Aegineta de ægilope loquens; quod si, inquit, iam carie vexatum os sit, vrere oportet. Primò autem, inquit Celsus lib. 8. c. 2. incidi debet vlcus, vt os detegatur; si latius corrupti ossis vitium sit, quàm vlceris; sanam quoque carnem subsecare oportet, donec totum id quod corruptum est oculis exponatur, & Aetius lib. 7. c. 85. ægilopem vrēs primum triangularē carnis fieri iubet sectinem. Si superficiaria & exigua ossis est corruptio, radi os debet, donec aliquid cruoris ostendatur, quod integrioris & minimè corrupti ossis nota est. Et hoc quidem magis fieri debet in corruptionibus illorum ossium, quæ caput, articulos, spinam contingunt: propterea quòd earum partium magis periculosè, quàm aliarum ossa cauterizentur, ob membranarum inflammationes & tendinum retractiones & conuulsiones. Verùm in alijs ossibus & in magna atque profunda carie hoc non sufficit, sed vel non raditur os & tantum aduritur, vel primum modice raditur & post adhuc vritur. Vstio autem fer-

tem ferro, minime medicamento est facienda. Mẽsura vstionis à cariei magnitudĩne est desumenda. Lenis impressio est in carnosæ partis, fortis in ossium putredine; & in hac tanto fortior, quãto putredo est maior. Magnitudo corruptionis ex mollitie ossis & nigredine cognoscitur. Terminus autẽ per se vstionis est, donec nihil putridum in osse relinquatur, & donec ad sanam ossis partem sit peruentum. Verùm difficile videtur id cognoscere: non enim potest hoc per sensum hic, sicut diximus, de carne explorari, quia os sensu præditum non est sicut illa: non etiam per visum, vt videtur; cum escha-ra tegat partem ossis sanam vnà cum cauterio super os morante. Sed regula est, fortis resistẽtia quam facit os pressum contra ipsum cauterium: nam pars ossis putrida mollis euasit ac pinguis, & facile cedit pressioni ipsius ferri, at verò quæ dura est, resistit: vnde cum percipimus soliditatem maiorem quàm antea, signum est nos ad sanum os peruenisse. Altera regula est albedo ossis, ita vt cum ad os album peruenimus, ad sanum peruenisse sit existimandum. Sed quia crusta eam abscõdit, ideò modus est, vt eschara radatur, sub qua si pars ossis alba & dura existit, satis perustum est; si mollis & liuida ac pinguis, repetenda vstio est. Albo enim finitur quod ex nigritie malum est, soliditate, quod ex carie. Accedere etiam aliquid

cruo-

cruoris sani ossis indicium existit. Si corruptio altè os insedit, post vsum primi cauterij terebra, inquit Celsus, ipsum multis foraminibus aperiemus, quæ rorruptionis altitudinem æquēt, & in ea foramina stylum ignitum immittemus, vel aquam fortem infundemus, vt quàm maximè os exiccetur, cariemque expellat, sub eaque carnem generabit natura, ne sanum os ab externo aere iterum corrumpatur. Quapropter Auicenna lib. 4. c. 4. fen. 4. tr. 4. sic inquit: si os corruptum est, cauterizari debet, vt cadāt cortices corrupti & remaneat sanum, & si corruptio profundior fuerit, necesse est concauare ipsum. Et Aetius lib. 7. c. 85. in corruptione ossis vrendum, inquit, donec deciderit squama. & Auicenna lib. 3. fen. 3. tr. 2. c. 15. & Isaac 9. pract. c. 80. vrentes ægilopem, in qua os est putrefactum, iubent ossa narium aliquot foraminibus perforare; quoad, inquit Auicenna, sanguis ad partē oris & nasi currat: quæ an penetrēt, hoc signo inuestigare docet Isaac, si clausis naribus fumus per ea foramina exeat. Osse sic vsto docet Guido tr. 4. doct. 1. oleū rosatum calens cum albumine oui ad tres dies infundi, vt dolor ab vstione mitigetur & fluxio auertatur. Alijs tribus diebus sequētibus digestiuū ex oui vitello & rosaceo, vel butyrū cum melle est imponēdum, & dein mundificātibus, incarnantibus, & cōsolidantibus vlcus est claudendum.

CAP.

CAP. XI. *Quomodo ad perforandum cauterijs sit vtendum, & quomodo abcessus cauterijs aperiantur.*

CAuterijs abcessus & internæ cauitates, vt thoracis & abdominis, perforantur. Hic de aperiendis abcessibus agemus. Aperiuntur autem triplici ratione, ferro frigido, ignito & medicamento, seu quod idem est sectione vel vstione. Etsi verò communius sit & vtilius illa vti, est tamen vbi huic magis quàm illi sit fidendum. Vbi nerui subsunt, ferro potius locus est quàm igni actuali: propterea quod illi ferro caueri possunt, igne verò actuali non item. Nam etsi forte ab ignis substantia non tangantur, sentiunt tamen contactum virtutis à qua insigniter alterantur; quare eo casu causticо potius est vtendum. Verùm vbi periculum est ne sanguinis profusio oboriatur, propter vasa sub parte latentia, securius est ignem quàm ferrũ adhibere, quia ignis venas claudit, sicut à nobis suprà dictum est. Sic quoque vbi abcessus est venenosus, vt bubones, anthraces, quiq; in lue gallica fiunt: vbi putredinis aut depascentiæ alicuius signum est; quia eam ignis compescit: denique quando tumores frigidi & humidi sunt; quia tales ab igne roborantur: igne potius, quàm frigido scalpello perforare oportet. Si æger & ferrum & ignem timeat, medicamen-

dicamento cauſtico tunc eſt aperiendum. Vt autem operatio ſucceſſum habeat, primò videndū an abceſſus ad maturitatē peruenerit, nec ne; quando enim peruenit, ſtatim eſt aperiēdus, & non prius. Nā ſi citius aperiretur, aperta parte & calore natiuo, qui antea coactus erat & vnitus & ſic fortis, per eā expirante & reddito imbecillo, quod reliquum eſt & necdū caloris operationē ſufficienter expertū, deinceps tum poſſet difficulter ſuppurari: vnde vlcus diuturnum, crudum & diu virulentum profundens humorem, calloſum & oſtracoſum redderetur. Quod ſi verò tempus perfectæ ſuppurationis tranſiretur & ſerius quàm deceat abceſſus aperiretur, concluſa materia partes vicinas rodēdo excauaret: vnde fieret vlcus fiſtuloſum & ſinuoſum, & ſubiecta vaſa nerui & oſſa computreſcerent. An autē maturus tumor ſit, colligitur; ſi febris, calor, dolor ceſſauerint; ſi tumor attollatur in pyramidē; ſi qui antea durus erat, palpetur mollis, & cū premitur, ſpeciē edat humoris intus fluctuantis. Verùm in nōnullis tumoribus exceptio eſt. Nam qui veneno ſi ſunt, vt bubones, anthraces, quiq; iuxta articulos ſunt; quia periculū eſt ne ſubtus carnē excauent & pus in articulos effundant; & qui iuxta viſcera hærēt; deniq; qui neruū aliquem comprehendunt, quem metus ſit corruptum iri à nimis diu circumiacente pure; qui valde magni ſunt, vt non poſſit totum pus ſimul ma-

mul maturari; aut qui sunt à grossa aut frigida materia; aut in parte in qua calor naturalis non est satis fortis ad maturandum, vt timendum sit ne perfecta maturatio nimis diu protrahatur; vel in partibus valde calidis & humidis, vt anò, partibus genitalibus: apertionẽ expetunt antequam ad absolutam peruenerint maturitatem. Generale est in omni abcessuum apertione vt fiat, secũdùm villos seu musculorũ rectitudinẽ, ne particulę motus labefactetur; vt fiat illic, vbi tumor magis prominet & mollior est, quia ibi maturum pus magis est congregatum; & loco quantum fieri potest demissiore, vt sic pus melius elabatur: vt neruus caueatur, si quis est: vt magnitudo foraminis proportionetur magnitudini abcessus, & vel vnũ vel plura fiãt, prout situs saniei indicabit. Si in vno loco omne pus collectum est in globum, vnum foramen satis est; si distincti sinus sint, vt quod in singulis est, non videatur per vnum posse euacuari, plura sunt efficienda. Si igne actuali vtimur; instrumentum debet esse cultellare, si longum foramen est faciendum; radiale, si exiguum: si causticò rem tentamus, petia linea multiplicata anodyna aut repellente materia imbuta, quæ in medio foramen habeat, super tumorem poni debet, & causticum foramini imponi. Causticum verò pro crassitudine vel tenuitate cutis vrendæ, fortius vel debilius erit. In calida

phleg-

phlegmone & ſublimi, vbi cutis tenuiſſima eſt, interdum theriaca, mel anacardinum, gutta olei ſulphuris, vitrioli, aquæ vitæ, impoſita ſufficit, vel aliquid ex ſale ammoniaco, nitro, elleboro albo, euphorbio, pyrethro, pipere, ſinapi, ſtercore canino albo, fæce vini, ærugine, cantharidibus, aut qualicunque rubificantium vel ſinapiſmorum materia comparatum: vbi cutis denſa eſt, aut tumor frigidus, ſeptica vel cauſtica materia eſt vtẽdum. Valet calx cum ſapone, ſublimatum cum axungia, terebinthina vel populeo; vel quod ex ſtercore colũbino, ſemine lini & fermento fit, aut eiuſmodi quippiam. Si lixiuij ſaponis libræ ſex in vaſe æneo cum vncia vna vitrioli romani coquantur ad ſpiſſitudinem, illud miraculi inſtar operabitur.

CAP. XIII. *Quomodo cauterijs vtendum ſit ad cruſtam.*

CAuterijs propter cruſtam vtimur, cum ſanguis nimis profluens eſt ſiſtendus. Quia vero eatenus cruſta ſanguinem ſiſtit, quatenus eſt quaſi vallum quoddam aut oſtium, exitũ ipſi præcludens, donec caro ante venam ſuccreuerit, ideo meritò tota vtendi ratio in modo inducendæ firmæ diuq́ue hærentis cruſtæ cõſiſtit. Hanc cruſtam facere poſſumus, vel cum actualibus, vel cum potentialibus: vtra autẽ præſtent ambigi facilè poteſt. Ad cruſtam autem

autem duo requiruntur; & vt ſolida ſit, & vt durabilis: ſolida, alioqui excuteretur facilè: durabilis, alioqui poſterius malum ſimile eſſet priori. Nam ſi quando facta eſt, ſtatim cadat, manet foramen & non clauditur: & propterea debet tam diu hærere, donec caro ante foramen venæ ſuccreuerit. Aliqui dicunt potentialia minus quidem ſolidam ducere cruſtam, ſed tamen durabiliorem. Verùm Auicenna lib. 4. fen. 4. tr. 2. c. 17. contrarium dicit, aſſeritque cauterium cum ferro & ſolidiorem & durabiliorem cruſtam facere, & ideò durabilem, quia ſolidam: fit enim, inquit, ab ipſo eſchara groſſa & profunda, quarum caſus non eſt facilis: ex cauterio namque debili proueniunt, inquit, eſcharæ debiles, quæ cadunt à quauis cauſa. Sed videri poſſet non ita ſeſe rem habere. Nam, etſi neceſſariò ignis ſolidiorem, quàm medicamenta faciat vſtionem; non inde tamen ſequi videtur, vt etiam faciat durabiliorem. Nam non videtur durabilitas à ſoliditate pendere, ſed contrà, ea quæ ſolidior eſt, videtur minus durabilis fore: nam quæ ſolidior eſt, ea magis eſt exuſta, & ideò ignis ſolidiorem facit, quia maiorem facit vſtionem; quæ autem magis exuſta eſt, magis eſt priuata vita & communi totius temperamento; talis autem citius ſecernitur & ſecedit à toto, eiuſq; ligamenta citius corrumpuntur: quæ verò minus ſolida, minusq; exuſta

est,ea propterea diu hærebit,quia eius extrema & fibræ, quibus cum toto hæret, minus sunt corrupta & alterata, minúsque cito putrescunt. Vnde cum potentialia minus fortiter vrant actualibus,minus quidem solidam hisce crustam facere videntur,at diutius tamẽ permanentem. Sed distinctione opus est; nam duplex est durabilitas: alia consyderata secundum violentam expulsionem: alia secundum naturalem casum. Crusta solidior seu ab actuali inducta durabilior est quoad violentam eiectionem: quia neque ab irruentis sanguinis impetu,neque motu arteriæ tam facilè excuti potest: quæ autem minus dura est,seu à medicamento facta, durabilior est quoad casum naturalem; quia non tam citò eius ligamenta suppurantur aut corrumpũtur,quàm illius, propter rationem superius allatam. Verùm Auicenna de prima durabilitate intellexit, quæ profluit à soliditate,& propter quam soliditas expetitur, & eiusmodi durabilitas tantum in crustæ productione est requisita: non enim hic requiritur vt crusta tardè decedat,sed vt non citius excutiatur, quàm caro subtus sit producta. Quapropter cum ignis solidiorem & profundiorem faciat crustam,meritò, dixit Auicenna,eum & firmiorẽ facere,& cõsequenter plus ad hoc munus quàm potentiale cauterium conuenire. In magno itaque fluxu sanguinis & in fluxu sanguinis arteriarum, quia

firmiore

firmiore cruſta opus eſt, ne impetu ſanguinis aut motu pulſuque arteriæ elidatur; & quia celeri; ob multam ſpirituum vitalium, quæ contingeret exhauſtionem: denique vbi ſanguis effluit propter putredinem & eroſionem, quia nihil æquè ac ignis putredini reſiſtit; actuale cauteriū potentiali eſt præferendum. Verùm ſi profundus ſit locus vnde ſanguis effluit, vt ſi in cauo aut profundo vlcere vena aliqua propter eroſionem eſſet aperta, melius eſt potentiale: quod tamen per accidens contingit, quia nimirum actuale non poteſt ad profundum locum attingere ſine orarum circunſtantium læſione, aut vlceris inciſione; quam non ſtatim quiſque admittat. Tunc autem optimè cauſticus puluis inſpergitur aut inſufflatur; qui duplicem præſtat vtilitatem: & quòd breui cruſtam gignat, & quòd ſtatim actuali ſua ſiccitate ſanguinem imbibat & inuoluat ac inſpiſſet, vt ad fluendum fiat ineptus, in ipſoque egreſſu incruſtetur & compingatur. Si actuali cauterio vtimur, nonnulla ſunt attendenda: primò iubet Albucaſis lib. 1. c. 57. & Raz. lib. diuiſ. c. 139. vt ſtatim locus eruptionis, ſi fieri poteſt, ſtringatur, & arteria digito prematur, ne effluat ſanguis: ſecundò iubet Aetius lib. 7. de re med. c. 20, Razes lib. de re med. 7. c. 2, vt cauterium ſit bene ignitum: tertio monet Auicen. 4. 1. c. 29. vt longa & fortis fiat impreſſio; hac enim ratione

& solida & firma fiet crusta. Quod si ab exeunte sanguine cauterium extinguatur, monet Albuc. loco citato, vt vstio nouo assumpto cautere, qui in promptu esse debet, iteretur. Figura cauterij est vel oliuaris, si arteria est magna; vel sicut stylus, si parua; vel instar radij; vel cultellaris, si ex vulnere sanguis effluit; vt labra ipsius lateraliter vrantur. Materia cauterij actualis optima hic est ferrum, eò quòd ipsum sit terrestre, siccum, solidum, & vi astringendi præditum, propter quod est magis ignibile, fortius vrens, & ea ratione duriorem firmioremque efficiens crustam. Nonnulli iubent ipsum prius in aceto rosaceo aut vino astringente, cum candentissimum est, nonnihil restinguere, vt astrictoriam vim maiorem & hærentiam crustæ imprimat. Verùm ego consulo, vt potius acetum aut succus aliquis astringẽs vulneri aut loco cauterizando indatur: tuncque ferrum ipsum per se infigatur. Si potentiali vtimur, conuenientissima forma est pulueris, ob rationem supradictam. Materia est non septica sed escharotica, & in illa præcipuè, vt Aetius 14. c. 52. & Auicenna loco citato, & Galenus alibi expetunt, quæ simul astringendi insignem facultatem habeat, vt chalcanthum, mysy, sorij, &c. de quibus libri superioris cap. 7. dictũ est. A calce viua crusta minus hæret; arsenicũ Theodoricus causticis omnibus præferebat. Com-

ponen-

ponenda sunt hæc cum astringentibus, hæmatitide, bolo, sanguine draconis, charta vsta, galla, aceto, vino austero, succis astringentibus, alijsque. Vstione ab igne facta aut superposito caustico, stupa aceto, albumine, succis astringentibus, aut aqua rosacea imbuta, cum pilis leporinis, bolo, aloe, thure, superimponenda est. Tum monet Galenus 5. meth. c. 4. & Aetius loco citato, ne crustam citò detrahamus, sed curemus potius, vt quàm diutissimè hæreat: vt antequam excidat, caro succrescens tanquam operculum vasi superueniat. Nam si citius detrahitur, manet, inquit Galenus, cauum vlcus, & spoliatum carne, & permanet venæ foramen, & peior priore fluxus oboritur. Propterea ad crustæ detractionem non est hic putrefacientibus vtendum, vt in fontanellis; sed quæ detergendo siccandoque crustas demoliuntur: talia enim carnis aggenerationem accelerant, quam suppurantia impedirent. Quod si casura prius crusta videatur, quàm caro sit adnata, astringentibus imò etiam causticis est occurrendum: quo respectu etiam chalcitide melli mixta ad crustarum detractionem Galenus est vsus. Si nullum amplius profluuium sanguinis timeatur, tũc licebit crustam suppurantibus auferre. Vnitè hic obseruandum est, ne medicamenta semel superposita tententur sæpius aut remoueantur, sed seu igne producta iam eschara sit, seu medi-

camento producenda, partem duobus diebus quiescere sinamus, ne mota aut vellicata crusta minimo negotio discedat. Cùm autem fasciam aut emplastra, aut stupam superpositam mutamus, ita dextrè & suauiter id faciendum est, vt crusta quàm minimè à nobis attrahatur, aut conuellatur. Si sisti nequeat sanguis, aut venæ aut arteriæ attingi nequeant, docet Galenus in methodo & Auicen. part. 4. cant. aphor. 16. & Raz. 7. rei med. c. 20, vt caro incidatur, vasaque vncino eximantur, vtrinque ligentur, scalpello præscindantur, & extrema cauterizẽtur & reponantur puluere astringente super insperso donec filum decidat, & caro sit ingenerata.

CAP. XIII. *Quomodo propter vlcus cauterijs sit vtendum, ac primum quomodo fonticuli sint faciendi.*

CVM ad fontanellam cauterijs vtimur, in eo consistit omnis vtendi ratio, vt & citò & bene & diu fluat vlcus: citò fluet, si possimus celeriter crustam detrahere & pus mouere: benè, si aliquid quod trahat superponatur: diu verò, si curemus vt vlcus nõ claudatur, sed diu maneat apertum. Primò autem consyderandum est, posse fontanellam fieri vel per vstionem, vel etiam sine ea. Si sine vstione fiat, id vel à natura fieri potest, vel ab arte: à natura

tura fit, quando in parte aliqua vlcus vnum aut plura continentur, quæ ob affluentem copiosam materiam aut acrem & erodentem, ea curatu difficilia & diuturna reddentem, in sentinam quodammodo & totius corporis purgatorium conuertuntur: ab arte verò sic fit, vt nimirũ in parte vulnus excitetur & sanguinis fluxus superpositis primum astringentibus sistatur, & tunc pinguibus & suppurantibus admotis curetur, vt vulnus in vlcus degeneret. Huic modo locus est, quando festinatione est opus: hac enim ratione citius, quàm mediante combustione fontanella ducitur; propterea quod tunc nec caustici medicamenti actio, nec diuturna escharæ detractio est expectanda. Verùm quæ sic fiunt vlcera, etsi vires ac naturam fontanellarum imitentur, quia tamen cauterium quoduis hoc includit, vt vstione fiat, neque propriè cauteria neque fontanellæ sunt dicenda. Sed & vstione multo melius vlcera fiunt propter varias causas: prima est, quia sic tutius fiunt, propterea quòd post vstionem non est metuendum profluuium sanguinis, sicuti post sectionem; propterea quòd vstio sit potius remedium ipsius. Secunda causa est, quia sic minore fiunt cum dolore: nam cum vt vulnus in vlcus degeneret ac apertum teneatur, opus sit vt vulneri linamenta imponantur, quæ labra ipsius à se mutuò disiungant, ne conglutinentur, eò quòd alioqui coirent &

vulnus clauderetur; fieri nequit quin quando illa hæc integro sensu prædita contingunt, necessariò molestiam ac dolorem inferant; qui post vstionem nullus est, ob sensum partis, eius beneficio sublatum. Tertia causa est, quia diutius aperta manent quæ ab vstione fiunt, quàm quæ à sectione: primò, quia ab illa partibus vicinis inducta est quædam intemperies, propter quam earum concoctio læditur, & nequit caro eius beneficio aggenerari: secundò, quia vlcera quæ ab igne fiunt, quamcunque fere figuram ferrum habuerit, sunt rotunda, ac propterea difficulter consolidantur; quæ autem à gladio seu ferro frigido fiunt, angulos habent, secundum quos facilè iterum coniunguntur. In affectibus aurium & oculorum hodie mos est aures primò fricare; & tum stylum aut setonem frigidum per eas transfigere, & per foramen vel annulum aureum vel filum sericeum tanquam laqueum traducere, quò vulnus non consolidetur, sed in vlcus conuersum saniem fundat, eoq; materiam morbificam deriuet. Non valde absimilis modus est, quo Albucasis lib. 1. c. 4. su-
„ per caput fontanellam facere docet: Scinde, in-
„ quit, locum doloris lato phlebotomo, donec
„ fiat in eo locus sub cute, & cape partem allij, &
„ excortica ipsam, & intromitte eam in isto loco
„ sub cute, donec occultetur; deinde stringe su-
„ per ipsum cum puluillo constrictiuo decenti,

& di-

& dimitte ipſum ſpatio quindecim horarum; »
dein ſolue, allium educ, & pone ſuper lo- »
cum cotum cum butyro, donec locus efficiat »
pus. Si vſtione fonticulum molimur, poteri- »
mus id vel actuali vel potentiali cauterio præ-
ſtare. Actuale præferri debet, cùm præter vlcus
& euacuationem ſimul ſiccare & roborare vo-
lumus, aut venenum conſumere; alioqui poten-
tiale, quia magis attrahit, quia debilitat partem,
quia non patitur vlcus ita citò claudi, & quia
materiæ largiorem ad vlcus cauſat affluxũ, quia
denique minorem infert dolorem, nec ita ter-
ret (quale prę ferri debet, vbi non eſt magna ne-
ceſsitas, aut ſpecialis ignis prærogatiua) huic v-
ſui magis videtur conuenire. Quapropter ſi
cruri vel brachio alteríve parti fonticulus eſt
inurendus, explorato primum loco, tribus vel
quatuor digitis trãſuerſis ſupra vel infra ipſum
articulum in cauitate illa, vel interuallo quod
eſt inter duos muſculos, (cauendo ipſorũ prin-
cipium & finem) ita brachium aut crus collo-
cabis, vt habeat poſitum naturalem & medium,
vt neque nimis flectatur, neque nimis extenda-
tur; tum digitum adhibe loco quem vrere in-
tendis, & iube vt æger membrum ſuum moueat
flectendo ac diſtendendo: nam ſi in eo motu
percipis quod ſub digito tuo ſit os, aut tendo,
aut neruus, ille locus non erit vſtioni conue-
niens: quare eodem modo alius locus eſt ex-

ploran-

plorandus, & cum inuentus fuerit, atramento est notandus. Tum eligere oportet, qua materia vti volueris: si actuali, primùm, inquit Nicolus Florentinus, ægrum blandis verbis hortare, & aqua rosacea faciem eius irrora, & odores iucundos olfaciendos exhibe, & si necessarium fuerit bonis confectionibus conforta, vt sic dolorem tolerare melius possit. Tum munimentum parti superpone, vt foramen loco signato respondeat, ac cauterium imprime. Debet verò illud rotundum esse aut oliuare, quò rotundum & ægrius consolidabile vlcus producatur. Si plura iuxta seinuicem ponenda sint, vt in pectore, & super alijs visceribus Antiquis fieri solet; curandum vt statim simul fiant, & vt Albucasis monet, digiti vnius saltem latitudine à se distēt. Impressio etsi in fonticulis plerumque leuis est, alia tamen minor est, vt cutis tantum; alia maior, vt etiam subiecta caro inuratur. Si profunda est, tunc lapsa crusta vlcus redditur cauum, adeóque iam factum; si superficiaria, tunc e[illegible]lara lapsa vlcus adhuc est excauandum. Si potentiali est vtendum, prius est locus pilis denudandus, tum tepida lauandus, vt sordes ac cutis pinguedo auferantur. Nam, vt inquit Ægineta, lib. 5. c. 29, etiamsi vel cantharides vel calcem viuam aut qualecunque aliud corpori quis superposuerit, si ipsum prius oleo fuerit inunctum, nihil quicquã exulcerabit. Tum

spongia

ſpongia aqua tepida imbuta locum diutius fouebis; vel partem leuiter fricabis, donec in ruborem abeat: fluunt enim hac ratione ſanguis calorque ad partem, qui ſuperpoſitum cauſticum fortius actuāt. In duris corporibus, ijsque qui cutem habent duram, licebit etiam prius cutem raſorio attenuare, vel prius veſicatorium apponere & veſicam factam incidere, tum cauſticum nudæ carni immediatè ſuperponere. Non inconueniens quoque foret loco prius leuem cucurbitulam, iuxta Guidonis capite de lepra decretum, imponere, vt caro in altum tollatur; in loco præſertim ob ſubſtantia vaſa & neruos periculoſo. Licet quoque primò carnem ſcarificare multis vulnuſculis, vel vno foramine eam ſcindere, tum ei cauſticum imponere; quod in ruſticis & valde duris corporibus, & vbi feſtinatione opus eſt, locum maximè habet. Hac cutis primum præmiſſa præparatione, exactè locus atramento eſt notandus, & emplaſtrum aliquod aſtringens & repellens, vel linteum triplicatum humore repellente, vt oxycrato, albumine oui, &c. imbutum pro partis defenſione capiēdum, & foramine aurei magnitudinem habente pertundendum, & ita parti ſuperponendum eſt, vt ſignatus locus foramini reſpondeat: tum foramen cauſtico implendum eſt, & deſuper petia linea cum faſcia in humore repellente macerata, eſt ſuperliganda; vt cauſticum

sticum hinc inde discurrere nequeat, sed firmum maneat in parte vrenda. Solet plerumque emplastrum phœnicinũ, græcum, diachylum cum opio, capi; ita vt foramen habeat in medio, cui causticum imponatur, & tum aliud eiusdem generis, & demum lintea duplicata cum fascia eidem superponi. Relinquendum causticũ est, donec caro nigrescat, & crusta perfectè inducta videatur; quod scietur, si emplastrum interdum eleuetur, ad ocularem inspectionem. Operantur caustica diuersimodè, pro vi ingredientium primò, tum quoque corporis subiecti natura. In carne humida, molli, puerorum, mulierum, eunuchorum, adempta prius cute aut facta scarificatione, citiùs operantur; tardiùs in corporibus duris, siccis, cute callosa, non prius bene præparata. Ideò sæpius ab octo ad duodecim horas sunt relinquenda; communiter fere spatio duarum aut trium horarum opus absoluũt: sunt etiã ruptoria, quæ horæ spatio altam fontanellam imprimũt. Quando facta eschara est, restat vt detrahatur: detrahitur vel suauiter, vel violentè: violentè, quando sine putrefactione educitur; vt cum aut festinandum est, & venenosa est materia, aut æger est importunus, temporis tædio afficitur, aut robustus, rusticus, miles, qui non curat dolores: suauiter, cum separatur ab ipsa natura inter eam & sanam carnem pus mouente, quæ suppurantibus medicamẽtis

ſuperpoſitis adiuuatur: qui modus doloris eſt expers. Quapropter eſchara facta ſuperponendum aliquod ex medicamentis ſuppurantibus eorum, quæ capite ſexto ſupra tradita ſunt, donec ipſa excidat. Si pertinacius hęreat, & ſordes ſubtus genitas includat, quia hoc periculum aliquod minatur, incidi eſchara debet, & quidquid inuſtum eſt ſcarificari (nihil enim ſentiet æger) vt ſic facta via ſordes queant exire. Eſchara detracta, & apparente vndique ſana carne, linteolis triplicatis aut quadruplicatis in medio perforatis ipſum vlcus eſt circunſcribendum; tum pilula aliqua, vt cicer aut piſum, aut alia quę duriuſcula ſit nec cedat, ſed cedere carnem ipſam faciat, vel potius pilula aliqua quæ humido intumeſcat, vt ex medulla ſambuci, particula ſpongiæ, carptis in globum linamentis, omnibus inſigniter prius compreſſis, eſt conformanda, & butyro illita vlceri imponenda: tum deſuper folium braſſicæ vel hederæ vel hyoſciami aut plantaginis, ſimpliciter, vel prius ſub cineribus tabefactum, butyro vel axungia illitum ſuperimponendum eſt; demum charta ſorbyllina, vel lamina aliqua argentea, vel puluinum aut complicata lintea, aut ludus chartaceus faſciâ arctius ſuperligandа. Pilula ſambucina aptior eſt ad hoc negotium: quia mollis eſt, dolorem minimè facit, & quia rara & laxa, vlceris humiditates imbibit:

bit: hinc extenditur & intumescit, & ampliorem quærit locum, & cum sursum augeri nequeat propter ea quæ incumbunt, & fasciam quæ desuper comprimit, in latum ac profundum extenditur, & hac ratione vlcus excauat; quod vsque ad sufficientem & intentam excauationem est continuandum. Interim, etsi primò ad mouendum pus suppurantibus sit vtendum, tamen eo apparere incipiente, detergentia suppurantibus sunt admiscenda, donec quidquid emortuæ carnis in vlcere est, sit ablatum: quo tempore solis detergentibus vlcus est mundificandũ, donec vlcus sit formatũ & rotundum redditũ: quod fiet, si pilula quæ vlceri imponetur, vnguẽto detergente sit imbuta. Leuiter autem hic est mundificandũ, tantum vt non sordescat, alioqui vlcus quod hic apertũ permanere volumus, clauderetur. Medicamenta ad hunc vsum idonea supra à nobis capite sexto sunt allata, vt necessum non sit eorum longam farraginem hic à nobis repeti. Vlcere iam conformato simplex pilula est imponenda, desuper hederæ aut brassicæ folium ad attractionem, aut cum vlcus inflammationem minatur, folium plantaginis aut vitis & desuper emplastrum diapalma, aut tantum charta sorbyllina, & tum pannus triplicatus & fascia. Antequam sic fonticulus sit conformatus, multum tempus intercurrit; tempus actionis caustici, quod est breue;

breue; tempus detractionis cruſtæ; tempus conformationis ipſius vlceris; denique tempus quo natura ſe parat ad euacuandum, & quod intercurrit antequam iam vlcus conſuetudinem induerit fluendi. Etenim lapsâ eſcharâ, etſi ſtatim vlcus eſt, non tamen adhuc fonticulus eſt, ſed tunc tantum cum vlcus eſt debitè conformatum & actu humores aliunde eò allabentes per ipſum euacuantur. Breui quidem temporis ſpatio vlcus induci poteſt, nempe vnius diei; breuiore foramen, quippe vnius aut alterius horæ, imò & momento: ſed tum adhuc fonticulus non eſt. vnde antequam fonticulus verè perfectus ſit, decem, duodecim, imò & viginti & triginta dies aliquando requiruntur. Verum tamen in aliquibus citius, in aliquibus ſerius tardiusque perfectum eſt: citius in teneris, tardius in duris & frigidis; citius quoque pro violentiore cruſtæ detractione. Nam ſi naturæ ſolius opera cruſta detrahatur, duobus, tribus, quatuórve diebus detrahitur; in corpore aut parte humidis, laxis, calidis, citius; in duris & ſiccis tardius; citius, cum igne; tardius, cum cauſtico eſt inducta, propter rationem ſupra capite decimotertio allatam: at ſi violentè detrahatur, poteſt momento exſcindi, & quod eius reliquum eſt, citiſsimè ſuppurantibus in ſaniem conuerti. Si citiſsimè fonticulum inducere quis velit, hac ratione operabitur.

bitur. Si actuali vtitur, candens ferrum altiùs imprimat, vt faciat foramen; tunc quamprimum pilam butyro & melle illitam foramini isti indat, & cũ phœnicino superliget, bis in die renouando donec vlcusculũ sit conformatum; indies pilam adaugendo. Si potentiali vtitur, scarificet prius locum, aut vulnusculum profundum infligat, & ei imponat causticum quàm fortissimum: Cum eschara fuerit producta, eam diuidat per medium vel per modum crucis, & suppurantia medicamenta imponat, vel escharam acu cum filo transfigat & sinistra eleuet, dextra verò partẽ ipsius exscindat, & quod reliquum est corruptæ carnis saniori parti vicinius, quod neque exactè, neque sine summo dolore abscindi posset, suppurantibus superpositis in pus conuerti curet, & foramini globulũ statim indat. Sed hæc ratio non est expers periculi, ac insignem dolorem & inflammationis metum habet coniunctum, neque nisi in imperterritis & duris hominibus & festinantibus & veneni suspicione locum habet. Postquam vlcus factum est, quocunque demum modo id contigerit, curandum est, vt non citò claudatur, sed longo tempore (prout conditiomali postulabit) maneat apertum. Quia autem fonticuli plerumque in parte sana excitantur, vbi naturalis membri facultas & nutritio vegeta aggenerando nouam carnem parua illa vlcera citò ac facilè

cile impleret & cõsolidaret, ideò ingenio quodam & industria debet hoc impediri. Potest autem impediri plurimis modis. Dioscorides lib. 6. c. 38. in hunc finem iubet salsamentum superponere, & sylvestre allium tritum & succum Cyrenaicum. Razes lib. de affectibus iunctur. c. 25. iubet ideo emplastrum cum butyro apponere: & Albucasis cotum cum butyro adhibet. Razes etiam lib. diuis. c. 103. vtitur cepa cum butyro. Alyabbas 8. practicæ c. 31. ne claudatur vlcus, pungentibus, inquit, cataplasmatibus vtere: & Damascenus lib. 6. c. 26. ne claudatur, fricemus, inquit, singulis diebus cum medicinis aperitiuis quæ corrodant. Ex quibus patet clausionem vlceris impediri posse, & cum ijs quæ faciunt humoris ad vlcus attractionem, & cum ijs quæ pungunt & irritant acrimonia sua, & cum ijs quæ faciunt vt vlcus sordidum permaneat; qualia sunt butyrum & vnctuosa: sordes enim impediunt vlceris curationem & ob id simplicis vlceris curatio sola sordium fit detersione & mundificatione. Potest quoque adhibitis cathæreticis vlcus seruari apertum, si quantum natura carnis aggenerat, tantum indies cathæreticis abradatur. Verùm hi modi & molesti sunt & periculosi: nam cathæretica & pungentia dolorem inferunt, pinguia vlcus deprauant, attrahentia periculum faciunt inflammationis & fluxionis. Quapropter alius modus

inuentus est longè commodior, vt nimirum in foramine corpus aliquod durum aut solidum imponatur, quod non cedit, quod sua præsentia impediat conglutinationem, faciatque vt cauitas carne nequeat impleri. In quem finem rotundi globuli ex diuersis materijs sunt inuenti. Quapropter hoc loco de pilulis aliquid est agendum. Earum vsus in fonticulis duplex est: vnus est ad vlcera quæ adhuc conformata non sunt, excauanda & formanda, & figura rotunda donanda, per earum compressionem super vlcus & impressionem: sicuti enim est figura corporis quod vlceri imponitur, ita quoque vlceris fit figura: quia autem optima figura pro fonticulis est rotunda, eò quòd illa difficiliorem patiatur consolidationem; ideò pilulæ illæ rotundæ esse debuerunt. Alter vsus earum est ad vlcera iam facta aperta tenenda, vt non claudantur. Sic Razes libello suo de Cauter. docet vlcera aperta tenere immisso scalpello, vel immissis, inquit, tentis & petijs; & eodem lib. immissa, inquit, scutella. Pilulæ aliæ sunt magnæ, aliæ paruæ, prout foramen paruum aut magnum esse volumus: cum volumus foramẽ maius facere quàm sit, pilulam augemus: cum minus, minuimus, quia eius quantitati vlceris quoque sese accommodat magnitudo: ordinariè pilula debet esse minor foramine; tum vt exitus pateat puri, ne intrò contineatur; tum vt

interr

inter inania illa ſpatia, quæ ſunt inter carnem & pilulam, puris aliquid contineatur, quod acrimonia ſua continuum fluxum irritet : debet quoque ſemper eſſe lenis & æqualis ſine aſperitate, vt non inferat dolorem. Pilulæ quoque aliæ ſunt ex materia ſolida & dura, quæ eandem ſemper retinet figuram & quantitatem ; aliæ ex rara molli & dilatabili : illis vtimur, cum volumus vlcus in eodẽ ſtatu permanere ; his, cum volumus ipſum facere maius. Huius generis ſunt cicer, piſum, globulus ex ſubere, ligno gentianæ, hederæ ; particula medullæ, ſambuci, ſpongiæ carpta filamenta, & tentæ, charta dentibus maſticata & ſiccata, quæ valde comprimuntur antequam vlceri imponantur, & cum impoſita ſunt, fugunt & imbibunt vlceris humiditatẽ, & ſic intumeſcunt & augentur, & aucta vlcus ipſum dilatant, & explicant ; maximè, ſi deſuper ab incumbente puluillo deorſum comprimantur. Ex varia porrò materia globuli hi conficiuntur, ad diuerſos ſcopos & vſus : alij tantum materia & corpore ſuo implendo locum, iuuant ; alij etiam viribus ſuis & qualitatibus ac alterando. Vicia, piſum, cicer nullam vim vlceri cõmunicant, niſi cicerẽ dicamus nonnihil detergere & attrahere, quod ideo tamen non puto quòd externa pellicula egreſſum impediat facultatis : ſic quoq; neque pilulæ, quę ex argento, auro & ambra aliquando fiunt.

Pilulæ ex metallis grauitate ſua faciunt vlcus mutare locum & tendere deorſum, quod bonum non eſt, quando ſuper articulos fonticuli inuruntur: quapropter tunc à talibus abſtinendum, aut non niſi intus cauis factis eſt vtendum. Ex cera etſi non alterent, mollitiem tamen aliquam carni tribuũt, quod eſt valdè bonum; propter quod præ alijs omnibus pilulis ſunt laudatæ: adde quòd non valde duræ ſint nec inæquales propter quod non faciunt dolorem, quin propter anodynam vim quæ ceræ ineſt, potius dolorem ſedant. Quod ſi verò qualitatem aliquam pilulis indere volumus, id in cera optimè fieri poteſt, incorporatis cum ea pulueribus cuiuſcunque facultatis. Pilulæ de hedera, ex argento, illæ ob aſtrictionem, hæ ob frigiditatem, videntur carnem denſam & duriorem reddere & humoris affluxionem impedire: vbi verò caro nimis laxa eſt, aut nimis multum materiæ affluit, poſſunt de hedera vtiliter vſurpari. Pilulæ ex concerptis linamentis vſum habent, quando aliæ duritie aut aſperitate dolorem inferunt. Ex filo quoque fiunt adi exiccandum. quod ſi filum crudum eſt, magis trahunt. Ex radice gentianæ, radice iridis, hermodactyli, vi quadam mordicandi, detergendi & attrahendi præditæ ſunt. Cum certus aliquis humor è corpore eſt educendus, ex agarici particula aut rhabarbari, &c. globulus poteſt concinnari

cinnari: aliqui ex cera faciunt cum puluere agarici, hellebori, colocynthidis, sennæ. Alij ex cera fusa cum puluere vitrioli aut mercurij aut materia aliqua cathæretica globulos concinnant, vel etiam quid pulueris cauteriorum potentialium admiscent, aut Ægyptiaci, aut piperis, aut euphorbij: & talia conueniunt, cum vlcus conniuere velle videtur ac consolidari. Quando non satis vlcus fluit, quid attrahentium admisceri potest, aut pilula ex pice nauali construenda: quando minus fieri volumus, sarcoticus puluis ceræ indendus. Dein qualescunque globuli sint, exterius illini possunt qualicunque vnguento scopo nostro accommodato. Variâ porro figurâ conficiuntur, alij rotunda, alij ouali, & vtrique vel munimentum habent, seu marginem nonnihil extantem quo prohibētur profundius ingredi, vel sunt planè æquales: interdum filum ijs annectitur, quò commodè extrahantur, interdum non: illud commoditatem habet, quando caro excrescit & abscondit globulum, vt difficilius educatur. Si ex metallica materia globuli sunt, vel lenes esse possunt, vel peruij multis vndique foraminibus; atque horum vsus est absorbere & deglutire sordes & saniem, ne compacta in vlcere hærens alterius impediat egressum. Aliqui conficiunt paruos galeros ex auro, ære, argento, multis foraminibus peruios & spongia minutim

conciſa implent, quæ pus imbibat: habent autem duplicis generis æreos & argenteos, & cum foramen in eadem magnitudine ſeruare volunt, argenteum galerum imponunt; cum conniuere illud vident ac volunt dilatare, æreum imponunt: nam is contracta ærugine erodit & apertum tenet. Verum iſti galeri inferunt vlceri dolorem ſuis marginibus, quare nihil magis quàm rotundum globulum laudo, quem ex ambra conficio, cum nihil circa vlcus volo immutare; aliâs ex alia quauis materia iam recitata, quæ ſcopo ſit accommodata. Aliqui imponunt ſemen ſpinæ rabioſæ. Faſciarum quoque omnium non eſt idem modus aut figura, ſed pro forma loci variantur: aliæ pro cauterio colli, brachiorum, crurum, ſuturæ coronalis, ventris, ſunt: aliæ ſunt ex corio inſtar cinguli lati, aliæ ex lino, & vtræque vel ſimplices ſunt, vel cum lamina metallica, ærea, argentea, comprimente comparatæ, quæ plerunque foraminibus pertunduntur, per quæ vlcus poteſt tranſpirare. Aliæ ſunt merè ex metallo, cardinibus diſtinctæ, vt duci circum partem poſſint. Quæ ex lino ſunt, æquales eſſe debent & lenes, ex vna panni parte, non diſtinctæ futuris, ſic inductæ vt nunquam nodus veniat ſuper partem cauterizatam. Latitudinem habere debent trium digitorum, finibus verò inciſæ eſſe adligandum: bis têrue circumligent partem; non fortiter ſtringant,

gant, ne dolorem inferant ac fluxum; nec nimis debiliter, ne non contineant. Pro brachijs ac cruribus nulla expeditior fasciarum ratio, quàm earum, quæ merè ex metallo sunt; nam eas quisque solus sibi sine alterius hominis adiumento & deponere & reponere potest, quod cum fascijs lineis quæ nodis coniunguntur fieri nequit. Earum omnium figuram infra subiecimus. Porro bis in die pilula eximenda & fasciæ mutandæ, quo melius pus expurgetur, ne vlcus sordescat vel fluere desinat. Si pisum, cicer, aut semen aliquod imponitur, singulis vicibus mutandum; si metallicus globulus, idem semper imponendus, sed tantum detergendus est, & si foraminulentus sit, quæ intus concepte sordes, eluendæ. Sæpius purgandum vlcus quò plus saniei fundit: si enim non ita multum, & molestum sit toties renouare, sufficiet semel in die id feciſſe. Si non satis fluat, quod vel à partis intemperie, vel post magnas euacuationes, vel materia aliò delata, vel ab astrictione, frigore, callositate contingit, locus vel aqua tepida vel decocto aliquo erit fouendus, fricanda pars erit panno aspero aut folio ficulneo ruborem conciliante & exercenda: vel scalpello sanguinem licet prouocare, vel cucurbitam vnam superponere, vel emplastra trahendi facultatem habentia: & globulum vlceri impositum parare cum materia attrahente, suppurante & humectante,

ctante, & loco folij hederæ, ceratum ſacrum aut ceratum ex reſina pini & cera ſuperponere. Globulus etiam fiet paulò maior & etſi talis ſit qui dolorem inferat, parum refert; quin eò melius erit. Si deorſum deſcendat fonticulus (quod ob pilę grauitatem fit) pila leuis ſumenda erit, & puluinaribus ſuppoſitis & faſcijs, vt inquit Rolandus c. 17. lib. 1. ſurſum erit premendus. Si fœtor aduenit aut aliud ſymptoma, quomodo obuiandum ſit ſupra capite ſeptimo à nobis eſt oſtenſum. Cum claudere animus eſt, ſubiecti corporis & membri natura, vlceris magnitudo & ætas ac ſordium effluentium copia veniunt inſpicienda. Si vlcus fuit ſiccum, paruum, vel quod non niſi vi antea apertũ potuit teneri; in corpore ſano, carnoſo, ſanguineo, temperato, iuuenili; tantum globulum indies minuere & vlcere conniuente tãdem totum eximere, nec quicquã aliud facere oportet, nam ob robur vegetatiuæ facultatis vltrò claudetur: ſin ſordidum fuit, & quod multum humoris effudit; in corpore frigido, ſenili, cacochymo, aut cachectico: vt alia vlcera curandum eſt, ijs quæ exiccandi, detergendi, & ſarcoticam & epuloticam vim ſortiuntur.

CAP.

CAP. XIIII. *Quis sit modus infigendi setonem.*

NON absimilis est modus setones infigendi illi quo fonticuli per ferrum cãdens infiguntur. Tria præcipuè & magis ordinariè loca setone punguntur, vmbilicus, scrotum, sed maximè omnium occiput. Infigitur autem vel cum vstione vel sine vstione. Sine vstione, fit cum solo ferro frigido acuto foramen faciente & funiculo transmisso: præhensa enim manibus cute, acus ferrea fune serico infilata transmittitur, cum astringẽtibus sanguinis fluxus sistitur, & cum materia suppurante filo illita vlcus conficitur; sed hoc propriè cauterium non est. Quando cum vstione fit, tria hæc instrumenta requiruntur, forfex seu tenacula, Arabibus sertorium, dictum & perforatorium, seu stylus ferreus pungens & acus ærea longa funiculo perfilata: aliquibus perforatorium & ipsa acus non distinguuntur, sed sumunt longam acum quam anteriore parte igniri sinunt, quæ posteriore sui parte filum trahit: eam apprehendunt, manu linteo humido munita ne se comburant, & dextra manu infigunt, & sinistra manu itidem sic munita protrahunt, vnoque ductu & negotio & foramẽ faciunt & filum transmittunt: quo modo, nec toties nec ita diu ægrum fatigant. Tenacula pertusa esse debet fo-

bet foramine non magno, sed eius magnitudinis, quantæ stylus punctorius existit: præstatt autem talem tenaculam habere, quæ duo autt tria foramina habeat, alterum altero maius & altius, vt liceat nobis pro morbi indigentia aliud atque aliud eligere. Margines ipsius tenaculæ sint parum extantes, & in extremitate recurui, ne tremula chyrurgi manus extra foramen super carnem stylum incidere patiatur, neu reliqua colli pars calorem percipiat: ne æger percepto dolore perculsus reliquum operis recuset. Stylus neque ex ferro sit, quia illud squamas deponit cum incanduit; neque ex chalybe, quia hoc facile frangitur; sed ex vtriusque contemperata mixtione. Sit crassus aut tenuis pro magnitudine vlceris, quod inducere volumus, & antequam chyrurgus opus aggrediatur, primò experiatur, an satis per forficis foramen, per quod pungere intendit, transgredi possit, ne contingat eum incepto opere hæsitare. Habeat porrò stylus acutam cuspidem quadratam, vel rotũdam, vel, vt melius transeat, triangularem. Funiculus cõmodissimus erit, qui ex serico fit; talis enim quàm minimè putrescit, & cum lenis sit, ac æqualis, minimè dolorem infert: ex lana quoque multiplici bonus est, & saniem ac sordes melius imbibit. Alij malunt ex materia asperiore facere, vt sic sordes melius, dum extrahitur, abradat, & pruritũ quendã excitando,

copio-

copiosiorem faciat humorũ attractionem. Propterea nõnulli ipsum ex pilis caudæ equinæ faciunt, & olim ex setis facere consueuerũt, à quo cauterium setacei nomen obtinuit. Nonnulli aureum annulum apertũ & diductum transmittunt; quod diuitibus fieri potest, & in auribus setone penetrandis locum maximè habet. Ita autem est operandum: elige locum inter primam & secundam vertebram, vel tribus digitis subnuca, quod est inter secundam & tertiam vertebram, propterea quod ibi commodius ligetur, & facilius ligatura, totumque vlcus thoracis summitate tegatur: tum compone ægrum capite in tergum leuiter depresso, aut saltem in nullam partem inclinato, vt cutis laxior fiat, & nota locum atramento: tum seruo duabus manibus cutem attollente eam tenacula apprehende, & apprehensam sinistra manu fortiter claude, paulatim magis magisque constringendo, donec pars stupida reddatur, vt dolorem ab igne nequeat sentire: tum dextra manu candentem stylum per foramen tenaculæ & contentam in ea cutim adige, ac statim stylum abijce, & immota sinistra manu apprehensam cum fune sericeo cermesino acum per prædictum foramen summa celeritate traduc: tunc extrahe acum à filo, & relaxa tenaculam, & negotium peractum est. Prius autem debet funis cum albumine oui & oleo rosato inungi,

inungi, vt dolor sedetur, fluxus arceatur, empyreuma deleatur & sanguinis fluxus, si quis forte oboriretur (quod non satis ignito existente stylo fieri potest) sistatur. His peractis, super locum vstum emplastrum diapalma, vel brassica sub cineribus tabefacta, aut folium hederæ cum butyro, axungia; aut alia quæ crustam detrahendi vim habent, sunt ponenda, & funiculus cum vnguento digestiuo & suppurante, vt ex vitello oui, oleo rosato, axungia, illinendus, donec vlcus pus emittat: tum ea quę detergẽdi virtutem habent admiscẽda, donec eschara fuerit putrefacta; quod post tertium diem continget: bis autem hæc de die sunt facienda. Postquam eschara ceciderit, vt funiculus liberè & sine dolore duci possit, compone vnguentum ex terebinthina, melle, puluere ireos, &c. eoque funiculum inunge tamdiu, quam vlcus apertum tenere voles; vt sanies detergatur humorque ex alto euocetur: tum semper folium hederæ vlceri superpone, & desuper puluinum aut lintea duplicata aut triplicata aut aliud quod constringat: & angustis ac albissimis fascijs totum ita firma, vt non decidat & tamen fasciæ quam minimè notentur. Thorax autem ita comparandus est & collaria, vt vlcus & incumbentia omnia possint occultare. Hoc commode fieri potest cum fascia, quæ laminam argenteam ita per medium transeat, vt fascia demissiorem colli

locum

occupet; laminæ autē ſuperior pars, vlcus comprimat: qualem in prȩcedente figura videre eſt. Singulis autem diebus bis verſandus funiculus eſt & quidquid ſordium adhæret, detergendum: minimè autem eſt extrahendus, niſi ſemel in ſeptimana; quo tempore oportet nouum funiculum imponere, propterea quod prior ſi ſemper permaneret, fœteret & fieret rigidus, aſper ab imbibito & in ſe exiccato humore, & cum ſemel eſſet imbutus ſordibus, non amplius alias ad ſe raperet. Si quid circa vlcus molliendum remedijs videatur, id fiet cum funiculo cuiuſcunque facultatis medicamētis ſcopo noſtro accommodatis, imbuto. Tamdiu autem funiculus relinquendus donec aut morbus ſit curatus, aut ipſe ſponte exciderit, cute ſupernè propter attritionem diuturnam funiculi, exeſa. Sed ambigi poſſet in iſta tranſpunctione prima, quomodo ipſa ſit facienda; an ſurſum, an vero tranſuerſum. Docet id Albucaſis lib. 1. c. 31. in vſtione ſplenis: fiat, inquit, eleuatio cutis ſecundum latitudinem corporis, vt cadant cauteria ſecūdum latitudinem ipſius: ratio verò eius eſt, quia debet apertio fieri ſecundum rectitudinem fibrarum, vt ſic commodior fiat materiæ euacuatio. Quapropter, vt in collo quoque illa fibrarum rectitudo obſeruetur, debet ſtylus ſecundum longitudinem vertebrarum colli infigi: quod vt fiat, cutis debet tranſuerſim eleuari

& tranſ-

& transuersim tenacula apprehendi, tunćque vlcus secundum colli totiusque corporis longitudinem incidet. Quod si secundum longitudinem corporis eleuaretur cutis, vlcus fieret transuersum, & secũdum colli latitudinem, & eadem quoque ratione in setonibus abdomini infigendis vtendum esse Albucasis loco citato satis docet. Verum hodie contrario modo fieri assolet, vt nimirum transuersum vlcus fiat, non rectum, propterea quod hic modus punctionis illo fit facilior. Quando per scrotum aut vmbilicum figi debet, eodem modo quo suprà est vtendum: sed hic stylus non sit funiculo ipso maior, vt foramen à funiculo apprimè claudatur, vt serositas non effluat largè, sed tantum stillet funiculi imbibitione: potest tamen ipse crassior tenuiórve fieri, prout seri plus minúsve ac magis aut minus cõfertim egredi volumus. In alijs partium vlceribus funiculus setone minor esse debet, vt puri, quod non ita vt aqua imbibi & imbibitum extillare potest, exitus detur. Funiculus hic ex lana aut cotone potius, quàm denso serico confici debet; ad magis aquam imbibendam & transmittendam. Et hic est modus fontanellæ cum setone faciendæ. Cum autem eam ad cicatricem ducere volumus, primum funiculum minuere, & cum detergente ac sarcotico vnguento illinere, tum eximere in totum debemus

bemus, & diapalma aut de minio superponere, & vino astringente lauare. Styli & acus figuram infra posuimus in figura capitis decimononi, tenaculæ vero supra capite quarto.

CAP. XV. *Quomodo vesicatio sit instituenda.*

FAmiliaris atque frequens plusquam aliorum cauteriorum vsus est ipsius vesicationis; propter quod oportet ipsius faciendæ modum callere. Potest fieri vesicatio duobus modis: primò cum igne actuali, qui non est ita vsitatus: secundò cum medicamentis. Exemplum actualis est apud Razem lib. de affectibus iunctur. c. 25. super ancham, inquit, pone ventosam cum igne, & reitera donec vesicetur. Si circum locum vesicandum partes creta aut argilla muniantur, vt in medio alueus sit, adhibitum à prope ferrum candens vesicam excitabit, & sic videmus qui forte feruentissimum ferrum manu contingunt, vesicam inde referre. Quomodo cum medicamentis operatio fieri debeat, breuiter docet Razes libro citato capite 16. Pone, inquit, vesicatorium » donec ampullauerit, & aperiantur ampullæ, » & tunc laua locum cum aqua calida, vt cessset dolor, & vnge cum butyro ne consoliden- » tur vlcera. Ante omnia ergo pili à parte ab- » radendi, tum lauandus locus est cum lixiuio,

vt sor-

vt sordes & pinguedo cutis, quæ operationem medicamenti impedirent, auferantur: postea cũ aqua tepida, vino, aqua vitæ, decocto altheę, florum camomeli, meliloti, est fomentandus, vel linteo calido, aspero, cepa aut scilla ad rubo-rem fricandus, vt hac ratione partis calor ad felicius actuandum medicamentum excitetur, calor, spiritusque eò trahantur, cutis molliori & laxior fiat, & si tractionem aliquam ex alto molimur, materia hac ratione disponatur, vt vesicatorij beneficio melius extrahatur: quod præcipuè in parte frigidiore, & vbi humores profundiùs latent, est faciẽdum. Sic Razes lib. de re med. 5. c. 2. in apoplexia prius cum cepis fricat & epithemat caput, antequam vesicatorium superponat. Hoc facto locus circum repellente medicamento aut emplastro muniendus est, quod in medio foramen habeat, vnum aut plura, magnum aut paruum, in quod vesicatorium, vel quadam massa, vel, quod potius, nucali testa inclusum, aut cera circundatum imponatur & superligetur. Si frictiones, fotus præmissa sunt (quæ tamen non necessario semper adhibemus, quia trahunt) securius est inflammationis metu repellẽtibus in circuitu vti; sin minus, neque his opus est. Vesicatio interdum ampla est, extensa & lata; interdum angusta aurei magnitudine: in frigidis morbis, super caput, in ischiade super coxam, in ventre pro similibus

milibus affectibus interdum vesicationes instituimus, quæ totum caput, coxam & ventrem palmi vnius aut alterius magnitudine amplectãtur: in occipitio, brachijs, cruribus, communiter aurei nummi magnitudine facimus. Vbi dura cutis est, forti medicamento vtemur: vbi delicata, mitiore: eorum autem segetem superiore libro tradidimus. Maiorem vim illi comparabimus, si liquidius faciamus: quod enim crassum est ac siccum, tardiùs & difficiliùs agit: quod fit, & quia spiritus illi, quibus ignea illa vis inest, facilius se exerunt ex materia rariore quàm densa, & quia fluidius illud existens quodammodo mutat partium suarum superficiem: ex quo contingit quòd nouæ quasi medicamẽti particulæ ad carnẽ allabantur, quæ vehementius vrunt. Si volumus vt adhuc citiùs ampulla inducatur, medicamentum bis térve mutare debebimus, ac nouam materiam parti inducere. Itaque superpositum vesicans phœnicino est contegendum, ne vacillet, sed hæreat; ac tum, vt agat, est sinendum. Plerumque decem aut duodecim horarum spatio actionem suam perficit; serius tamen aut citius pro remedij vi & obiecti corporis natura. Vt sciatur quando effectum suum sit consecutum, poterit post octo aut decem horas semel eleuari, & si adhuc nihil effecit, sini, donec intentum consequamur. Tam citò autem ac bulla inducta est, medica-

mentum est auferendum, ne hærendo cauum vlcus efficiat : tum facta bulla acu filo laneo traductâ perforanda est, vt aquositas effluat; vel forfice circum præscindenda, aut aliter dirumpenda est, vt cuticula tota auferatur : inde vlcus extergendum & exiccandum est, ac superpositio brassicæ, hederæ, ficus folio cum butyro illito apertum seruandum ad tres quatuórve aliquando, si fieri potest, septimanas. Quia verò huiusmodi vlcera superficiaria facile post aliquot dies sponte à natura claduntur, ideò ad hoc impediendum non absre erit emplastrum attrahens ei superponere, aut quid acrium & mordicantium puluerum, diagridij, piperis, euphorbij, ellebori ei inspergere, & si adhuc consolidatur, de quinque in quinque dies vesicationem reiterare, vsque ad tempus quo ipsum apertum retinere desyderamus.

CAP. XVI. Quomodo pro ictibus venenatis fontanellæ inurantur.

ETsi hactenus tradiderim generalem atque vniuersalem pro cuiuscunque generis affectibus fontanellas inurendi rationem; tamen quia hic affectus magnus est & singularis, & vrendi modus nõnihil ab alijs diuersus, peculiarem eius ineundi doctrinam hoc capite describere volui. Quapropter primò sciendum quod non in alio distante, sed in ipso loco

loco in quem venenum ictu aut morsu eiaculatum est (sicut Razes 8. rei medicæ monet) vstio hæc sit facienda; in hunc quidem modum. Statim locus est scarificandus & cucurbitula insigniter trahens apponenda: tum cauterium quàm ocyssimè adhibendum, dum venenum adhuc in extimis partibus hæret, antequam profundius penetrârit: quia tunc dupliciter prodest, & immediato contactu venenum annihilando & consumendo, & ope vlceris ipsum euacuando. Cum iam penitius penetrauit quàm vt substantia ignis ipsum attingere possit, non amplius consumendo, sed tantum euacuando prodest. Si venenum est valde efficax & malignum, ictus locus circum exscindendus primum est, tumque cauterium ignitum applicandum: sicut Aegineta lib. 5. c. 3. in ictu aspidis venenosissimi animalis faciendum docuit. Cauterium sit actuale, non potentiale; duplici ratione: & quia illud, venenum momento consumit, & quia ocyssimè escharam gignit. Eschara facta non lentè & naturaliter, sed citò ac violentè & excisione aut saltem diuisione per medium factâ (vt quam citissimè cadat) est properanda, sicut Galenus & Aetius monuerunt; vt statim venenatæ materiæ exitus præparetur. Quare statim porri semina cum sale trita aut allia aut cepas superponere oportet. Escharâ lapsâ emplastrum ex pice aut resina, aut aliud attrahens su-

perponendum est, & pilula ex agarico, iride, zedoaria aut alio ligno venenis resistente cum attrahente materia vlceri indenda. Mathiolus in comment. ad 6. Dioscor. c. 38. præ alijs ad hanc rem laudat præcipitatum. Inungi quoque pilula cum theriaca aut mithridatio potest & sic indi. Neque timendum hic, quod in alijs est, ne ad vlcus fluxio aut phlegmone feratur, quia potiùs iubet Dioscorides loco citato, vt ita semper ipsum administretur, vt sordidum sit ac continuò inflammationem minari videatur. Si enim humores impetu ad vlcus ferrentur, vnà extrorsum veneni portio raperetur, eiusque ad interiora motus impediretur: propterea neque repellentibus hic, vt alibi, locus est muniendus; cum præstet cum aliquo metu inflammationis ad vstum locum humores ferri, quam cum euidenti mortis periculo venenum intrò pelli. Curandum autem vt hic vlcus quam diutissimè fluat, ne quidquam venenati includatur.

CAP. XVII. *Quomodo cauterijs vtendum propter cicatricem.*

CVM ea ratione cicatrix per cauterij operationem expetatur, isque illius sit vsus, vt vel aliquid claudat, per quod antea aliquid transibat aut ferebatur, ne amplius transeat; vel vt cutem quæ antea laxa erat & di-

& dilatabilis, faciat ſtrictiorem, & magis reſiſtentem ei quod illi incumbit; quorum vtrumque facit ſua ſoliditate & denſitate: manifeſtum eſt quòd tota ratio inducendæ benè cicatricis in eo conſiſtat, vt arcta, dura, ſolidaq; ipſa producatur. Ad hoc peculiaris materia & determinata cauteriorũ requiritur figura. Actualia melius id præſtant, propter nonnullas cauſas. Prima eſt, quòd propter ſuam actiuitatem & ſiccitatem inſigniter exiccent locum; hoc enim faciendo tollunt humiditatem, quæ ſæpiſsimè cauſa eſt laxitatis cutis quam aſtringere intendimus: ſecunda eſt, quod non trahant; qua ratione non ſunt cauſa, vt noua materia allabatur quæ cutem humectet ac dilatet: tertia eſt, quia ob inſignem vrendi vim duram faciunt cruſtam, ex qua dura ac denſa, qualis expetitur, generatur cicatrix: quarta eſt, quia actualia poſſunt præcisè determinato membri puncto adhiberi, & tot tam magnasque facere cicatrices quàm volumus; quod potentialibus nõ ita poteſt temperari. Magni autem hic refert, vt ſuo loco cicatrices fiant: nam quæ præcisè inductæ repellunt quod incidit, ſi non nihil deuient à prædicto puncto, vel nihil iuuant, vel etiam ſæpiſsime magis extrudunt, quod retrudere deberent. Inter actualia præcipuum vſum habet ferrum, eò quòd aſtrictionem participet, & fortiſsimè igniatur, ex quo duriorẽ cruſtam,

& ſolidiorẽ ac craſſiorem facit cicatricẽ. Aurũ duras cicatrices nõ facit, ſed tenues & pulchras; ideò tum maximè valet, cum poros palpebrarũ cicatrice obducere volumus, ad pilorũ generationẽ impediendam, aut cum puſtulæ aliquæ in facie vrẽdę; vt tenuior & delicata cicatrix vultũ non deturpet: minimè, cũ ductus aliqui cicatrice claudendi, aut cutis contrahenda ad illabentis grauis corporis excluſionem. Figura cauterum varia eſt, prout ad diuerſos effectus cicatrix dirigitur. Ad poros cutis cauterio cicatrizandos, ad fœdas puſtulas vrendas, ſpecillo acuato, tenui, aureo, quo ſingulæ puſtulæ aut pori poſt euulſos ſingulos pilos ſigillatim ſunt tangendi, eſt vtẽdum. Ad vrendas venas & arterias mediam cicatrice, qua fluxus humorũ per eas fieri ſolitus impediatur, cauterio quoque mucronato tenui eſt vtendũ, ſi tenuis vena ſit; vel oliuari, aut dactylari, ſi maior. Quomodo verò hęc vſtio fiat, infrà, vbi de modo vrẽdi capitis, dicemus. Quomodo hernia vmbilici, inguinis, ſcroti, inducta cauterio cicatrice ſit curanda, poſtmodum ſigillatim edocebimus. In alijs affectibus, vbi reſiſtendum eſt corpori alicui quod ob affluxum materiæ, aut continentis rupturam & laxationem, excidit; pro partis ſitu & figura eius quod excidit, ferri quoque figura eſt varianda. Hoc generale eſt, vt locus qui excipit & protuberat, circumquaque vſtione firmetur, & contractior redda-

reddatur & inextẽsibilis. Terminus verò à quo non est vrendus, quia cicatrices ibi factę corpus illud extruderent, sicque facerent, vt excideret magis: sicut Hippocrates lib. de articulis cap. 12. monuit. Nonnulli vstionem hanc moliti sunt cauterijs circularibus totum circumcirca locum vna magnaq; cicatrice comprehẽdentibus. Razes lib. 9. c. 90. coxam pro ipsius dislocatione, Albucasis lib. 1. c. 42. multis rotulis intra seinuicem inclusis candentibus, & capite 44. incipientem gibbum circulo ignito, cauterizãt. Hippocrates loco citato ad humeri dislocationem tenuibus & oliuaribus, Albucasis lib. 1. c. 26. tenuibus & punctuatis, Aetius lib. 14. c. 7. ad sedis procidentiam, nuclearibus hanc vstionem moliuntur. Hoc imprimis ratione loci fieri potest, eò quod ala subtus circularia cauteria, sicut coxa & dorsum, non admittat. Verũ aliam rationem adfert Hippocrates loco citato, per quã ostendit multa parua cauteria in orbem vsta meliora esse magnis aut vno in orbẽ eunte: docẽs enim modum huius vstionis faciẽdæ, iubet imprimis vt cauteria sint bene pellucida & ignita, vt sic solidior fiat cicatrix: tum vt nõ magna sint, sed tenuia, & addit rationẽ; quia, inquit, quæ magna sunt & tardè vrũt, latiores relinquũt crustarum elapsiones, à quibus periculum est ne cicatrices rumpantur ac dehiscant: ideóque monet cicatrices paruas facere & duras ac cum exiguo stylo.

Porrò docet Hippocrates vt cauterium sit bene ignitũ, & addit Ægineta lib. 6. c. 76, vt profundè imprimatur. Etenim coxendicem vrens, vt, inquit, cicatrice locus densetur, addit hæc verba: Quapropter etiam penitius illic vstionem moliri conuenit. Denique tot locis sunt cicatrices faciẽdæ, quot adhuc, illud quod propellere nitimur, excidere potest. Vbicunque enim quod excidit, incumbit; ibi cicatrix facienda est. Notandum verò est, quod non tantum in hoc casu dura cicatrix est facienda, sed etiam arcta, seu cum cutis contractione; vt nempe angustior fiat area cicatricis, quam antea erat ipsius cutis. Hoc fiet, si tempore cicatrizationis curemus, vt cutis non sit distenta sed corrugata & coiens in se. Pulchrè nos hoc docet sapientissimus Hippocrates loco citato. Nam cum propter luxatos humeros interius, & sub ala vlcus esset, iubet vt tempore generationis cicatricis brachium costis alligatum teneatur, vt cutis coarctetur: nam si brachium eleuaretur, cutis deduceretur & cicatrix fieret valde lata: & propterea Isaac 9. pract. c. 81. secundum Hippocratis præscriptum dislocatos humeros vrens, dicit cauẽdum esse à labore, id est, brachij motione, donec sanatus æger sit. Ideò Celsus lib. 7. c. 14. in vstione herniæ vmbilicalis docet, vt prius vmbilicus ligetur, antequam vstio fiat & tum demum id quod super cordam est, vratur: vt sic con-

constricto per ligaturam vmbilico succrescat cicatrix, quæ eandem vmbilici constrictionem conseruet; per quam incumbentia intestina melius excludantur. Vstione factâ, eschará detractâ, vlcere impleto, talibus epuloticis est vtendum, quæ astringendi siccandiq́ue vi polleant & duram valeant inducere cicatricem.

CAP. XVIII. *De modo vtendi cauterijs secundum diuersam eorũ materiam & primò quomodo potentialibus sit vtendum.*

MODVS vtendi variatur quoque propter materiam ipsius cauterij: sicut enim diuersum est instrumentum vstionis, ita quoque sequitur vt diuersus sit modus administrationis ipsius. Alio modo vnguentum, aliter ferrum candens, aliter plumbum liquefactum corpori est applicandum. Primo agamus de potentiali. Varijs formis illud in vsum venit, interdum in forma pulueris & tunc illum inspergimus vel in cauitates insufflamus. In sanguinis fluxibus melius est causticum in forma pulueris superponi: ille enim vndique comminutus est & paruis suis corpusculis insinuat se arctè in foramen venæ. est etiam siccus & imbibit sanguinem, quem, cum lentorem habeat, secum incorporat, & influxilem reddit, & sic condensat & constringit. In cauis fistulis puluerem causticum calamo scriptorio

ptorio indimus & eam vndique insufflamus. Interdum paratur in forma liquoris, quem variè adhibemus: aliquando infunditur per tubulum aut clysterem auricularium, sicut cum vlcus est profundum & sinuosum, in cuius cauitates omnes nulla forma sicca immitti rectè posset; tunc enim quia liquidi est fluere, omnes vlceris angulos penetrat, nihilque quod vrendum est, relinquit intactum. Tantum autem in loco concauo liquoris huius est vsus, quia in loco plano diffluueret. Tunc autem æger in tali situ permanere debet in quo liquor infundebatur, ne effluat, vt nimirum foramen sursum sit; vel si os vlceris angustum sit, aliquo linamento imposito & desuper emplastro est claudendum. Interdum liquor ille specillo adhibetur: sic molli lana specilli nucleo adalligata aquam fortem, oleum antimonij, vitrioli, membris vlceribusque adhibemus; vel gladiolo ex ligno facto potentissimo oleo vix tacto, secando, forando, & omnia oportuna agendo, vtimur. Interdum filum in liquore, vt aqua forti, oleo vitrioli, maceramus, & tumores & adnata ad radicem ligamus, & nonnihil indies stringimus; sicque partim vrendo, partim strictura quodammodo scindendo, lupia, verrucas, strumas, adnascentias externas, præcipuè, quæ radice quàm vertice sunt tenuiores, abligamus. Interdum cannulam aut tubulum vitreum, plumbeum, ligneum

aut

aut calamum scriptorium, aut arundinem super tumorem ponimus & liquore caustico implemus: sicque verrucas, accochordones extirpamus. Interdum cauteria lapidis formam habent, vt quæ ex lixiuio cocto conficiuntur; qui salina subactus & humido aeri expositus mollescit: qui ruptoriũ vocatur, & ad fonticulos inurendos vsurpatur. Lixiuium percoctũ induratur antequam refrigescat, in frustula tanquam aleas secatur, cum tempus est vna particula capitur, in aere vltrò liquescit, tum corpori adhibetur. Interdum concinnantur vnguenti aut emplastri forma. Si est vnguentum, vel simpliciter inungitur, vt in vlceribus; vel emplastrum phenicinum in medio foramen habens parti superponitur, foramen vnguento repletur, altero emplastro desuper firmato: vt in fonticulis & vesicatione fieri solet. Ad verrucas aliaque tubercula interdum nucis iuglandis testa aliúdve concauum capitur, foramine pertunditur, in quod verruca intruditur: tum testula vnguento caustico impletur, vt sic exurat. Fiũt fistulæ argenteæ aut plumbeæ, diuersa foramina inferius ad latus habentes, quæ inferciuntur vnguento caustico vel cathæretico, & cauis inseruntur, & ita accommodantur, vt foramina partem affectam, tangant: tum bacillus intruditur & contentum vnguentum per foramina contra partem vrendam exprimitur & eiaculatur. Habent

cannu-

cannulæ illæ ſeptum interius, quod interdum eſt perforatum, interdum non: cum non, tunc foramina ſunt ad latus, & tunc ad latus vnguentum eſt expuendum, eſtque tunc vlcus aut tumor ad latera alicuius meatus, inter quæ fiſtula poteſt pertranſire: cum vero habet, tunc vel etiam, vel ſolum per commune fiſtulæ orificium vnguentum eſt protrudendum, tumque ita aptanda fiſtula eſt, vt tuberculum vrendum fiſtulæ foramen prius ingrediatur. Sic vlcera & tubercula penis, inteſtini recti, colli matricis, aut aliarum cauitatum vruntur. Cum cereo quoque in penis affectibus; cum ferro quaſi cochlear efformato, in quo cauſticum continetur, pro vuula adhibetur, quemadmodum ſupra capite nono dictum eſt.

CAP. XIX. Quomodo cauterijs actualibus ſit vtendum & primum ſolidis ac metallicis.

CAuterijs actualibus vtimur vel ſolidis vel liquidis: ſolida ex metallis ſunt vel lignis; liquida ex aqua, oleo, feruefactis; ſulphure, plumbo, liquefactis & incenſis. Solida omnia prius accendenda ſunt & ignienda. Ferrum ignitum cum per ſe terrorem incutiat, occultandum ſemper, ne æger videat, & vel coperto prius ægro, vel ex improuiſo eſt adhibendum. Metallica omnia per munimentum

tum imponuntur parti prius alligatum. Munimentum vel est planum vel fistulare: si fistulare, celeriter negotium est perficiendum, alioquî fistula inflammatur & ipsamet, vt cauterium, circunstantem carnem vrit. Generale in omni vstione per ferrum est, vt non rectà ferrum imponatur, sed cum quadam reuolutione manus, ne caro & cutis candenti ferro adhæreant: & hoc est quod Albucasis lib. 1. c. 2. & 3. & alijs locis monere vult, quando ferrum imprimere docens, hæc verba addit: Et reuolue ipsum. Cæsim, punctim, cauteria imprimuntur, in circulum ac omnem dimensionem; ad quod variæ cauteriorum formæ sunt excogitatæ. Interdum leuiter attingunt, interdum fortius imprimuntur, interdum vno loco sæpius admouentur: hoc fit, cum locus non est vniformis, vt vno ictu nequeant omnia eius latera tangi; cum est magnus, vt vnum cauterium non possit totum comprehendere; in magna putredine; in ossis corruptione; in sanguinis fluxu, vbi effluens sanguis cauterium extinguit. In illo casu oportet cauterij ignitionem reiterare, vel quod melius est, plura eiusdem generis igni imposita habere. Cauterium interdum fortiter est igniendum, interdum non. Fortis ignitionis indicium est, cum iam ipsum ferrum candet, ac, vt Hippocrates lib. de artic. c. 12. dicit, cum perspicuum redditum est, cumque scintillæ quasi radij à

ferro

ferro exeũt. Tunc intensè est igniendũ, cũ fortis impressio est facienda, de qua statim infrà dicemus. Vbi leuior vstio expoſcitur, vel debiliter ignitur, vel ignitũ liquore aliquo extinguitur. Hippocr. lib. de visu, ferramẽtis non admodum candentibus vtitur. Ægineta lib. 4. c. 7, & lib. 6. c. 58. & 87. stygmata, verrucas, &c. frigido cautere Oribasiũ & alios absumere solitos esse dicit: vbi ferro nõ admodum aut vix cãdente & refrigerato tales vstiones fieri intellexit. Sed loca illa forte habeant aliquã dubitationẽ: posset enim putari quòd Ægineta per cauteriũ frigidũ illic intellexerit cauteria potentialia, quæ actu frigida sunt, nõ ferramẽtum frigidiusculũ; sicut Hollerius 2. instit. chyrurg. c. 1. intellexit: etenim ferri mentionem non facit Ægineta, sed tantũ cauterij frigidi. Suspicionẽ augere potest, quòd lib. 4. c. 7. ponit hęc verba: Frigido cauterio crustã faciens stygmata abstulit. Nam, si ferrũ frigidum intelligeret, nõ adderet, ἐσχάρωσας: nam si ferrum frigidum est, & non multum calens, quomodo crustam facit? Verũ hoc magni momenti nõ est; nam etsi frigidius sit, nec valde candens, est tamen insigniter adhuc calidum, vt possit locũ crustosum reddere. Quod autẽ per cauteriũ frigidum non intelligat potentiale, eo inducor credere, quod cum lib. 4. c. 7. toto capite septica, caustica, sandaracã, auripigmentũ, calcem, ranunculum, pro stygmatibus in mediũ tulis-

tulisset, statim tãquam aliud quid diuersum ab ijs adferre volens, dicat quòd ea etiã Oribasius frigido cautere abstulerit: vnde si potentiale intelligeret, vitiosa oratio esset, & nihil noui diceret; quandoquidẽ antea potẽtialia cauteria attulisset. Maius argumentũ est, quod vbiq; his verbis vtatur, ψυχρῷ καυλῆρι & ψυχροκαυτῆρι, non autem καυλυρίῳ: verbo enim καυλήρος, medici nõ medicamentum, sed instrumẽtum metallicum, quod vrit, intelligũt: καυλήριον verò & medicamentum & ferrum & crustam ipsam aliquando significat. Guinterius Andernacus, qui Æginetam vertit, non potentiale cauterium, sed ferramẽtum frigidum quoq; intellexit. Nam etsi Ægineta vbique hoc verbo ψυχρῷ καυλῆρι vsus sit, ipse tamen lib. 4. c. 7. vertit (*ferramento frigido*) & lib. 6. c. 58. vertit (*ferro candente refrigerato*) & c. 87. vertit (*ferramẽto extincto.*) At cui ergo vsui hæc vstio est? aut quis est gradus ignitionis illius? Equidẽ cum ad parua tubercula, stygmata, clauos, thymos, Paulus ea vtatur, eò quòd illa ob sui exiguitatẽ non requirãt tantã vstionem ac maiora apostemata; forsan ita ferrum se habere voluit, vt etsi nõ canderet, ita tamẽ ferueret, vt nihilominus insigniter vrere posset, & leui incrustatione tuberculũ tabefacere & annihilare. Hoc videtur indicare lib. 4. c. 7. cùm dicit, ἐσχάρωσας ἄφελε, & lib. 6. cap. 58. cùm dicit, ψυχρῷ καυλῆρι ἐδαπάγησεν, id est, consumpsit.

Forsi-

Forsitan leuiter calidum esse ferrum voluit, nō vt exureret, sed vt tantum glutinosam illam humiditatem, qua illa cuti alligantur, consumeret. Sed ad alia. Aliqui cauterium cādens prius imponunt liquori conuenienti affectui, vt præter vim vstionis, insuper aliam quampiam vim, quam maximè desyderant, parti inferat. Sic in fluxu sanguinis, vt astrictio quędam parti indatur, crustaque firmius hæreat, candens ferramētum primum vino astringente vel aceto rosaceo leuiter intingunt. Scribit Cælius Aurelianus lib. 5. c. 1. de Demetrij sectatoribus, quòd cauteria in hydrope ponebant, modò nuda, modò oleo tincta. Porrò adhuc dupliciter cauteria applicantur: vel vt partem tangant & vrant: vel vt non tangant, sed à longè tantum teneantur, & calefaciant. Sic Hippocrates lib. de hæmorrhoid. vrit hæmorrhoides, à longè eas exiccando, & Razes in apoplexia galeam aut sartaginem ardentem à longè applicabat. Horum vero alia immediatè, alia mediante adhuc alia re adhibentur. Res quæ mediat, vel est simplex, tantum ad ignis vim temperandam, vt cotum, lintea aliqua; vel simul adhuc aliquam peculiarem vim habet: de quo supra capite 8. plurima dicta sunt. Non satis autem intelligo quid sibi velit Galenus 2. artis curādi ad Glauconem c. 9. cum de gangræna loquens, inquit: βέλτιον ἀσφαλείας ἕνεκα ὅταν ἐκτέμνῃς τὸ σεσηπὸς τὴν οἷον

οἷον ῥίζαν ἀὐλοῦ συνημμένην τοῖς ἀπαθέσι καίειν. ἐνίοτε μὲν αὐτοῖς τοῖς πεπονθόσι μορίοις τὰ καυτήρια προσφέροντες. ἐνίοτε δὲ καὶ προϋποβάλλοντες μοττὸν: quid significet, quod prius linamentum dicat subijciendum? Quando cauteria immediatè parti adhibentur, non pari semper mensura imprimuntur. Terminum vstionis materiæ situs & profunditas, mali magnitudo, ægri partisque natura ostendunt. Eum docet Auicenna lib. 1. fen. 4. c. 29. Cauterizator, inquit, sibi cauere debet, ne fortitudo cauterizationis ipsius ad ner ”
uos perueniat, neq; ad chordas, neque ad liga- ”
menta: quod si propter sanguinem qui fluit, ”
cauterizauerit; oportet vt cauterizatio sit for- ”
tis, vt crusta grossa fiat & non facile cadat: & ”
paulò post: Cumque, inquit, cauterizaueris ”
propterea, vt carnem corruptam proijcias & ”
terminum sanæ scire volueris, erit vbi dolet: & ”
fortasse tibi necesse erit cum carne cauterizare ”
os quod sub ea est, & supra ipsum morari, donec ”
tota ipsius destruatur corruptio. Cum ergo fue- ”
rit quod sit, sicut cranium, subtiliter ipsum ope- ”
rare, ita vt cerebrum non ebulliat neque ipsius ”
panniculi corrugentur; & in alio osse ab ipso ”
non cures perquirere. Quapropter cum propter crustam siue ad sanguinis fluxum cauterium expetitur, vstio debet esse insignis; alioqui crusta non euadet fortis & dura. Cum propter ossis aut carnis putredinem; impressio & valida fieri

& sæpe repeti debet; imò & os interdum candentibus ferramentis ad medullam perforari: propter putredinis magnitudinem & ossis duritiem. Terminus vstionis in carne, dolore; in osse, duritie & albedine definitur. Cum autem dicit Auicenna super osse capitis tenuiter esse operandum, insinuat vstiones iuxta partes nobiles, mitiores quàm iuxta alia membra esse debere. Si ad aliquid exedendum aut amputandum cauteriũ adhibetur, fortis etiam vstio esse debet, terminusq; ipsius est, cum ablatũ id est, quod tolli intendebatur. In gangræna omnium acerrimè est vrendum. In his omnibus ne vicina caro sana tangatur est cauendum; quod fiet, si per vices & repetitis vstionibus potius id agamus quàm rarò & confertim. In cicatrice producenda vstio quoque debet esse insignis, nam sic densa cicatrix generabitur. Omniũ minima vstio esse debet, quæ ad fontanellas instituitur; quæ tamen etiam est inæqualis. Cùm materia multa & profunda est, magna vstio fieri debet, vt latum ac profundum vlcus euadat. In omnibus autem videndum, quid natura ægri patiq́ue ferat. Quibus cutis durior, fortius vrendi: vbi nerui & vasa subsunt, monuit Hip. in lib. de art. c. 12. ea cauere. In mollibus corporibus & parte sensili parcè vrendum: in partibus profunditatem non habentibus non est alta impressio facienda. Ideò Albucasis cum super ventrem

trem cauteria ponit, monet vt tunc leuiter vramus: ne, inquit, perueniat vis ad inteſtina, quia cutis illic eſt ſubtilis: & vbicunque, ſeu ſplenem, ſeu ſtomachum, ſeu ventrem vrit; ſemper monet, vt ſuperficiaria fiat vſtio; propter prædictam cauſam. Ac propterea Hippocrates illas partes fungis vrit, & lib. de inter. aff. c. 29. cum docuiſſet ſuper ſplenem & hepar fungis vrere, addit, quòd etiam ibi ferro vrere liceat, ſed cum ea cautione, ne vltrà vramus. Porro in parte humida licet quoque liberalius vrere: tum quia ea ſuo humore extinguit vim ignis: tum quia hac ratione exiccatur & roboratur. Denique in tibia, quàm in natibus & ſuper coxam; ſuper articulum, quàm in tibia, quis ignorat mitius eſſe vrendum? Si admodũ profundè imprimendum eſt, prius locus ſcindi & ſcarificari debet, & vulneri facto cauteriũ imponi: ſicut Socrates Chyrurgus apud Cæl. Aurelianum lib. 1. c. 1. chroniῶn in pede pro hydrope faciebat. Nunc de figuris ferramentorum pertractemus. Eæ pro diuerſis vſibus variæ ſunt excogitatæ. Aliud cauterium eſt lene & æquale, aliud foraminulentum, aliud ſimplex, aliud multiplex, & plures vnico adactu cruſtas inurens: aliud circulare, ſphæricum, planum: aliud longum, punctuale, oliuare, dactylare, cultellare, in modum forficis, arcuale, falcatum, triangulare, varijſque aliis figuris præditum; pro ratione morbi &

partis cõformatione. Communius est & vbiuis locorum vtile, quod rotundam figuram habet, instar globuli; aut quod oliuarem seu dactylarem, instar nuclei oliuæ (vt Alyabbas 9. pract. c. 69.) non autem folij ipsius, vt aliqui dixerunt. Hæc differunt inter se figura, quod nimirum dactylare oblongam habeat rotunditatem: differunt etiam nonnihil vsu, quia dactylare præfertur rotundo, vbi profundius est vrendum; in reliquis conueniunt. Eorum autem vsus est ad venas, neruos, cum putruerunt, vrendos: ad venas & arterias cicatrice intercipiendas: præcipuè verò ad fontanellas vbique locorum excitandas, propterea quòd rotundum faciant foramen, aptum ad pilulæ receptionem. Aliud est cauterium cuspidatum, subtile, sicut stylus & specillum, quo vtimur ad setones, ad fædas pustulas & cutis poros, ne pili renascantur, sigillatim vrendos: ad perforanda foraminibus corrupta ossa, præcipuè si cuspis sit triangularis: ad arterias, venas, neruos, & alias partes subtiles cauterizandas. Ita Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. arterias temporum inurit instrumento, quod sit, inquit, sicut acus ignitæ. Celsus lib. 7. c. 7. venas temporales tenuibus ferramentis etiam vrit, & de ijs etiam monet Alyabbas, vt vrantur cauterio subtili, iuxta earum magnitudinem. Habent quoque vsum ad sinus & receſſus, seu foramina, quæ sunt in vlceribus, in quæ:

magnum

magnum cauterium non ingreditur, vrenda, & ad omnes eius eminentias & angulos iterata manu percurrendos. Cauterium planum valet ad exiccandum, calefaciendum, non altè vrendum. Huc refertur cauterium clauile, quo vtitur Albucasis ad exiccandum, calefaciendum, & cauterizandum, in locis planis, latis; vt super hepar, in hydrope; super stomacho, vesica, vtero, renibus refrigeratis & humidis. Quod lunarem habet figuram, locum præcipuè habet in depositione membri, vt brachij aut pedis. Illic enim circumcisa caro in se redit, & os non potest tam propinquè ad carnem præsecari: hinc eminet, & eminẽtia facit, vt caro non possit plano ferro cauterizari, & ideo requiritur falcatum & lunare. valet etiam hæc figura ad conuexam partem vrendam, & ideò in mollificatione palpebrarum tali vtitur Albuc. lib. 1. c. 16. Eodem quoque vtitur ad herniam intestinalem. Cultellaris figura est ad simul cum vstione scindendum: alia est, quæ habet dorsum & acutiem tantum ab vna parte, & hæc valet ad excrescentias auferendas, ad vrendum in longum & per lineam, vbi longa sectione plures venæ sunt amputandæ; valet quoque in ijs partibus, quæ non habent latitudinem; & ideo in doloribus digitorum pedis inter digitos ipsius cum cultellari dicit Lanfrancus vstionẽ faciendam: secunda est enseiformis seu lanceiformis,

& ea ſeruit apoſtematibus aperiendis, pectoris inter coſtas & abdominis pro ſuppurationibus & collectionibus quæ in eis fiunt, paracenteſi. & hoc cauterium vocat Albucaſis radiale, & ad prædictas operationes vſurpat. Ægineta quoq; ex Leonida cũ cauterio mucronato coſtas perforãdas in empyicis c. 44. li. 6. dicit. Seruit quoque putridorum vlcerũ labris & oris tangendis. Fiunt etiã cauteria forficis figura; cuius vſus eſt ad aliquid extãs abſcindendũ & hęmorrhoides amputandas. Albucaſis etiam cõcaui & fiſtulæ formam habentis cauterij meminit, eoq; lib. 1. c. 23. ad ſcrophulas, & cap. 54. ad clauos in pedibus vrẽdum, ita vt claui & ſcrophulæ cauterij orificiũ ingrediantur, vtitur, & ita ea cõtabefacit, vt poſtea ſuperpoſitis putrefacientibus cum radicibus excidant. Aliqua figuram rotæ habent. Albucaſis lib. 1. c. 44. ad gibbi incrementum auertendum gibbum totum circulari cauterio comprehendit. Idem pro iſchiade lib. 1. c. 42. ferro multas rotas intra ſe habente dicit antiquos articulum vſiſſe, ita vt articulus cruſtis circularibus pluribus cingeretur: & Razes quoque lib. 9. c. 99. rei med. ferro figuram rotæ habente articulum circundat. Porro ſunt interdum in cauterijs foramina, plerumq; non. Eorũ vſus eſt, vt fumus ardentis carnis per ea poſſit exhalare, habentque locum in cauterijs latis & planis, à quibus, cũ applicantur, fumus includeretur;

retur; minimè in acutis & rotundis. Ideò verò fumus exhalare debet, vt & melior vstio fiat, & min⁹ empyreumatis in parte relinquatur: fumus enim impedit vstionẽ, & suffocãdo minuit vim ignis, & inclusus ignea vi cõcepta partẽ alterat. Eiusmodi cauterijs vtendũ est cum exiccationẽ & humiditatũ multarum discussionẽ molimur, in vlcerũ visceris alicuius, aut articulorum madoribus. Insuper cauteria aliqua sunt simplicia cum vno pũcto, aliqua multiplicia cũ pluribus: vnum punctũ sufficit, vbi vna tantum crusta est faciẽda; vbi plures, plura requirũtur. Quia verò tunc si succesiuè, & iteratò omnes illæ crustæ producerentur, sæpius nouo æger afficeretur dolore, inuentũ est multiplicia facere cauteria, quæ vna vice & vno adactu plures inurerent: vt singularum dolores vno commutarentur. Sic Razes lib. de affect. iunctur. cap. 25. cauterizat ancham cum circulo habente in circuitu quinq; nodulos, ad quinque crustarum vstionẽ, quod cauteriũ à circulari supra allato est diuersum. Sic Albucasis super splene, & vbicunque plures crustas facere intẽdit, multiplici cauterio vtitur. Sic quoq; fiũt setones multiplices. Ægineta lib. 6. c. 48. dicit Marcellũ tridente quem Triænam Græci appellãt, vno adactu sex crustas excitasse: loquitur autẽ ibi de setone. Alyabbas 9. pract. c. 76. ferro bifurcato splenem adurit, & Albucas. lib. 1. chyr. c. 31. pro splene bidentatis & triden-

tatis ſetonibus vtitur. Cauteria quoq; aliquãdo habent arreſtũ ſeu repagulũ : hoc affigitur tanquã terminus impreſſionis; vt nẽpe illud obſtet & occurrat munimento quod ſuper partẽ ponitur, ne cauteriũ per munimenti foramẽ vlterius poſſit profundari : propter quod neceſſum eſt vt arreſtum ſit maius ipſo foramine munimenti. Iſaac 9. pract. c. 58. hoc nouit : ibi enim ſtomachum vrens monet non eſſe profundè vrendum propter ſubiectũ peritonæum, atq; ideo, inquit, ſtygmata cum nodis ſunt aptanda. Arreſtũ aliquando eſt firmũ, vt cum nodum hærentẽ cauteria habẽt; aliquãdo mobile, ſurſum vel deorſum: tale eſt, vel ſtylus ferreus, qui per foramina (quę in cauterio plura, vnũ altero demiſſius, in hanc rẽ fiunt) tranſmittitur; vel torna verſatilis, quę circũduci ſurſum deorſumq; pro libito poteſt. Variæ ſunt aliæ figuræ, quas quiſq; pro ſcopo ſuo variè fingit. Aetius, Alyabbas, & alij cauterij mentionẽ faciunt, quod figuram literæ Γ habeat, cum quo ramicẽ aquoſum vrunt. Albucaſis ad eum effectũ cauterio literæ T figurã habente vtitur: alia alijs peculiariter ſunt vſitata. Generale eſt, quòd quæ diu ignita eſſe volumus, craſſitudinem aliquam habere debeant: nam tenuia ſtatim candorẽ ſuum deponũt. Monet Guido tr. 7. doctr. 1. c. 3. vt Chyrurgus ſingulorũ quæ magis ordinaria ſunt, triplicis magnitudinis habeat, magna, parua & mediocria.

CAP.

CAP. XX. *Quomodo vtendum sit cauterijs actualibus solidis, quæ non sunt ex metallis.*

PRæter metalla est & alia materia, qua antiqui ad cauteria sunt vsi, de qua diximus suprà lib. 2. c. 3. Hippocrates buxeis fusis & fungis, Aegineta simili fungosa materia, Aetius medulla iuglandium, Razes virgis myrti, alij radicibus struthij, aristolochiæ, &c. vtebantur. Mirum ergò videri potest, quomodo hæc tam rara materia vim habeat cauterizandi, & quomodo ea antiqui vsi sint. Audiamus itaque quid ipsi dicant. Hippocrates lib. de inter. affect. c. 33. & alibi sæpissimè: vrito, inquit, per buxeos susos in oleum feruens intinctos; nec quidquam aliud addit. Alyabbas 9. pract. c. 74. in pleuriticis vrere docet cum aristolochiæ radice in oleum calidum intincta: ex quibus videtur apparere quod iste fuerit modus ijs vtendi; vt nimirum bacillus ex prædictis lignis conficeretur, qui intingeretur in oleum aut alium liquorem feruentem & sic adhiberetur: quod si esset, ligna illa nihil aliud præstarent, quàm vsum ad oleum illud feruens applicandum, neque præstarent ipsa vsum cauterij, sed butyrum: vnde cauterium quod per ea fuisset factum, esset cauterium actuale liquidum, non solidum. Ex ijs enim locis videtur quòd adhibuerint oleum cum ligno, sine vlteriore ligni accen-

accensione: quod eò videtur confirmari, quod ibi iubeatur, vt ista ligna in oleum feruens intingantur: si autem post intinctionem adhuc accendi ea voluissent, frustrà dixissent quod oleum deberet esse feruens: perinde enim esset calidum an frigidum foret, quia ipsa accensione satis postmodum ferueret. Quod si ita sit in fusis buxeis & aristolochiæ radice, idem quoque de alijs lignis est intelligendum. Nam Hippocrates lib. de inter. affec. docens per buxeos fusos sic in oleum feruens intinctos vrere, statim sæpe subiungit hæc verba: vel per fungos octo crustas inurito. Nam si ibi alium per fungos, quàm per buxeos fusos vrendi modum intellexisset, eum vtique aliquo modo expressisset. E contra verò quòd post illam in oleum impositionem insuper etiam illa accendere soleant, clarè dicit Cælius Aurelianus lib. 5. diutur. c. 1. alij, inquit, radice struthij cauterizant: vsta enim, inquit, radix, conceptà flammâ cuti apposita pustulationem necessariò facit. Alij, inquit, ligneis fungis vrunt quos summitate accensos sinunt concrenari, donec cinerescãt atque sponte decidant. Alyabbas lib. 1. c. 78. docens vrere hydropicos: quidam, inquit, id faciunt cum ferreo cauterio subtili, quidam cum quercino ignito. Albucasis lib. 1. c. 56. docet vrere cum ligno subtili myrti, cuius extremitas sit accensa cum igne, & Isaac 9. pr. c. 87. docet vrere cum lignis

lignis ilicis accensis: nec quisquam ibi olei calidi facit mentionem. Verùm alibi ipsius meminerunt. Albuc. cap. 3. docens vrere cum radicibus aristolochiæ: accipe, inquit, ex radicibus longæ radicem vnam longiorem & sit crassitudinis digiti, deinde submerge eam oleo (non dicit autem, feruente) & accende eam igne: & Isaac libro citato c. 82. pectus inurit cum radice aristolochię in oleo intincta, &, inquit, accensa. Quapropter dico triplicem posse esse & fuisse (vti ex citatis locis patet) prędictis lignis vtendi modum: vel vt tantum intingerentur in oleum feruens, vt oleum sic calidum applicaretur & vreret sine vlteriore accensione: vel vt per se incenderentur absque oleo; siccata quidem prius, quæ pinguedinem non habent, vt aristolochia; humida verò, quæ eam habent, vt myrti: quale ipsum esse vult Razes. lib. diuis. c. 124: vel vt & intingerentur in oleum frigidum, vt sic melius arderent, & tum demum adhuc igne accenderentur, accensaq; parti applicarentur. Præter ista ligna, solet etiam cum lino crudo (teste Hippocrate) cum oesipo (teste Herodoto) cum stercore caprino (Dioscoride teste) cauterizatio fieri. Dubitat autem doctissimus Mercurialis in lib. variar. lect. quomodo lino crudo potuerint cauteria inuri, & difficile, inquit, hoc est interpretari, quomodo id factum sit, nisi linum crudum fuerit accẽsum,

pariter-

pariterque dubitat, an ſtercus caprinum per calorem potentialem habere poſſit tantam vim vt cauterizet. Verùm ſicut ligna illa vrebantur, ita dubium non eſt quin & linum & oeſipus vri debebant. Scribit Proſper Alpinus, qui aliquot annis in Ægypto medicinam exercuit, in libro ſuo quem edidit de medicina Ægyptiorum, adhuc apud illos permanſiſſe hunc morem, vt alio cauterij genere non vtantur, quàm quod goſſipio & panno lineo exuſtis fit. Sumunt, inquit, lineam petiam cubiti longitudine, latitudine trium digitorum atque goſſipij iuſtã quantitatem, quod totum linea prædicta petia inuoluunt, ac filo ſerico ligant ad formam pyramidis, ipſiusque latiorem extremitatem parti applicant, propeque cuti adhærere faciunt, alterumque caput ſiue extremum ſuccendunt comburique permittunt, quouſque faſciculus ille ex linea petia atque goſſypio omninò crematus ſit, continuóq; dum cutis vritur, ferro circumcirca partem tangunt, ne ex illo calore inflammatio oboriatur. Obſeruant etiam dum inuolucrum illud parant, vt in eius medio ſit foramen vel meatus, per quem fiat aliqua reſpiratio & euentatio. Itaque diſtantiori parte prius accenſa paulatim pars calorem magis magisque ſentit, ita vt antequam cutim ipſam pertingat, ea quaſi in ſtuporem redacta ignis vim non ſentiat, qui tum etiam minorem dolorem facit,

quòd

quòd ille in materia hac rara mitior necessariò exiſtat. Quomodo ſtercus caprinum adhiberi ſoleat, non ſatis mihi conſtat: hoc manifeſtum eſt, quòd vel incendebatur ſuper partem, vel ſaltem inſigniter feruefactum ſuperponebatur, adeò vt hoc ſaltem certum ſit non potentiali, ſed actuali ſuo calore vſſiſſe. Aetius 3. tetrab. ſerm. 4. c. 3. dicens quod quidam ſolebant vrere cum ſtercore caprino ſuper digitos pedis, modum hunc ponit vſtionis. Caprinum, inquit, ſtercus feruens per forcipem imponunt ſtercoraque variant ac permutãt, donec ſenſus vſtionis ad locum perueniat: addit quod Antyllus etiam hunc modum docuit, vt ſtercus illud ſiccum feruefiat, & eo venter affecti pedis digiti vratur, donec vſque ad os vſtio penetret. Dioſcorides lib. 2. c. de fimo, dicit quod pro iſchiadis curatione in illa lacuna vbi pollex brachiali committitur, lana oleo imbuta ſubſternatur, & deſuper feruentes ſtercoris caprini pilulæ imponantur, donec vapor per brachium ad coxam ſentiatur peruenire. Plinius quoque libro 28. c. 10. huius vſtionis meminit, & eam cum fimo feruente fieri dicit. Miror autem quomodo ſi ſtercus illud tantùm fuerit feruefactum, non autem incenſum, potuiſſet ſic vrere, (appellat enim Dioſcorides hanc operationem vſtionem & cauteriũ) vt vis ipſius à brachio (vt Dioſcorides & Aetius) vel à pedis pollice (vt Antyllus &

lus & Plinius) ad coxam peruenisset: præcipuè, cum eius tantum aliquæ pilulæ imponantur, nõ totum cataplasma: & maximè, cum adhuc lana cum oleo substernatur, quæ potest facile feruorem ipsius impedire: & cur Antyllus dixerit illud stercus debere esse siccum, cùm tamen magis feruere posset, si esset humidum. Verùm Albucasis lib. 1. c. 42. dicit, quòd stercus illud
„ incendatur. Sumatur, inquit, lana, & imbuatur
„ oleo antiquo, & ponatur super locum, deinde
„ accipe stercus siccum, & inflamma ipsum cum
„ igne super lanam, & dimitte ipsum donec ex-
„ tinguatur, deinde itera aliud. Vtvt sit, parum refert; quia illud cauterium non est magni momenti, nec hodie vsitatum, & forte superstitiosum ac magicum: vt ex Plinio loco citato liceat forte suspicari. Scribit Mathiolus lib. 5. commentar. in Dioscoridem, quòd antiqui solebãt vti pila crystalli ad cauterizandum: etenim, inquit, aduersis Solis radijs concitato igne pars vrebatur; & hoc, inquit, genere cauterij non vtebantur, nisi in ijs qui ferrum candens abhorrebant: & experientiam se feciſſe dicit cum ægri astantiumque admiratione.

CAP. XXI. *Quomodo actualibus liquidis sit vtendum.*

REstat modus vtẽdi actualibus liquidis. In ijs non minor, imò maior, quàm in solidis

solidis adhibēda cura est, ne totum membrum vrant: propterea quòd hæc nō proprio vt illa, sed alieno tantum termino contineantur, quem non rarò facile est ijs præterlabi. Liquida hæc vel tantum sunt actualia, vel simul quoque potentialia; in queis tamen alterutram qualitatem exuperare necessum est, cuius ratione effectum consequi nitamur. Si ratione eius, quæ potentiâ est, vstionem molimur; præstantius est, si insuper quoque actualis calor accedat: sin ratione eius quæ est actu, ea quæ potentiâ adhuc inest, exiguum auxilium confert. Propterea Albucasis lib. 1. Chyrurg. cap. 42. cum liquore caustico vrens, eum feruidum infundit. Liquida actualia, vel sunt liquida natura, vt oleum, aqua feruens; vel arte, vt sulphur & plumbum: quæ vsus tempore sunt liquanda. Tum oportet circa partem vrendam, quasi sepem seu aggerem facere, eamque certis limitibus circumscribere, vltra quos velimus cauterium non diffluere. Agger ex farina pinsita vel argilla emollita fit, & in fossam internam sulphur vel plumbum liquefacta infunduntur. Sed hoc potius cum vrenda pars extensa est & spatiosa: nam cùm angusta est, canalis aliquis ei imponitur, in quem cauterium infunditur. Debet is esse instar infundibuli, superiore parte latior, aut margines habēs, ne foraminis angustia vltra labra super membrum sanum effundatur.

Fiunt

Fiunt istiusmodi canales ex metallo, vitro, ligno; pro materiæ quæ infunditur ratione. Si plumbum infunditur, metallicus aut terreus esse debet; si sulphur aut pix liquata, sufficit ligneũ esse; si aqua, vitreum aut ex calamo factum. Sic Albucasis lib. 1. c. 18. plumbum liquefactum & c. 54. aquam feruidam ad verrucas vrendas per tubulũ ex ære ferro aut plumâ vulturis, infundebat. Cælius Aurelianus lib. 5. c. 1. chroniæ̃n: alij, inquit, in hydrope cacabulum aut vas fictile perforârunt in fundo & ventri superposuerunt, & subtus locum muniuerunt farina, & oleum feruens infuderunt. Interdum ex lino, stupa aut cotone cõtortis & ductis in circulum aggeres parantur, vbi quod infunditur causticum minorem vrendi vim, aut ipsa pars vrenda maiorem habet ignobilitatem: vt non magnum malum sit, si forte liquor vltra præscriptos terminos defluat. Albucasis lib. 1. c. 12. in vrendo capite pro melancholia: raso, inquit, capiti tortellam decenter factam ex lino sicut circulum impone, deinde depone ipsam in medio capitis, & infirmus teneatur ab omni parte, dein adhibe linimentum, & est, inquit, melius ex butyro ouiũ antiquo, & calefac ipsum calefactione temperata, mensurâ quam vnus digitus ferat: deinde euacua ipsum in medio capitis sui in circulo & dimitte ipsum donec infrigidetur. In acrochordonibus & verrucis, quæ in manibus ob-

bus oboriuntur, sumitur dimidia iuglandis testa ab interaneis liberata, exiguo foramine in medio pertunditur, quantum est ipsa verrucæ magnitudo; in id verruca tum impellitur, vt foramen arctè claudat, ne transitum materiæ concedat ad partes sanas: tunc testæ illius conuexa sui parte manui adhærentis interna cauitas sulphure impletur, quod igne accenditur & tamdiu relinquitur, donec ardor testam penetrans cuti communicari incipiat: tunc abijcitur, sicque verrucæ exuruntur. Nonnullæ res ardentes partibus instillantur, vt butyrum, axungiæ aliquod aut resinæ ad scopum accõmodatæ genus. Ita Isaac 9. pract. c. 85. in vrendo stomacho dixit, quòd quidam incẽdunt gummi quod exit de quercu & incensum instillant super stomachum ad exiccandas humiditates. Interdum parãtur styli aut specilla ex ligno, quæ extrema cuspide obducuntur lino, lana aut stupa in modum noduli, quæ feruenti butyro aut oleo, sulphuri aut pici liquefactis intinguntur & particulis adhibentut; sicut de potentialibus cauterijs dictum: quod in Hippocrate lib. de inter. affect. c. 33. & alijs, & Alyabbate 9. practicæ c. 74. videre est. Addam alium modum quo Albucas. lib. 1. c. 22. vtitur ad cauterizandum cum feruido butyro, quem modum dicit cauterium per butyrum appellari, quo vtitur ad dentium dolorem. Cape, inquit, butyrum vacinum &

» bullias ipsum in cochleari ferreo aut æneo, de-
» inde accipe cotum, & inuolue ipsum super ex-
» tremitatem, dein submerge ipsum in bubulo bu-
» tyro, & pone super dentem dolentem festinan-
» ter, & tene ipsum, donec infrigidetur; dein
» itera ipsum aliquoties, donec perueniat virtus
» ignis ad radicem dentis.

CAP. XXII. Quomodo cauterizandum secundùm diuersas partes, & quomodo vrendũ in parte subiectos neruos & vasa habente.

A Parte etiam desumitur modus vrendi. Nam nobilitas, figura, situs & conformatio eius, & munimentorum & cauterum & fasciarum figuram præscribunt, & vlcerum quoque inducendorum extensionem, profunditatem, numerum determinant: adeóque totam vrendi rationem immutant. Ideò non eodem modo nobilis & ignobilis; profunda, superficiaria; plana, rotunda; carnosa pars & venas, neruos, arterias subiecta habens; caput, oculi, abdomen, crura, &c. sunt vrenda. In præcedentibus autem hinc inde multa dixi, ex quibus discere licuit, quomodo in nonnullis partibus vrendi modus varietur; vt non sit opus iteratò quasi hic de singulis admonere. Quapropter hoc loco tantum de ratione vrendi capitis & abdominis, quæ periculi plus habent, ac pluribus & difficilioribus vstionibus exposita sunt,

sunt, differam; modò tamen prius generalem quandam rationem breuiter præmisero eas partes tractandi, sub quibus vasa multa, vt venæ, arteriæ, nerui delitescunt: propterea quòd quæ à parte desumitur indicatio, ab his desumpta non minimi sit momenti, quod ijs præ incuria tactis præcipua eueniant mala. Hanc colligere licet ex Hippocrate lib. de art. c. 12. vbi cum alas subtus vrere intenderet, quas periculi plenas esse ob glandularum, neruorum, venarum & arteriarum delitescentium metum dixerat, tres adhibuit cautiones: primam, vt vstio non fiat profunda: secundam, vt non fiat nisi cutis primum sit apprehensa & eleuata, eaque pauca: tertiam, vt pars vrenda non admodum distendatur, sed laxa permaneat. Brachium igitur, inquit, non est valde attollendum; nam si fortiter, inquit, ipsum extenderis, extensi & nerui erunt; sin parum, multum, inquit, cutis apprehendere poteris, nerui verò subtus latebunt extra partem apprehensam. Ex his colligitur, quòd cum à subiectis vasis periculum est, cutis & caro debeant prius ab illis quasi abduci & eleuari; quod fieri potest non vno modo: vel enim potest pars cum aqua calida fomentari, vel mediocriter fricari, vel leni cucurbitula trahente tegi: nam his modis caro intumescit & eleuatur: melius est primum fouere, tum adhuc cucurbitulam admouere; vel potest cutis cum subiecta

carne solis digitis vel alio instrumento aut tenacula aliqua sursum abduci. Aetius tetrab. 2. ser. 4. cap. 5. vrens iuxta medium commissuræ clauicularum, ne, inquit, aspera arteria tangatur, & Paulus lib. 8. c. 53. ibidem iuxta arterias soporarias vrens, ne inquit, tangantur, necessum est admotis primum manibus & attracta cute vstionem adhibere. Cælius Aurelianus lib. 5. c. 1. dicit solere antiquos anchistris partẽ distendere, vbi à subiectis vasis periculum esset. Secundũ quod monetur, est, vt vstio nõ profundetur; vnde Aetius tetrab. 2. ser. 4. c. 57. vrens in collo iuxta arterias carotidas, ne eas tãgat, dicit paruam & superficiariam vstionem esse faciendam. Hoc vt melius caueatur, præstat potentialibus vti, quorũ actio potest præuideri & regi, quàm actualibus, quæ celeritate suæ operationis noxam intulerunt, priusquam aduertere queas. Tertium est vt laxa pars habeatur. Nam etsi primò ante vstionem pars tendi debeat, quò sic melius neruorum subiacentium locus percipiatur, cum tamen vstio iam est facienda, pars est iterum relaxanda.

CAP. XXIII. *Quomodo caput sit vrendum.*

CVm caput incendi debet, primò cogitandũ est, cui loco & futurę cranij ignẽ velimus admouere, demum artificio ea (cum

(cum cute carneq; tecta sit) est inuestigãda. Si in cõcauitate occipitij vrere volumus, nõ paruum periculum est, si locus nõ rectè inueniatur: alij inter primam & secundam, alij inter secundam & tertiam vertebras vrunt. Verum distinctione opus est; nam si vtilitatem spectemus, locus sub osse petroso proximè eligendus est. Sic Aetius lib. 6. c. 28. illic cauterium ponit, vbi spinalis medulla incipit; Celsus lib. 3. c. 24. qua summa, inquit, vertebra cum capite committitur: quo enim propinquius capiti ponitur, eò euacuando & trahendo plus prodest. Sin spectemus facilitatem & commoditatem, conueni-entior erit intrà secundam & tertiam vertebras: eò quod ibi commodius tegantur fasciæ & etiam ligentur: præterquam quod etiam ob distantiam à cerebro minus periculi est, vt illi intemperies communicetur. Si alio loco vrere velimus, curandum vt apud aliquam futuram vstio fiat; alioqui non est profutura propter imperuiam alibi ossis eius spissitudinem. Cùm cauterium in coronali est ponendum; locus est, vbi futura coronalis sagittalem secat. Situs istius inueniendi rationem docet Auicẽna fen. 1. 3. tr. 1. c. 29. Mensurando enim, inquit, ab extremitate nasi, vbi peruenit index & annularis, vrendum: aut vbi, inquit, peruenit medietas fili, cuius longitudo est ab aure ad aurem. Verùm clarius Albucasis lib. 1. c. 2. pone, in-

quit, radicem palmi tui ſuper radicem naſi illius inter oculos, & vbi peruenerit digitus medius, ibi eſt vrendum. Sed differt Albucaſis ab Auicenna: nam ipſe digitum medium menſorem facit, hic verò indicem aut annularem. Sunt qui multo aliter doceant, ponendam eſſe radicem manus ſuper pinnaculum naſi, & vbi peruenerit digitus medius, eum eſſe locum. Alius (qui, ni fallor, eſt Iſaac) dicit ibi locũ eſſe, vbi pulſat caput puerorũ. Verùm illud ſignum obſcurum eſt, cùm iſte pulſus in adultis non amplius percipiatur. Forſan diſſenſio inter Albucaſim & Auicennam eſt, quòd is ſupra ipſam futuram cauterium fieri velit; alter, paulò infra; cerebri mẽbranas ac fibras metuens. Alium modum inſinuat Celſus lib. 7. c. 7. Quidam, inquit, atramento duas lineas duxerunt à media aure vſque ad alteram mediam aurem, deinde à naribus ad verticem; tum vbi lineæ committebantur, ſcalpello inciderunt, & poſt ſanguine effuſo ibidem aduſſerunt. Verùm menſura certa erit, ſi æger radicem palmi proprij ponat ſuper radicem naſi, inter duos oculos: nam vbi peruenerit digitus medius, ibi eſt futura: quæ menſura correſpondet medietati fili, quod extenditur ab vna aure vſque ad alteram. Situs futurarum ſquamoſarum ſic inuenitur: æger tres digitos tranſuerſos ponat ſuper locum, vbi auris capiti coniungitur, & extremitas tertij digiti

giti ſuturam oſtendet. Sed quæſtio eſt an ſupra ipſas ſuturas, an verò prope eas vſtio ſit facienda. Trallianus vult vt nunquam ſupra ipſas ſuturas fiat, ſed ſemper vel infrà paululum, vel ſuprà; eò quòd ſicut ex ſuturarum vulnere, ita & vſtione maximum ſit periculum; Sed quodnam? certè triplex eſſe videtur: nam primò, ſi per vſtionem ſuturæ denudentur, externi aëris frigiditas toto tempore permanentis vlceris in cerebrum penetrabit, ex quo ipſum intemperiem contrahet: ſecundò, ſi ſuper ſolidum os fiat (quia illud imperuium eſt) non communicatur empyreuma cerebro; maximè autem, ſi ſuper ſuturam; propter manifeſtos earum poros: ex quo periculum eſt ne cerebrum inflammetur, ſpiritus ebulliãt, inſignis dolor ac phrenitis ſequatur. Denique propter neruea filamẽta, quæ ab ipſa dura matre orta tranſeunt per ſuturas, periculum eſt, ne tactu ſuturarum ſummus dolor aut conuulſio oboriatur. Verùm plus vtilitatis quàm damni promanabit, ſi ſuper ſuturam cauterium ponatur: nam, ſi non ſuper eam, non poterunt humores aut vapores morbifici per ipſum euacuari: pericula verò illa nõ ſunt magni momenti, quia vel vitari, vel corrigi facilè poſſunt: & cum vſtio parua ſit, & exiguum ſuturæ ſpatium comprehendens, nullum conuulſionis periculum minatur. Hæc de loco. De termino vſtionis maior eſt difficultas.

Videtur autem caput nec multum, nec diu, nec profundè esse vrẽdum : est enim pars valde nobilis : tales autem dictum supra est nõ esse profundè vrendas ; quia cum ipsæ intẽperiem contrahant, noxas habent nimis periculosas. Docuit hoc Auicenna lib. 1. fen. 4. c. 29. Etenim quærens terminum vstionis cum propter carnem corruptam cauterizatio fit, dicit quòd in alia parte licet fortiter vrere, etiam ad ipsum os vrendo, cum diuturna fortique impressione : verum cum propter eam causam super cranium cauterizatio fit, subtiliter, inquit, operare ; vt cerebrum nõ ebulliat, nec panniculi eius corrugentur. Nam cum spiritus cerebri rarissimi sint & ignei, facile concipiunt feruorem, & inflammantur ac agitantur, & febres, deliria, phrenitides, ac dolores inuehunt ; vt à capitis à sole exustione sæpissimè fieri, experientia docet. Sed nonnulli cõtrà planè, largam satis & diuturnam ac profundam vstionem pati posse caput existimant : tum quia cerebrum frigidum est & humidum, vnde minus à calore læditur : tum quia valde remotum est à vi ignis ; partim propter cranij duritiem & soliditatem ; partim propter distantiam quam facit meditatio vtriusque mẽbranæ, & inane spatiũ, quod inter eas, cerebrum & cranium continetur ; tum quia etiam non videmus propter fibrarum in futuris existentium attactum tam facile conuulsionem euenire.

Qua-

Quapropter notandum, tum in cauterio coronali, tum in alijs quæ & ad futuras ſquamoſas & ſagittalem ac lambdoidem fiunt, magnam eſſe in magnitudine, & termino vſtionis apud antiquos varietatem. Alij cutem tantum & carnem leuiter inurunt, non pertingendo vſque ad os; quod & actuali & potentiali cauterio efficiunt, hunc in modum. Primò, inquit Aretæus lib. 1. curat. diutur. c. 2. raſis capillis, ſi potentiale inducendum eſt, caro fortiter eſt fricanda, imò etiam cutis, quæ ibi durior eſt, abradenda: tum ruptorium ſuperponendum: ſi actuale, leuiter adigendum eſt, vt ad os non pertingat. Albucaſis lib. 1. c. 2, Aetius 6. c. 50, Alyab. 9. pract. c. 69. dixerunt debere eſſe oliuare. Moderata iſta vſtio, vt minùs periculi habet minuſque caput alterat, ita quoque minùs habet emolumẽti. Nam cum vlceris profunditas non perueniat vſque ad ipſam ſuturam, adhuc dura caro capitis & membrana pericranion (quæ duriſſima eſt) intermediæ, impediũt quòminus quod è capite educere volumus, poſſit per ipſum penetrare. Ideò, vtilitatem vix habet pro internis affectibus capitis, ſed tantum externis, & pro humoribus extra cranium exiſtentibus; vt quod per externas venas fertur, illac euacuetur. Hoc abſque dubio aduertentes nonnulli aliam profundiorem fecerunt vſtionem, qua vſque ad os pertingerent, per totam capitis carnem vrendo;

putan-

putantes cum vapori aut humori per futuras egredienti nullum amplius erit obſtaculum, facilem eorum fore per vulnus expirationem, & interim cùm ipſum os non vratur, nullam capiti inductam iri intemperiem aut læſionem. Talis autem vſtio ferro tantum perficitur. Sic Albucaſis lib. 1. c. 2. docens ponere cauterium in futura coronali; vrendum, inquit, donec detegatur os quantitate fabæ, & ſi nõ ſic appareat, itera, inquit, vſtionem. Cruſtâ verò lapsâ pericranium quoque ab oſſe auferendum eſt, & vt dolor in poſterum vitetur, & vt perſpiratio tanto liberior euadat. Sed obſtat tunc adhuc ipſius cranij ſpiſſitudo, quæ videtur humoris vaporiſque euacuationem valde impedire. Propterea alij volentes adhuc maiorem vtilitatem cauterio conſequi, ipſum etiam cranij os aduſſerunt, vt ipſum ſic tenuius redditum, facilius iter trãſeuntibus vaporibus concederet. Huius vſtionis duplex modus eſt: primus, vt cutis capitis aduſque os nouacula per modum crucis prius incidatur, poſteà os ipſum extenuetur: illius meminit Razes lib. de cauter. & Aretæus lib. 1. curat. diutur. c. 2: alter eſt, vt cutis integra cauterio vratur, tam profunda vſtione, vt etiam os aduratur. Horum ille cum minus fortem & diuturnam habeat vſtionem, & minus dolorificus ſit, minus periculum habet inflammandi cerebri: hic verò periculoſior eſt & crudelior.

Rectè

Rectè id dixit Celsus lib.7.c.7.his verbis. Quidam, inquit, verticem scalpello inciderunt & post sanguine fuso os ibidem adusserunt,& subiungit:efficacior etiamnum & Aſrorum curatio qui verticē vsq; ad os adurunt, sic vt squamam remittat. Porrò ossis vrēdi non idem iam omnibus terminus : alij magis,alij minus os ipsum extenuāt. Æginetа lib.6.c.2.de eo scribens,inquit, quòd aliqui cauterizant etiam os tamdiu tenendo, donec aliquid aduratur spissitudinis ossis,tum raditur, inquit, post illud quod adustum est de osse:alij,inquit,volunt adurendum os donec squamę excutiantur,& putant,inquit, quod ex hoc loco expirent vapores capitis. Aretęus lib.1.curat.diuturn.c.2.nonnulli,inquit, super frontem, vbi sutura est quæ corona dicitur,cutim osse tenus inciderunt, illud aut exterentes aut excidentes vsque ad meditullium quod diploë nominatur:& c.3.opus est,inquit, etiam ignem capiti inferre & os vsque ad secundam laminam perforare. Isaac 9.pract.c.76.dicit, quòd antiqui pro destillatione vrebant caput vsque ad os, & tunc os circumuoluēdo radebant,& si humiditas fuerit multa,necesse,inquit, est,vt ossa incidātur, donec cadat eschara ex osse, vt humiditas capitis per illa loca sic dissoluta purgetur. Adferam & Albucasim & Halyabbatem ad huius tam magni remedij certiorem clarioremque doctrinam. Ille lib.1.c.2.

scribit

Scribit quòd aliqui cauterizant etiam os, tamdiu tenendo, dònec aliquid aduratur ſpiſſitudinis oſſis: deinde radatur, inquit, poſt illud quod aduſtum eſt de oſſe: alij, inquit, volunt adurendum os donec ſquamæ excutiantur & putant, inquit, quod ex hoc loco expirent vapores capitis. Alyabbas 9. pract. c. 69. ita inquit: cum cruſta ceciderit, os ipſum elimabis; ſin verò magnus fuerit decurſus humorũ, os ipſum vrendũ, donec pars tenuis cadat. Ex quibus omnibus locis patet, quòd os ipſum iam detectũ, vel ferramento aliquo rotũdo limabatur aut radebatur; vel vrebatur leuiter, & tũ iterũ radebatur; vel ſine raſione ita vrebatur, vt ſquamulas aliquas deponeret & nõnihil attenuaretur; vel eouſque, donec medietas craſſitudinis ipſius deponeretur. Hãc oſſis fortem vſtionem vſque ad ſquamarum caſum olim vſitatam fuiſſe, diſcere etiam licet ex aliorum ſcriptis. Celſus lib. 7. c. 7, Albucaſis lib. 1. c. 48. in lepra, Ægineta quoque lib. 6. c. 2. in elepſantiaſi, eius mentionem fecerunt. Cælius Aurelianus lib. 1. chron. c. 4. Scribit quod Themiſon tali vteretur vſtura capitis, vt teſta ſquamulis deſpumaretur & Archigenes apud Aetium lib. 6. c. 50. ad hemicraniæ & cephalææ curationem docet os capitis inurendum, donec ſquamulæ abſcedant. Hac ratione non tantum futuram coronalem, ſed & omnes capitis partes, quibus cauteria apponebantur,

tur, vri ſolitas; in occipitio, vertice ſyncipite, iuxta oſſa ſquamoſa &c. diſcere licet ex Ægineta loco prȩcitato. Hodie exoleuit omnis iſtiuſmodi vrendi ratio, ſed cum cauteria capiti apponuntur; aut tantum ſuperficiaria, quæ cutim totam penetrent; aut ad ſummum vſque ad os ipſum cranij excluſiuè (ablato tamen pericranio, ne dolor deinceps contingat) fieri aſſolent. Sed quænam interitus huius remedij cauſa eſt? an quod hodie homines effœminatiores, qui nō admittant; aut magis blandi & timidi medici, qui non vrgeant? an verò quod periculi plenū? Equidem cum in futuris pro internis affectibus cauterium ponendum eſt, iudico ego non in ſuperficiem tantum, ſed vſque ad ipſum os infigendum eſſe, quò poſſit craſſiſſima illa membrana pericranion dicta auferri: quod niſi fieret, crediderim non multò plus per cauteriū, quàm per ipſam cutem integram humorum euacuatum iri: propterea quòd ipſa plus quam & cutis & caro tota cranio ſuperpoſita ſua denſitate euacuationem omnem impediat. Hanc ſibi & familiarem & vtilem inuentam & minus periculoſam vſtionem Albucaſis lib. 1. c. 2. affirmat. Quæ cum oſſis fit deſquamatione, ea abſque dubio periculoſa eſt, propter moram quam cauterium trahere ſuper cranium debet, antequam ſic ab igne poſſit attenuari. Albucaſis loco prædicto & Razes libel. de Cauter. & Aretæus

tæus lib. 1. chron. c. 2. & 3. iudicant ab ea esse abstinendum, potiusque suadent remedio carendum quàm periculosè curandum. Nihilominus tamen, vbi magna necessitas est, & in rusticis corporibus ac validis capitibus, & vbi, (vt inquit Isaac) maior est materiæ euacuandæ abundantia, putant etiam esse adhibendam: & ideò cap. 48. in lepræ curatione, Albucasis non ex antiquorum, vt ante; sed absolutè & ex propria sententia eam iniungit. Celsus, Ægineta, Aetius, Isaac, cum de hoc cauterizandi modo loquuntur, non ex sua, sed ex aliorum sententia loquuntur, nec eum vsurpandum monent, sed dicunt eo antiquos vsos fuisse: quò ipso sese remedij magnitudinem suspectam habuisse satis insinuant: quanquam cum ipsius mentionem faciunt, nec tamen reprobant, sed inter sua remedia (etsi ex antiquorum scriptis deprompta) recensent, non videantur omnino eius vsum contempsisse. Ego si in eum tantum finem vstio illa fiat vt os attenuetur, vt sic melius humores transpirent; fere inutilem adeoque ob periculum nullo modo adhibendam esse iudico. Nam cum æquè medietas ossis ac totum os solida & pororum expers sit, assero non multò plus humoris aut vaporis per os medium, quàm per integrum expiraturum. Quod si verò fiat, vt sic subtiliatum os postea trepanetur, vt sic corruptis & contabefactis fibris ipsum à subiecta membra-

brana melius diuellatur(vt Aretæus lib.1.chroniõn c.3. docuit) tunc ossis vstionem non inutilem iudicârim.

CAP. XXIIII. *Quomodo capitis venæ & arteriæ vrantur.*

EST etiam alia vstio in capite fieri solita ab antiquis laudata & in familiari vsu habita, qua nimirum venę & arteriæ quę in vertice, in temporibus, & post aures sunt, diuidebantur, vt humorum fluxus per eas ferri impediretur. De hac ergo oportet tractationem instituere, & quid antiqui circa modum vtendi ea docuerint, explanare. Atque imprimis videndum est, quid sit hoc quod vrere solebant, venæne an arteriæ, an vtræque, & quæ, vbique positæ. Equidem arterias vri solitas esse, ex sequentibus satis fiet manifestum: an verò etiam venæ vrebantur, videndum. Aristoteles sect. 31. prob. 5. dicit quod antiqui pro fluxibus oculorum venas temporum vrebant. Hippocrates 2. de morb. docet venas circa aures inurere. vrendæ autem, inquit, donec pulsare desinant. Sic Auic. in cant. p.4. aphor. 15. venas pulsatiles in dolore capitis docet sequestrandas & scindendas. Venarum quidem nomen hic vsurpant, sed arterias dubio procul intelligunt: quare etsi venas ipsi & Albucasis varijs in locis & Celsus lib.7.c.7. & alij nonnunquã vrendas, & scin-

& scindendas esse velint, videtur quod non venas, sed arterias semper intelligãt, adeoq; quòd solarum arteriarum hæc vstio & amputatio sit: Nam Galenus libro de ratione curãdi per sang. miss. agens de arteriarum post aures amputatione, tradit quòd antiqui arterias solebant venas appellare. Verùm non tantum arterias, sed etiam venas vri solitas ex eo manifestum est, quòd (vt infra dicemus) qui modum huius præsidij ineundi scripserunt, in latitudine duorum aut trium digitorum vsque ad os vrendum docuerunt: in qua latitudine dubium non est, quin venas multas (quæ plerumque arterijs comites sunt) vri contingat. Verùm non hoc adhuc quæritur an vrantur, quod per accidens fieri posse (vti iam dixi) dubium non est, sed an exintento vrantur, & an sic vrantur, vt peculiariter ab earum vstione, sicut ab arteriarum, alicuius morbo sanatio expectetur. Dico itaque quòd etiam ex intento vruntur: nam Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 5. c. 3. iubet venam quietam sic diuidi & cauterizari, ne vapores in caput ascendant, &c. Albuc. lib. 1. c. 13. in descensu humoris ad oculum, loquens de vstione temporum: & abscinde, inquit, omnes arterias & venas quæ sunt subcute. Ratione id quoque comprobatur. Nam cum hoc remedium sit pro euaporatione vaporum & descensu humorum impediendis, quorum vtrumque potest tam per venas quàm arterias

terias fieri, æquum est, vt, propter rationis paritatem, vtrique parti hoc remedium æquè conueniat. Iam videndum quænam arteriæ sic vri solitæ sint. Docet id Aretæus libro 1. curat. diutur. Nam iubens pro cura cephalææ arterias secare, subiungit: duplices autem sunt arteriæ » quæ sic secantur, aliæ post aures paulò vlterius, » aliæ prorsum versus sitæ sunt auribus proximæ. » Id etiam Aetius testatur lib. 6. c. 50. cùm dicit: arteriæ circa aures incidendæ & præcipuè in temporibus: & Auicenna dicit incidendas esse arterias temporum & aurium, & Ægineta lib. 6, Alyabbas 9. pract. Albuc. 2. chyrurg. varijs capitibus, & Isaac in Pantechne part. 2. lib. 9. arteriarum, & aurium & temporum sectionem faciendam docuerunt. Ex quibus locis facile colligi potest, quòd cum Hippocrates 2. de morb. c. 16. quatuor cauteria παρὰ ὦτα super arterias facienda inunxit, intellexerit non venas post aures tantùm, sed venas circa aures; id est, venas temporum & venas post aures vtrinque esse inurendas: alioqui non quatuor, sed duo tantum cauteria facere præcepisset. Præter has, aliæ quoque venæ & arteriæ in vertice præscindi solebant. Scribit Herodotus lib. 4. suæ historiæ, quòd Lybij pueris suis quadrimis verticis venas inurebant, tum etiam temporum: ne vnquam pituitæ defluxu offenderentur. Paulus Ægineta lib. 6. c. 6. & 7. docet pro defluxu humorum in

oculos, frontem & ſynciput tribus pluribúſve lineis duos aut tres digitos longis vſque ad oss incidere, & ſubiectas omnes arterias venasque per caluariam decurrentes præſcindere, & labra vulneris licinijs ſeparare, ne coaleſcant; ad fluentium humorum iter occludendum: quod remedij genus hypoſpatiſmon & periſchytiſmom appellauit. Idem docuerunt Albucaſis, Halyabbas in libris Chyrurgiæ, ex Ægineta (vt opinor) tranſcribentes: Celſus quoq; lib. 7. c. 7. & Hippocrates lib. de loc. in homine c. 23. in capitis doloribus oculorumque defluxibus huiuss præſidij meminerunt. Adeò vt & quæ per verticem, & quæ per tempora & poſt aures decurrunt, venas arteriaſque omnes & ſcindere & vrere veteribus fuerit vſitatum. At cum per ſingulas haſce partes non vnica vena & arteria, ſed præter magnas & aliæ minores & maiorum ramuli decurrant, ſcitu opus eſt, nunquid omness quæ per ſingula loca decurrunt, & ab vtroque latere, & quæ retrò & ante aures ſunt, præſcindere fas aut mos fuerit, an verò vnam tantum & in vno loco tantum, & ab vno latere tantum: vt cum arteriæ poſt aures ſecandæ ſunt, an tantum ad vnam aurem id agendum ſit, an ad vtramque; & ſimiliter cum tempora veniunt ſecanda. Dico itaque primò nonnunquam ab vno latere id faciendum, nonnunquam ab vtroque. Antiqui vtrumque latus ſæpiſſimè vſſerunt. Hippocrates

crates 2. de morb. c. 16. docet vtrinque simul tempora inurere. Auicenna 1. fen. lib. 3. tr. 1. c. 33. in dolore capitis à stomacho : duo, inquit, cauteria super duo tempora sunt ponenda. Sed & plerumque cum authores hoc remedio vtuntur, in plurali numero loquuntur, venas in temporibus & post aures, non in vno temporum aut aurium esse incidendas : quod si vnum tantum latus vri vellent, illud vtique determinarent. Verùm Albucasis lib. 1. c. 13. sic distinguit : in descensu, inquit, humorum ad oculum cauteriza duobus cauterijs super duo tempora, si est descensus à duobus lateribus ; aut ex latere vno, si est descēsus aquæ in oculum vnum. Quapropter vt sciatur an vtrinque vstio facienda sit, an verò ex vno latere tantum, notandæ duæ regulæ : prima est, si pars affecta seu recipiēs ipsius fluxionis sit in vno latere, in illo tātum, quod nempe est affecti membri, vstionem esse faciendam ; vt in proposito casu Albucasis docuit : sin vtrique lateri fluxio incumbit, in vtroque : sic quoque cephalæa, vtriusque lateris ; hemicrania, dolentis tātum exposcit vstionem. Secunda est : si pars mandans certò cognita sit, & sit ab vno latere, illius tantum lateris venas & arterias esse incidendas : sin incognita sit, aut talis quæ ad latera est indifferens, & à qua in omne latus vapores ferri possunt, vt hepar ; vtrinque esse amputandas. Dico secundò, quòd

cum sic in aliquo loco venæ sunt secandæ, plerumque omnes sunt secandæ. Ratio est, quia non scitur an per hanc, an per illam magis fluxus fiant: vnde si omnes secentur, nequit contingere error. Et ideò qui modum huius sectionis docuerunt, præceperunt lineam sectionis post aures ineundæ, duos, imò (cum arteriæ situs tactu bene dignosci nequit) tres digitos longam facere; vt sic subiectæ venæ & arteriæ ad vnam omnes dissecentur. Si vero per vnam aliquam venam aut arteriam tantùm fluxio ferri videatur; illa, vel sola, vel maximè tamen, est secanda. Id autem & rubor & calor & tumor & pulsatio arteriæ ostendent. Ideò Auicen. & Mes. cap. de opthal. hanc sectionem præcipientes, iubent vt arteria quæ magis pulsans est & maior ac calidior, secetur. Ita quoque Aretæus lib. 1. diut. c. 2. arterias temporum inurens: maiores, inquit, ossibus vicinæ secentur: hæ namque, inquit, maiorem vtilitatem adferunt: adiacent, inquit, & aliæ singulis auribus oppidò tenues, quas incidere prorsus inutile est. Dico tertiò, quòd sæpissime in pluribus simul locis secantur; idque cum non satis constat per cuius loci vasa fluxio feratur. Ita Hippocrates lib. de loc. in hom. c. 23. & supra caput venas præscindit magnis futuris & tempora inurit, & lib. 2. de morb. c. 16. circum aures quatuor crusta, nimirum arterijs & ante & post

post aures inducit. Aretæus lib. 1. curat. diutur. c. 2. in cephalæa & c. 3. in morbo comitiali, arterias post aures & temporum simul dicit esse præscindendas. Celsus lib. 7. c. 7, Albuc. lib. 1. c. 13. & temporum & verticis venas simul pro defluxibus oculorum dixerunt incidendas. Sed necdum liquet an aperiri ferro prædicta vasa, an igne constringi tantum & coarctari, an verò præscindi & amputari debeant. Pro cuius intellectione notãdum est, cum veteres de vstione & sectione eiusmodi vasorum loquuntur, distinguendum esse triplicem modum. Primus est, quòd aliquando soleant ea superficietenus tantum vrere, sine eorum amputatione aut vlla læsione; solùm ad inducendam super ea aliqualem constrictionem, vt non ita hient: quò humores non ita liberè & confertim valeant per ea fluctuare. Hoc modo vtitur Hippocrates in lib. de loc. in hom. c. 33. Nam ibi in defluxu à capite iubet iuxta venas in collo crustas inuri, non vt vena vratur, dissecetur & occludatur in totum, sed vt mediante cicatrice proximæ & superpositæ carni inducta, strictior fiat ac nonnihil in arctum compingatur. Auicenna 1. fen. lib. 3. tr. 1. c. 33. in dolore capitis per consensum, vbi vapores & flatus sursum feruntur: tunc, inquit, duo cauteria super duo tempora sunt vrenda; ita vt non aduratur caput, sed fiat, inquit, strictio super duas arterias. Videtur autem ibi

velle non ipsas arterias vrendas, sed, non aliter, ac iam ante Hippocrates, desuper cicatrice tantum esse stringendas. Patet hoc ex ijs verbis, quæ sequuntur; nam subiungit, inquiens: & arteriæ quidem multoties extrahuntur aut inciduntur & cauterizantur. Quibus verbis significat præsectionem ab illa prima vstione à se proposita esse diuersam. Secundus modus est, quòd illa vasa interdum sic solent scindere, non vt præsecentur, sed tantum aperiantur; eo modo quo solemus venas aperire ad sanguinis euacuationem. Etenim sicut præter communes brachiorum & crurum venas multæ aliæ solent incidi, non ad clausionem aut obturationem, sed ad sanguinis ex eis euacuationem; vt venæ iugulares, sub lingua, frontis, nasi, oculorum: ita etiam arteriæ multæ scindi solent, non ea intentione, vt diuidantur à se & occludantur media cicatrice & carne, vt sanguinis per eas commeatus intercipiatur; sed tantum instar aliarum venarum phlebotomo aperiantur, ad arterioſi sanguinis, calidi nimis aut superuacanei, euacuationem & diminutionem: quæ arteriotomia vocatur, estque ab illo modo quo arteriæ amputantur, multum diuersa. Quapropter arteriæ quæ post aures & in temporibus sunt, solent aliquando aperiri, sicut aliæ venæ, ad euacuationẽ; aliquando præscindi ad totalẽ occlusionẽ: illic sectio per se petitur, tanquam remedium

dium aperiens; hic per accidens; tanquã occludẽs: quatenus post sciſſionẽ aut vſtionẽ cicatrix media inter diuiſas partes generatur: illic expetitur ſanguinis arterioſi abũdantis à parte euacuatio; hic interceptio humoris alicuius per dicta vaſa fluẽtis: vnde illa ſectio, euacuatorij; hęc interceptorij præſidij habet rationẽ. Vtramque illam arteriarum ſectionem fieri ſolitam, & inter ſe mutuò diſſidere ex Galeno diſcere licet. Nam 4. de compoſ. med. ſec. loc. loquens de ſectione illarum arteriarum, ſolùm ſimplicem illam intelligit apertionem. Vtimur etiam, inquit, ſectionibus arteriarum, interdum quidem incidentes eas quæ retrò caput iuxta aures exporrectæ ſunt, interdum eas quæ temporibus inſunt: idque vt medeamur diſpoſitioni quæ in tunicis oculorum gignitur, ob quam etiam optimus ſanguis ad tunicas oculorum delatus corrumpitur. Ita quoque 6. de ſanit. tuend. hanc tantum cum phlebotomo apertionem intelligit, cùm inquit: ſunt capita quę propter arteriarum temperamentum in vertigines & capitis dolores incidunt, in quibus etiam incidere arterias ſolemus, & de ea latè docet libro de ſang. miſſione in fine. Nam cum de ſectione venarum cum phlebotomo egiſſet, ſic inquit: ſicut alias venas ob alias affectas partes oſtendimus eſſe ſecandas, ſic quoque quæ in temporibus arteriæ ſunt & poſt aures, medicis incidere mos

» est: in temporibus quidem infestantibus ocu-
» los fluxionibus, tum calidis tum flatuosis; post
» aures verò in vertiginosis maximè & ijs qui diu-
» turnis doloribus capitis ac flatuosis infestantur.
» Iam verò & ob alios quoque affectus in capite
» existentes diutinos sunt qui arteriarum post au-
» res vtuntur sectione: non tamẽ in alia vlla par-
» ticula affecta eam adhibuerunt, tametsi multæ
» sint, quibus hoc potius auxilio, quàm venæ se-
» ctione est opus. Vbi enim calidus flatuosusque
» infestat sanguis in arterijs aceruatus, ibi cõmu-
» nibus parti affectæ arterijs est opus: sed ob pe-
» riculum medici ægrè secant. Subiungit verò e-
tiam Galenus, quòd & in alijs partibus sic ar-
teriæ soleant secari, quodque ipse somnio mo-
nitus arteriam in manu secuerit, fusaque arte-
riosi sanguinis libra à lateris dolore sit sanatus,
& quòd minister Dei Pergami eadem ratione
ab eodem affectu fuerit curatus: qua experien-
tia doctum se esse dicit in omnibus doloribus,
præcipuè membranarũ à calida & flatuosa sub-
stantia ortis, arterias in summis artubus, & in
capite aperire. Ex quibus satis manifestum est
hanc arteriarum sectionem sola apertione &
exigui per phlebotomum vulneris inflictione
perfici. Nam etsi etiã loco citato (si periculum
sit ab aneurysmate, seu nimio sanguinis ab a-
perta arteria profluuio) doceat tunc venas li-
gari, eximi, & præscindi; non ignorandum ta-

men

men est, quin adhuc ista operatio ab illa, de qua hoc loco agimus, venarũ & arteriarum sectione sit diuersa. Nam etsi cum propter simplicẽ sanguinis euacuationem arteria est aperta, contingat facile vt inextinguibile (propter cõtinuum arterię motum) sanguinis profluuium sequatur, ad quod compescendum arteria debet ligari & præscindi ac vri (sicut ipse quoque 5. meth. c. 3. docuit) tamen ista præfectio aut vstio arteriæ non est in eum finem in quem hæc, sed est per-accidens, & propter necessitatem symptomatis euenientis; neque per se est expetita, neque adhibetur, vt destillationem & fluxionem, quæ per arterias fertur, sistat; sed tantùm vt sanguinem per accidens nimis effluẽtem includat: neque est ad primi morbi à nobis in prima apertione intenti, diuturni nempe alicuius doloris curationem; sed tantùm ad symptomatis quod peraccidens à remedio, quod primo illi morbo parabatur, subsecutum est, ablationem. Verùm alia est scissio ac vstio, de qua hoc loco agimus, qua vtimur, non primò & per se ad sanguinis euacuationem, sed ad interceptionem alicuius fluxionis, & totalem occlusionem arteriæ seu venæ: neque cùm phlebotomo fit, sed cum scindente nouacula aut ferro vrente; & fit per ipsorum vasorum transuersam diuisionem, dissectionem & amputationem, per quam fit vt vena à seipsa discontinuetur, & diuidatur in

partes

partes numero differentes. Quapropter hic est tertius modus venas hasce & arterias capitis scindendi, vel vrendi, quo per se vsi veteres sunt ad capitis affectus curandos, & fluxiones, quæ per eas fiunt, diuturnas & alioqui insanabiles, sistendas; quique expetitur, non ad sanguinem sistendum (quanquam per accidens etiam sistat) sed tanquam remedium intercipiens, quatenus à seipsis disgregans partes arteriarum, facit vt inter eas caro & cicatrix media crescat, quæ orificia vasorum obstruens omnes deinceps vaporum ac humorum per eas commeatum prohibeat. De hoc remedio loquitur Galenus 13. meth. c. 20, cum de diuturnis oculorum doloribus ab acri fluxione & calore causatis agens, dicit, quòd eorum causa aliquando est ipsorum vasorum vitium, cum venæ & arteriæ imbecilliores sunt, sic vt aliorum vasorum superuacua recipiant: quo casu, inquit, aliqua earum parte excisa, aut etiam totis bene altè præsicis, sic etiam vt earum particula auferatur, dura cicatrice, quod interest, intercipimus; quò disiunctæ incisi vasis partes continuæ præterea non sint, nec ex altera in alteram confluere aliquid possit. Latius quoque Galenus subiungit quomodo cum calidus sanguis, ac vaporum plenus ad caput ascendit, maximeque in arterijs redundat, arteriæ capitis vel simpliciter vel primum apprehensæ & vtrinque ligatæ debeant præscin-

præscindi: Hoc quoque docuerat Hippocrates libro 2. de morb. venæ, inquit, circa aures vrendæ sunt donec pulsare desinant: ferramentis autem cuneoli forma paratis obliquas venas perurito. Etenim quòd sic vri velit, vt non amplius pulsent: quod cuneoli formam habente, id est, acuto & diuidente ferro: quòd obliquè venas vri velit; ostendit eas omnino esse amputandas: Albucasis de hoc auxilio loquens: & abscinde, inquit, omnes venas & arterias, quæ sunt sub cute: Ægineta lib. 6. c. 4. sic agendum, inquit, vt arteriæ transuersim dissecentur: quod etiam lib. 6. c. 6. & 7. in perischytismo & hypospatismo, & Auicenna c. de ophtal. docuerunt. Hinc qui modum vstionis & sectionis horum vasorum docuerunt, iusserunt transuersim ea scindere, & vsque ad os, imò & duobus lateribus, sic vt medium frustũ auferatur. Sed quomodo ergo vstio facienda est? Respondeo, quod non est idem modus plane venas temporum & post aures vrendi: differunt enim in hoc, quòd cum ibi sint arteriæ & venæ maiores, sint & temporum musculi, & cranium subtile & oculi; non licet ibi ita profundam, longam vsque ad os, sine spasmi, sine profluuij sanguinis periculo diuisionem facere, sed arteriæ ibi eximi, ligari vtrinque, tum primum præscindi debent. Post aures verò, quia os durius, nulli musculi, venæ exiguæ, quæque nec ita facilè inueniri & apprehendi

hendi possunt, nec tantum sanguinis profluuium minãtur, ligatione opus non habent; tantum linea in longum ducta omnes venæ & arteriæ transuersim sunt præscindendæ: & ideò Isaac 9. pract. c. 7. dicit, quòd sit difficilior incisio arteriarum tẽporum, quam aliarum. Ægineta lib. 6. c. 4. & 5. & Alyab. 9. pract. cap. 6. & 7, Albucas. 2. chyrurg. c. 2. & 3. docent modum amputãdi vtrasque arterias, & eas quidem post aures abscindunt simpliciter; eas verò quæ in temporibus, eximunt, ligant & tunc præscindunt. Ex ijs verò hæc est amputationis arteriarum post aures ratio. Radendi post aurem pili, tum arteriæ situs digito tentandus & pulsus explorandus, tum super arteriam transuersa linea duos digitos longa cum atramento notanda est. Quod si in conspectum venire nequit: locus arteriæ, linea tres digitos longa esse debet, ab auris, inquit, radice retrorsum versus computanda: tunc per eam sectio siue vstio cum cultellari facienda est, vsque ad os: vt arteriæ omnes & venæ dissecentur. Fit autem vel sectio sola; & tunc sinitur, quantum satis videtur, sanguinis (Albuc. vncias sex designat) effluere; ad humoris morbifici euacuationem; tum aspersis ijs quæ sanguinem sistunt & tandem consolidatiuis appositis vulnus est claudendum: vel post sectionem & sanguinis aliquam manationem labra cum cultellari possunt cauterizari ad sanguinis

guinis fluxum compescendum; maximè si arteriæ maiores sint & fortiter cruentent. Potest & sola vstione vsque ad os facta amputatio fieri: sed tunc nihil sanguinis morbifici effluere potest. Volunt autem prædicti authores vsque ad os diuisionem fieri & ipsum pericranium quoque diuidi; ne, vt inquit Alyabbas, calidum forte illi apostema accidat ob dolorem; aut, vt Isaac, spasmum generet. Si arteria magna sit, vt legi possit, etiam fissa cute arteria eximi, ligari, præscindi vtrinque & pars exscindi & cauterizari poterit; vt in temporum vstione fieri dicemus: sic enim sanguinis periculũ magis euadetur: & hic modus traditus est ab Isaac 9. pract. c. 6. & Sorano Ephesio antiquissimo medico c. 21. cùm dicit, quod in occipitio propter querelas capitis inciditur ipsum vsque ad os mensura quatuor digitorũ ab aure. Modum amputandi arterias temporum tradit Paulus lib. 6. c. 5. Isaac 9. pract. c. 7. Albuc. 2. chyr. c. 3, Alyabb. 9. pract. c. 7, Raz. 9. ad Almans. c. 2. Auic. lib. 3. fen. 3. tr. 1. cap. 9. Mesue cap. de ophtalmia: & in nullo inter se variant, nisi quòd Alyabbas alijs omnibus multò clarius eum explicet. Est autem talis. Abrasis pilis digito arteriæ situm explora; illius, inquit Auic. quæ magis pulsans & calidior est: si nequit, frica & fomentis partem calefacito, & collum stringito & spiritum (vt inquit Celsus lib. 7. c. 7.) retineto: vt sic vena intu-

intumescat: inuentam signa atramento. Tunc minister cutem, quæ super arteriam est, digitis apprehensam eleuet, eam (intellige secundū arteriæ longitudinē vt Mesue c. de ophtalmia testatur) finde, fissam hamulis deduc, & arteriam vndique tenui scalpello denuda à circumpositā carne, vt tota libera sit & ab hamulo suspendatur: tunc, si subtilis sit, eam vtrinque liga, vt ligaturæ tribus à seinuicem digitis distent: tum intra ligaturas ab vtroque latere eam disseca, vt frustulum educas: Sin magna est, filo vtrinque appositō & parato ad constrictionem, intermedio loco arteriam finde, & aperi in longum, & sine sanguinis aliquam partem sic etiam effluere: tūm vtrinque filum stringe, & inter medio loco, quidquid arteriæ est, abscinde, & frustum longitudinis duorum digitorum transuersorum educ, & cura locum cum consolidatiuis. Hæc Alyabbas. Addit autem Albucasis, vt filum sit sericinum & forte, & tale, vt non putrescat ante consolidationem vulneris, ne accidat fluxus sanguinis. Docet autem Auicenna, vt dimittatur ligatura in ipsa arteria, & cum putrescit, licet vt auferatur strictura. Et hæc quidem, inquit, strictura necessaria est in illa arteria, quæ est magna; in parua verò sufficit, vt profundè scarificetur, & currat, quòd in eis est de sanguine. Sicuti quoque Mesue cap. 1. de ophtalmia docuit. Porro nonnulli in similibus arteriarum

abſciſſionibus vtrinque extremitates abſciſſorum iam vaſorum ad maiorē ſecuritatem ferro cauterizant, vti Meſue loco eodem. Sed hæc amputandi ratio eſt per aciem & ſciſſionem. Per ignem verò non ita fieri opus eſt: Ideò Æginеta, cum hunc ſic modum tradidiſſet, alium ſubiungit. Nonnulli etiam, inquit, ferramentis candentibus citra ſectionem vaſa adurunt plagis ſatis altis: & Albucaſis eidem extractionis modo hunc ſubiungit: & ſi vis, inquit, cauteriza „ cum cauterio cultellari vſque ad os, donec in- „ cidatur arteriæ extremitas: & hoc eſt melius, „ inquit, niſi æger habeat febrem; Et iterum ſic ſubiungit: Extractione arteriæ tutius eſt & latu „ facilius, vt cauterizes venam cauterio habente „ duos cultellos, quod venam in duabus partibus „ abſcindat vno lato digito à ſeinuicem diſtan- „ tibus, vt elongetur quod eſt inter extremitates „ eius: nam conſolidatur cum hoc cauterio peni- „ tus. Cum ſectione operatio perficitur, ſcindi cutis, eximi vaſa, ligari debent, antequam præſcindantur; vt ſanguinis fluxus ligatura prohibeatur. At cum cauterio res peragitur, quod ſeipſo ſanguinem ſiſtit; nulla ligatura, exemptione, cutis diuiſione, fruſti ablatione, opus eſt; ſed notato arteriæ loco cum acutis ferramentis pro magnitudine vrendi vaſis ſuper arteriam profunda cauterizatio fieri debet, vt arteria diuidatur, & à ſe mediâ cruſtâ ſeparetur: tum eſcharę

caſus

casus procurandus lentè & sarcoticis vulnus implendum. Si arteria vna est, vna crusta; si plures, totidem sunt inurendæ, vel cum cauterio cultellari prolõgata sectione diuidendę. Quòd si quoque sanguinem effundi volumus, aut à profunda illa vstione terremur; arteria ipsa finditur aut præscinditur ferro, & tum igne vritur. Sic Alyab. 9. pract. c. 70. quidam, inquit, in arterijs temporum eductionis loco cauterio vtuntur, & cum fiderint arterias, cum cauterio subtili adurunt iuxta arteriarum magnitudinem. Audiamus quid de his vstionibus Celsus scripserit: frequens, inquit lib. 7. c. 7, curatio est, venas in temporibus adurere: deliganda ceruix est, ac tenuibus & retusis ferramentis venæ adurendæ, donec pituitæ cursus conquiescat, & vasa excæcentur. Valentior tamen, inquit, medicina est, cum tenues conditæque venę, ideoq; legi nõ possunt. Ceruix tum eodem modo deliganda, spiritus retinendus, & notandæ atramẽto venæ cõtra tempora: Dein venas incidere oportet & sanguinem mittere: vbi satis fluxit, tenuibus ferramentis inurere. Quapropter ex his colligere licet, quintuplicem amputãdarum arteriarum modum: vel, vt tantũ acie ferri præscindantur, & sanguis tum ischæmis sistatur, & vulnus consolidantibus curetur: vel, vt leguntur venæ, ligentur, scindantur tantùm; vel, vt cum sic sciſſæ sunt, extremitatibus suis vrantur:

vel,

vel, vt non legantur, sed prius tantum scindantur, & cum satis sanguinis fluxerit, vrantur: vel, vt sine præuia vlla scissione vrantur tantum. Si magnæ sunt, legi præstat & ligari, ne forte sola vstio non sufficiat, periculo sanguinis fluxuri: si minores, tantum vri: sin etiam sanguinis aliquid velimus euacuari, scalpello aperiri, & tum, cum effluxerit quantum placet, vri præstantius est.

CAP. XXV. *Quomodo abdomen sit vrendum.*

ABdomen omni genere vstionis affici solet, vesicatorijs, setonibus, fonticulis: quia tamē fonticuli profunditatem quandam requirunt, ad quam iste locus est ineptus, ideò minus alijs illi sunt conuenientes. Nam veteres, seu stomachum, seu splenem, seu aliam aliquam eius regionem vrant, peculiariter semper cauendum monent, ne vstiones fiant profundiores: ob quam causam ipsi, vt ex Albucasi, Aetio, Ægineta patet, potius ad illarum partium vstiones setonibus quàm fonticulis vsi sunt. At cui parti periculum erit? Isaac 9. pract. c. 85. pro stomacho præcipiens vstionem, monet vt non profundè vratur, ne, inquit, siphac tangatur; propter metum spasmi à loci neruea natura imminentis. Albucasis lib. 1. c. 29. & alibi, in vstione hepatis monet, ne totum abdo-

men vratur; propterea quod cutis ibi tenuis sit; ne, inquit, vis ad intestina perueniat. Quapropter ille peritonęi, hic intestinorum periculum proponit. Versatur autẽ periculum vtriusque, maximè verò ipsius peritonæi. Si enim ipsum solummodo alteratur, dolor continget ac contractio; si etiam vritur, vt membrana contabescat & foramen edat, præter votum vulnus penetrans erit: vnde & caloris ac spirituum dissipatio & externi frigoris receptio & ab omenti & intestinorum allapsu ramex sequetur. Ideò Hippocrates in viscerum vstionibus crustas fungis tantum inurit, & Albucasis ferro non acuto, sed obtuso & clauili docet eas esse faciendas; & impressionis terminũ, modò cutis totius, modò tertię partis, modò duarum tantum tertiarũ peruasione definit. Verum consyderandum est hanc mensuram pro ægrotantis corporis habitu esse limitandam. Qui in abdomine carnosam membranam, quæ sub cute est, crassam & multo adipe conspersam habent, profundius; qui minus, vt qui graciles & exucci sunt, superficie tenus tantum sunt vrendi. Et hæc quidem de simplici vstione sunt intelligenda. Nam in paracentesi, quæ propter hydropem, aut viscerum vt hepatis, splenis adustionem adhibetur, vsque ad cauitatem internam est penetrandum: de qua infra suo loco dicemus. Omnium commodissimè phœnigmi, quod superficiaria ac plana vl-

cera sint, abdomini inducuntur: quod in stomachi diutu rnis affectibus, colica, alui fluxu, hydrope alijsque illius regionis affectibus, veteribus frequens fuisse supra à nobis dictum est. Vniusculusque partis situm inueniēdi rationem & verum ponendi cauterij locum ex antiquis discere licet. Paulus lib. 6. c. 49, Aurelianus lib. tard. pass. 3. c. 2, Albuc. lib. 1. c. 28, Isaac 9. pract. c. 8. locum assignant pro ventriculo vrendo, qui est sub tenero osse pectoris; vel vt interdum, sub osse enseiformi, quod os xiphoides Græcis appellatur. Cum pro hepate vrendum est, dicit Ægineta lib. 6. c. 47. paulo supra inguen; alius, nescio an Aetius, in hypochondrijs inferius vbi peruenit dexter cubitus hominis, locum esse. Cum pro splene, locus est, vbi peruenit cubitus sinister.

LIBER QVARTVS.

De loco Cauteriorum.

CAP. I. Vnde sumatur indicatio loci, & de loco Cauteriorum in genere.

PRæcipua in doctrina cauteriorum difficultas versatur in loco: propter quod oportet nos in conuenientis ac congrui loci declaratione non paruam operam ponere. Locus indicatur ab affectu & conformatione partis. Sub affectus nomine etiam causa morbifica continetur. Vbi enim morbus est, ibi remedium est applicandum: vbi causa morbifica est, ibi ex se adhibendum remedium, quod eam tollit & euacuat, indicatur. Hinc pro varietate situs morbi & causæ, auxilij quoque locus variatur. Verùm, quia ob mirabilem corporis conformationem non potest semper immediatè ibi auxilium applicari, vbi malum est, sed sæpe in alio loco, à quo tamen vis remedij ad locum quem intendimus, peruenire possit; ideò & à partis quoque situ & conformatione remediorum locus præscribitur seu potius limitatur. Etenim affecto hepate, ab ipso morbi situ indicatur statim super hepar medicamentum adhibendum: sed quia non datur aditus ad hepar, nisi in loco remoto & per os; ideò, sumpta à corporis & partis

partis conformatione & situ, indicatione, per os remedia adhibentur; vt illac longo tramite tandem ad heparqueant peruenire. Veruntamen in remedijs externis, & quidem omnium maximè in cauterijs, ob eorum exiguam extensionem, qua contingit, vt & vnicuique parti adhiberi possint, & ita vni, vt alteram non tangant; magis integrum nobis est rectè super partem affectam remedia applicare: quod in emplastris, fomentis, frictionibus, balneis, vnctionibus, minus tamen quàm in cauterijs exquisitè fieri potest. Itaque affectus est, qui cauterij locum indicat, vt vbi affectus est qui debet curari, aut vbi causa seu humor est qui debet euacuari, ibi ex parte ipsius cauterium superponendum esse indicetur. Verùm quod non ibi semper cauteria poni possint, id merito partis fit, quæ quod morbus indicat, non admittit, sed prohibet. Quapropter tum cauterij locus rectè inuentus est, quando talis est, qui & morbi indicationi satisfaciat, & partis naturæ non repugnet. Non omnis pars vstionem admittit, non omnis ex quocunque loco æquè euacuatur, sed sæpe melius ex remoto quàm ex propinquo: ob maiorem sæpe cum illo quàm cum hoc ductuum & viarum communionem. Itaque, quæ ex parte membri cauteria admittunt vel prohibent, sunt ipsa membri conformatio & natura. Ratione conformationis indicatur eo loco po-

nenda esse cauteria, vnde melius eorum vis ad ipsum membrum perueniat: cum ad alterandum cauterijs vtimur, propinquitas consyderanda est; alterantia enim magis agunt in propinquo quàm à longè: cum ad euacuandum, communio ductuum & venarum, etiamsi locus remotus sit: plus enim in longinquo loco per apertos, quàm in propinquo per cæcos & latentes ductus potest euacuari. ex quo fontanellæ prope magnas venas & secundum earum ductum semper sunt ponendæ. Ratione naturæ præcipuam indicationem habent membri nobilitas, sensibilitas & robur. Partes principes, quantum fieri potest, à cauterijs sunt abstinendæ: ita quoque & quæ principibus vicinæ, & quæ cum eis magnam habent communionem. Cùm enim earum actiones pendeant apuncto temperamenti, facile fieri potest, vt ab ignis actiuitate patiantur & intemperiem induant: earum autem læsiones maximè sunt periculosæ: quare cauendum ne ab igne doleant; ne spiritus, quorum ipsæ fontes sunt, aut efferuescant aut dissipentur, & ne, dum ad cauteria in propinquo posita humores trahuntur, ipsæ totius corporis sordium sentina euadant: & (quod maximi quoque momenti est) ne à venefica potentialium cauteriorum, septicorum, escharoticorum, vi inficiantur; quod in cauterijs quæ iuxta cor (ad quod venena proprietate ferũtur) vnicè est cauendum

uendum. Partes quæ acutum sensum habent non facilè cauterium admittunt, ac præsertim oculi. Etenim valde sensibiles cum sint, nullum nec dolorem nec mordicationem tolerant: & cum sint valde fluxionibus obnoxij; impetu humorum à calore trahente facile obruuntur. Præterea habent essentiam suam in quadam tenui aquositate constitutam, quæ ignis vi facilè exiccaretur, & condensata ad visum necessariò requisitam exueret perspicuitatem. Interim tamen cum necessitas vrget; vt in ægilope, cum fistulosum vlcus est, & os subtus redditur carriosum, vt nullis alijs præsidijs corruptela possit superari; licet etiam (oculis tamen diligenter præmunitis) illic cauterizare. Sunt verò & aliæ partes, quæ etsi nobiles non sint, quia tamen necessarijs inseruiunt actionibus, & sua læsione difficilia pariunt symptomata, à cauterijs immunes sunt habendæ. Tales sunt nerui, arteriæ, venæ, tendines & musculorum capita, quemadmodum Auicenna fen. 4. 1. c. 29. est testatus. Idcò Arist. probl. 34. sect. 1. & Hippocr. lib. de artic. c. 11. ille alas & inguina non vrenda, hic vrenda quidem asserit, sed cum diligenti cautione; ne subiecta vasa & glandulæ lædantur. Galenus 2. de compos. med. sec loc. dicit occiput non facile vrendum, eò quòd ibi sit origo spinalis medullæ & neruorum. De neruis rationem adfert Celsus lib. 7. c. 12. cum in aperiendis

riendis igne apoſtematibus iubet neruoſa loca vitare; ne, inquit, periculũ ſit diſtenſionis & debilitatis: debilitatis; quia cum ſint mẽbra ſenſibilia, imò ipſa tactus inſtrumenta, ad exceſſum qualitatum dolent; dolor autẽ & ſeipſo & fluxũ in partem prouocando debilitat: diſtenſionis; quia cum ſint motus inſtrumenta, & ſubſtantiæ fibroſæ & coriaceę, calore & ſiccitate, ſicut corium ad ignem, corrugantur, & conuulſiones cient. Propterea Galenus 4. meth. articulorum quoque læſiones dixit eſſe difficiles & periculoſas: nam, inquit, vbi tendines & nerui & carne vacua oſſulentaque loca ſunt, doloris, vigiliarum, delirij & conuulſionis periculum inſtat. Ac propterea & meninges & capita muſculorum & tendines omnes, cordæque & quidquid membranaceũ eſt, ab vſtione debet pręſeruari. De venis & arterijs cauſa eſt, ne ſanguinis profluuium inſequatur: quod eo quidem in vſtione & attactu arteriarum difficilius eueniet, quanto arteriæ propter continuum ſuum motum, venis quietis ægrius conſolidantur. Interim exiguæ venæ & nerui, quales infiniti ad cutim veniunt eam contexentes, qui euitari non poſſunt; liberè & ſine periculo vruntur: alioqui nuſquam eſſet ſecurus cauterijs locus. Si verò propter putredinem cauteria adhibentur, quæ etiam, præter carnem, neruos, venas, arteriasque inuadit; audacter, imò neceſſariò, (etiamſi

(etiamsi magna sint) cauterio inurũtur: quin in hunc solum finem alijs remedijs non iuuantibus persæpe cauteria expetuntur. Sic quoque in sanguinis magnis fluxibus in difficilibus per venas & arterias fluxionibus (vbi aliter fieri non potest, & vbi periculum minus est magnitudine mali quod persanare intenditur) dictum est, quomodo etiam arteriæ & venæ, etsi magnæ, cauterizentur. Quapropter occipitium, suturæ capitis, articuli, tempora, spina, & vbicunque prædictorum vasorum exitus est aut aditus, non nisi in euidenti necessitate & de speciali indicatione sunt vrenda. Imprimis autem venæ post aures cauendæ sunt: nam (vt testatur Hipp. lib. de aer. aq. & loc. sterilitatem inferunt. Etenim rationem ibi reddens cur multi Scytharum steriles sint, hanc eius dicit esse causam; quod volentes arthritidem (cui propter prauum equitandi modum obnoxij esse solent) præcauere, venas post aures vrere sint assueti, ex quo eos sterilitatem incurrere contingit. Cùm in collo setones figuntur, cum strumæ illic exuruntur; ab arteria carotide, iugularibus venis & neruo recurrente cauendum est. Aristoteles loco præcitato prohibet alas & inguina igne afficere, eò quòd teneriores illæ partes sint & sensiles, & præditæ insigni vasorum ac tendinum congressu: & ideò Hippocrates alas vrens pro humeri dislocatione, monuit ibi vaso-

rum

rum concursum esse pertimescendum. Sed & cordis & internorum viscerũ emunctoria sunt, & ideò si quæ ijs vis infertur, statim debilitas cordi, hepati, ac reliquis internis visceribus communicatur. Interim tamen, cum necessitas exigit, etiam vruntur, & ea vssere Hippocrates lib. de morbis, Auicenna, Aegineta, Albucasis, Alyabbas, Damascenus, alijque. Cum super abdomen est vrendum, cauendum à peritonæo & intestinis. Ideò Albucas. lib. 1. c. 29, Isaac 9. pract. c. 85. monent ibi non profundè vrendum; ne, vt inquit ille, vis ad intestina; &, vt hic, ad siphac perueniat; propter earum partium neruositatem. Iuxta membra nobilia, super cor, hepar, ventriculum, thoracem, trepidè tantum & non nisi cum magno iudicio est cauterizandum. Liberius tamen capiti quam alteri parti principi hoc remedium adhibetur: & quia frigidum & humidum cum sit, minus ab ignis qualitatibus offenditur; & quia ossis ipsum tegẽtis crassitudo minus patitur eas penetrare. in quo tamen (nisi id vsus exigat) futuras Trallianus monet esse cauendas. Quod ad fontanellas attinet, excitandæ eæ sunt in parte ignobili, & ea quidem adhuc, quæ versus nobiles minimè trahat. Fluxiones enim ad ignobilia loca sunt ducendæ, neque tamen per aut versus membra principalia. Excitandæ etiam ibi sunt, vbi motus membrorum & artuum, præcipuè eorum

quorum

quorum ope quisq; magis ad sua exercitia eget, non impediantur. Videndum tamen ne in parte valde debili ponantur: nam duobus modis magis debilitaretur; primum ipsa cauterij alteratione; tum etiam concitato humorum in eam fluxu: ex quo & tumores & maligna vlcera & caloris natiui extinctio adeoque partis gangræna orerentur; quod à cauterijs nonnunquam contingit. Hinc ijs qui vastum & obæsum corpus habent, putant nonnulli non esse commodum fontanellas cruribus adhibere, propterea quod ipsorum crura debilia fiant tanto superincumbentis corporis onere gestando: adeò vt, si insuper fontanellis afficerentur, nequirent humorum afluxui ferèdo sufficere. Non est autem hic intelligenda ea debilitas, quæ est partium ab humiditate & frigore affectarum (eas enim dictum libro primo à nobis est cauterij calore & siccitate roborari) sed ea, quæ est partium à maligno aliquo vlcere, inflammatione, humorum afluxu, nimio exercitio, aut calida aliqua siccaque intemperie vexatarum.

CAP. II. *De loco fonticuli, setonis, phœnigmi in particulari.*

PRæcedenti capite dictum est, quomodo pars prohibeat vel admittat cauterium in genere: nunc, quomodo magis hanc quam illam speciem. Nam aliqua pars setonem admit-

admittere poteſt, quæ prohibeat fonticulum, & contra; aliqua phœnigmum, quæ neutrum iſtorum. Generaliter pluribus in locis, imò ferè omnibus, veſicatoria applicari poſſunt, paucioribus fonticuli; pauciſsimis ſetones. Ordinariè veſicatoria inducuntur capiti, & cuiuis eius parti, ſuturæ coronali, retrò ſub auribus, in occipitio; dorſo quoque, thoraci, ventri, brachijs, cruribus, iuncturis, plantis pedum & manuum pulſibus. Capiti adhibentur, ad ipſum roborandum, exiccandum, materiasque ex alto euocandas, euacuandas, & ab inferioribus partibus reuellendas: vt in deſcenſu catharrorum, cephalæa, paralyſi, apoplexia. Occipiti apponuntur ad ſyncipitis dolores, ad reuulſionem ab ipſo faciendam, ad oculorum fluxiones, tuncque etiam vtiliter poſt aures applicantur. Pectori adhibetur pro empyemate, pro aſtmathe & ſuſpirio: ori ventriculi, pro affectibus ſtomachi: ſub vmbilico ac toti fere abdominis regioni, pro hydrope & doloribus colicis, aluique diuturnis fluxionibus. In brachijs ſex digitis tranſuerſis ſupra carpum, quod brachiale appellant (ne contactus pulſus impediatur) in parte interiori ponuntur veſicatoria ad febres & ad reuellendum materias venenatas ab interioribus partibus, & præcipuè à corde. In cruribus & ſupra talos in parte exteriori & interiori; ad reuellendum à partibus ſupernis: ſub

plantis

plantis pedum quoque; pro febribus, pro uteri affectibus, alijsque vitijs partium internarum. Setones poni solent communiter in tribus locis; occipitio, scroto, & vmbilico: frequentior tamen & magis ordinarius locus est in occipite. Alia quoque loca sunt in quibus conuenienter, etsi minus familiariter, vsurpantur. Razes libello de cauterijs ea enumerat: nam per mediam aurem, inquit, adiguntur nonnunquam; quod pro affectibus oculorum etiam mulierculis hodie est cognitū, etsi magis frigidi quàm calidi ferri punctura celebretur. Ponuntur etiā, inquit, setones in collo iuxta venas organicas (quod est in lateribus colli) ad humorū & vaporum qui per eas feruntur, interceptionem. Ponit etiam Razes super thoracem; vbi nimirum locus inter duas costas eligitur. Porrò super toto ventre, ad hepatis præcipuè, splenis & ventriculi, nec non & aliorum viscerum affectiones; non modò Razes, sed & Albucasis & Celsus & Aetius & Ægineta familiarissimè ijs vsi sunt. Razes etiam pro ijsdem affectibus à tergo, seu in dorso eos ponit: ponuntur & in scapulis & super os sacrū. Hollerius etiam syncipiti medio applicat. Sed notandum vniuersaliter est, quòd cum seto infigatur, non sine elevatione multæ cutis aut carnis, eiusque per forcipem apprehensione; commodè illic locum habere nequeat, vbi cutis & caro tensa est, sed

tantum-

tantummodo vbi ea laxa est, ac forcipe attolli, plicari & corrugari potest: vnde cum id supra caput & in syncipite commodè fieri nequeat, locus ille setonibus satis est ineptus. Propter eandem causam etiam conuenientiores sunt setones fonticulis in illis locis, in quibus nerui, tendines aliaque vasa subtus continentur: nam eleuata cutis ab illis hac ratione abducitur, vt ipsa non tangantur; ideoque ad spinalem medullam, in occipite, ad colli latera, in scroto, setones loco fonticulorum sunt vsurpandi: & in quacunque abdominis regione, propter eius exiguam profunditatem, quæ fonticulos non tolerat; dicit Lanfrancus setones semper esse præferendos. sicuti etiam prætulisse antiquos est manifestum. Fonticuli pluribus in locis, quàm setones ponuntur: nam qui locus fonticulos, idem & setones admittere potest. Sed vesicatoria in hoc & fonticulos & setones exuperant. Nam in locis neruosis, ligamentosis, super articulos, super manus, pedes, malleolos, futuras, nec fonticuli nec setones commodè poni possunt, sed commodissimè tamen phœnigmi: ibi enim fonticulorum locus est, vbi aliqua est profunditas, vbi pars carnosa & vasorum expers. In principio aut fine musculorum prope tendines, minimè sunt ponendi; sed procul ab ijs quatuor aut quinq; transuersorũ digitorũ spatio; nõ in carnosa tamen musculi parte,

sed in

sed in cauitate, quæ est intra duos musculos: vt sic ex alto magis trahāt. Eligēdus quoq; est locus decliuior, vt eò frigidi humores põdere suo ferātur: talis quoq; qui fascias comodè excipiat.

CAP. III. De indicatione loci ab affectu desumpta.

HActenus de indicatione quæ à parte desumitur: nunc de altera, quæ ab ipso affectu, morbo nimirū & morbi causa. Etenim vbi malum est & materia peccans, illic remedium applicandū esse indicatur. Remedia adhibentur, vt affectū tollant: quare applicanda sunt, vbi affectus est; nimirum ad ipsam partem affectā: nam si in remota parte ponerētur, quia affectū non contingerent, minimè prodessent; remedia enim nō sine actione prosunt, ad actionem verò necessariū est agens & patiens simul esse. Verum distinguendi morbi sunt: nonnulli enim cum facti sunt, causam nō habent amplius, sed per se subsistunt causa amota: aliqui causam adhuc habent; eamq; vel coniunctam, à qua sunt; vel antecedentem, à qua durant, & cōtinuò fouentur, etiāprima causa coniuncta ablata. Tales autem curari nequeunt, nisi causa antecedens auferatur. Causa coniuncta est in parte affecta simulque cum ipso morbo; est enim ea quæ actu morbum facit: quare remedio ad partem affectam posito debet euacuari. Causa antece-

dens

dens est, quæ morbum non facit, sed factura est, quæque non actu causa est, sed potentiâ tantum: ea autẽ in parte affecta non est, sed breui futura. nam si in parte esset, iam actu morbum faceret, & esset causa coniuncta: est ergo remota. Quapropter cùm ipsa quoque sui remotionem indicet, è loco vbi est, debet euacuari, antequam ad affectum locum veniat; ac proinde remedio prope locum, in quo est, posito: is autem à parte affecta est remotus; quare necessum est, vt ad eius ablationem cauteria in remoto à parte affecta loco ponantur. Tales morbi sunt qui per consensum fiunt, & qui causantur à fluxu humorum vel ascensu vaporum; quorum curationi imprimis fontanellæ sunt destinatæ. Quapropter cauteria quæ ratione fontanellæ expetuntur, & humorum euacuationi destinantur, non semper supra affectum locum sunt ponenda; sed aliquando quidem, aliquando non. Verum cauteria quæ ad alios vsus applicantur, vt ad siccandum, roborandum, calefaciendum, discutiendum; & quæ propter crustam aut cicatricem, vt quæcunque ad sanguinis fluxus, ad vlcera putrida, tumores exedendos, abcessus aperiendos, venenatos ictus, expetuntur; semper super affectam partem sunt ponenda. Ex quo patet fontanellarũ à reliquis cauterijs differentia; quòd reliqua locum certum & definitum semper habeant suæ applicationis, nimi-

rum

rum ipsam partem affectam; illæ verò non. Quapropter in alijs nulla opus est artificiosa loci vrēdi inuestigatione, sed semper ab ipso affectus situ petitur; in fontanellis verò maximè. Nam cū causa antecedēs successiuè sit in varijs locis; prout ab vno in alterum fluit, ita in varijs locis potest ac debet euacuari. Consyderandum itaque est, quòd humor morbum faciat, vel per congestionem, vel per defluxum. Si ibi genitus est, vbi morbum facit; tantum debet inde euacuari: locus autem euacuationis est is, per quem potest optimè talis pars expurgari: talis autem locus est, qui est propinquus; eò quod omnis euacuatio à parte semper per se melius fiat ex propinquo quam remoto loco, quamquam aliquando per accidens bene melius fiat ex remoto; quatenus esse potest, vt remotus maiorem habeat venarum communionem. Vnde & propinquitas est consyderanda & partis conformatio, videndumque quos ductus & quæ emunctoria pars ea habeat, per quæ ipsum remedium euacuans, quod adhibetur, possit partem optimè euacuare: atque ibi tunc cauterium est ponendum, seruata quantum meatuum ratio patitur, propinquitate. Nam si tunc in remoto loco poneretur, & pars fructum exiguum experiretur, & per alias partes intermedias materia traheretur: quibus nouam noxam & læsionem posset inferre. Porrò in hac euacuatione non

est respectus ad vllam aliam partem habendus, nec consyderandum an locus in quo euacuatio faciẽda indicatur, sit ante aut retrò, dextrorsum an sinistrorsum, deorsum, sursum; quia, cum nullus hic sit humor fluens, nullus fluxus, nec deriuatio, nec reuulsio vlla (propter quas locorum illa differentia consyderatur) sit facienda; meritò quiuis locus per se cõmodus est & conueniens: nisi in quantum humores, cum sint grauia corpora deorsum tendentia, vapores leuia; pro ipsis, locus deorsum, pro his, sursum sit præferendus. quod tamen in humoribus, qui per carnem & cutem feruntur, præcipuè locum habet. Illi enim à propria tantum grauitate moti, deorsum tendunt; qui autem per venas feruntur, à natura sæpe mouentur: quæ ad omnem situm est indifferẽs & æque sursum ac deorsum, & ad omnem positionis differentiam mouet. Sin autem per defluxum humor in partem sit delapsus, pluribus remedijs est oppugnandus. Fluxus ergo curantur dupliciter: vel, vt qui esse non debent, sistantur & impediantur, ne fiant: vel, vt qui esse naturaliter deberẽt & non fiunt, sed impediuntur; prouocentur & fiant. Fluxus qui non fiunt, prouocantur contrario modo, quo, qui fiunt, sistuntur: sistere enim fluxum nihil est aliud, quàm contrarium fluxum prouocare. infra autem dicemus omnes sisti trahente remedio in contrarium motus humoris posito,

quare

quare econtrà prouocabuntur eodem ſecundum motum humoris, qui fieri deberet, applicato. Ideò quæ ſurſum poſita fluxum ſiſtunt, deorſum poſita prouocant: contrariarum enim cauſarum contrarij ſunt effectus. Patet id in venæ ſectione: nam menſes immodicè fluentes ſiſtimus venâ ſurſum in brachio ſecta, in contrarium nempe illius motus qui fieri minimè debet; at ſuppreſſos prouocamus vena in pede aperta ſecũdum motum quem fieri exoptamus. Quapropter cum fluxum aliquem ſtagnantem cauterio prouocare volumus, ipſum applicabimus illi parti, verſus quam humor naturaliter fluere deberet: fluxus autem qui naturaliter fieri debent, & quorum prouocandorum cauſa cauterio vti poſſumus, duo ſunt: Hæmorrhoides & menſes. fiunt autem iſti per deorſum factam à natura expulſionem, quare & per cauterium deorſum, adeoque in crure poſitum, cum ſtagnant, reuocari debent. Ponitur autem in parte interiore crurum propter ſitum vteri & inteſtini recti & venarum, quæ ea parte feruntur, communionem; ſecundum quam poni cauteria maximè debent, quando pro humoribus, qui per venas feruntur, expetuntur: quod in hiſce fluxibus contingit. Sunt & alij fluxus, qui licet ſymptomatici ſint, quia tamen naturam longa ſua duratione ad humorum in certam quãdam partem tranſmiſſionem aſſuefecerunt, reſtricti difficiles

ficiles inferunt noxas: vt, etsi contra naturam sint, sæpe tamen maioris mali vitandi causa debeant reuocari. Sic nonnunquam vna pars diuturna quadam consuetudine in certam aliam solet excrementa sua deponere, ex quibus continua in ea vlcera aut tumores oboriuntur; quæ si aliquando aut improuidi medici ope aut externa alia causa consolidentur aut impediantur, fit, vt, cessante antiqua fluendi consuetudine, humores ad membra nobilia, cor, pulmonem, &c. recurrant & febres aliaque grauia inferant mala. Ita si cui varices, aut arthritis, aut aliuus quidam stato tempore fluxus oboriri solitus subitò cesset, in peiorem pectoris, aut cordis affectum aliquem de facili sæpe permutatur. Quo casu, ad talium fluxuum reuocationem, propo locum in quem ipsi ferri solebant, cauterium tunc est excitandum. Sin istæ fluxiones tales sint, vt vel nequeant bene reuocari, vel ob periculum quod ipsæmet de se tandem minantur, non debeant; tum versus illum locum, secundum quem fieri solent, cauterium poni non debet, sed versus illum, vnde fluxiones tales originem suam habebant: vt sic fluens humor per propinquum mandanti parti latus, possit deriuari. Verbi gratia, si à defluxu capitis aliquidam fluxus causari solitus, iam verò restrictus, hydropis periculum minaretur; non supra ventrem aut dorsum aut in cruribus ponendum

cautes

cauterium esset, ad fluxionem reuocandam; sed propè caput, aut in brachio: ad eam aliò per locum minus periculosum transmittendam.

CAP. IIII. *Quis sit locus cauterij cum fluxus sunt sistendi.*

FLuxus qui fieri minimè debent, & tamen fiunt, non vno remedio curantur. Fluxus vt fluxus, nõ est malus, sed propter suum effectum quẽ producit: non enim peccat humor suo motu per se, sed per accidens; quia post motum incumbit in partem, cui ægritudinem infert. Quod ergo facit, vt fluxus non feratur in partem, illud est propriè remedium fluxus: illud autem est Auersio: vnde Auersio in genere sumpta est adæquatum remedium fluxionis. Auersio verò à parte fieri potest, & reuulsione, & interceptione, & deriuatione. Quia autem ea, vel non in tempore fit, vel per præsidia, quæ non possunt omnibus illis scopis sufficienter satisfacere; ideò & euacuatione à parte est opus. Pro quo consyderandum est, quòd in omni fluxu, aliquid est quod fluit, aliquid quod fluxit, aliquid quod fluet: Quòd fluxit, estque in termino motus; vel sponte exit, exhalat, & non diu moratur; vel ibi hæret & proprium morbum excitat. Illius generis sunt vapores, qui ascendunt, & tantum momentaneum inducunt affectum: vt, cum aura ex pede ascen-

dens facit epilepsiam, aut ex vtero vapor, suffocationem, syncopem, vertiginem: aut fluxus humorum exeuntium extra corpus; vt à capitis fluxu causata diarrhœa, aut ab hepate mensium & hæmorrhoidum profluuium. Si sponte materia exit aut momento tantum hæret, nudum affectum per consensum profert, in quo nulla à parte affecta euacuatio instituenda indicatur, sed sola illius quod in motu est, reuulsio & deriuatio; cùm cessante fluxu, malum quoque ipsum derepente sit cessaturum: si enim tunc prope affectam partem remedium ponereturr, versus eam traheret, & nihil tamen ex ea quod euacuaret, haberet. Sin materia in termino suæ fluxionis hæreat & grauem noxam inferat, aut tandem vitiata partis tex. perie affectum inducat per deuteropathiam, qui etiam cessante partis mandantis transmissione permaneret; tunc à parte affecta id quod in ea permanet est euacuandum. Quod fluit, vel actu iam fluit, vel tantum potentiâ, id est, vt breui tantum sit fluxurum, necdum verò fluat: quod fluxurum est, in propinquo parti mandanti loco facta euacuatione, antequam fluat, est auertendum: quod fluit, reuellendum est, in medio itineris intercipiendum, vel ad latus deriuandum. Hæ omnes agendi indicationes non sunt necessariò in quouis fluxu adimplendæ: sæpe non debent, sæpe non possunt: non debent, quia sæpe vna efficit;

efficit, vt alijs non sit opus, sæpe & plures in subsidium sunt vocandæ. Quando reuulsio tempori fit, & remedium quo ad reuulsionem vtimur, sufficienter reuellere potest; tunc nec interceptione, nec deriuatione opus est: nam eæ tantum substituuntur in defectum reuulsionis. quod enim fluit, per se expetit reuelli; quod reuellitur, intercipi aut deriuari nõ debet, cum à fluxu destiterit. quod si aliquid reuulsionis vim effûgit & reuelli non potuit, id tum demũ sui interceptionem aut deriuationem indicat. Hinc sola reuulsione per venæ sectionem facta, sæpe incipientes inflammationes quàm citissimè curantur, & sola frictione, forti ligatura, cucurbitulis, imminẽtium symptomatum nonnunquam paroxysmi auertuntur. Sed hoc locum habet in illis reuellentibus præsidijs, quæ summam vim habẽt, ita vt totum quod fluit, reuellere queãt: in ijs verò, quæ ita debiliter trahunt, vt nequeant totũ quod fluit reuellere; reliquũ, quod reuelli nequierit, interceptione & deriuatione debet superari. Non possunt porrò quoque hæ indicationes semper adimpleri, propter partis sitũ, & remedij ad talem fluxum necessarij naturam. Ex partis situ id contingit hac ratione: etiam in internis inflammationibus non est interceptioni locus, sed in ijs tantum fluxionibus, quæ per cutim, aut artus, aut per collum feruntur, quæ sunt loca angustiora, &

ob sui angustiam coarctibilia; vbi origo fluxus & terminus sunt simul, vt cum ex vulnere effluens sanguis in eandem partem incumbens parit inflammationem, neque reuulsioni, neque deriuationi quoque est locus: ex natura remedij; quia cum diuersa sint subsidia fluxibus dicata, non omnia possunt eandem vim habere; sed alia magis reuellunt, minus intercipiunt, vt dolorifica, frictiones; alia magis intercipiunt, vt ligaturæ; alia magis à parte euacuant, vt vomitus, sternutamenta, &c; alia omnia præstant: inter quæ cauteria meritò referri valent, cum & à parte affecta euacuent, & deriuent, & intercipiant & reuellant, si non humorem actu, at saltem potentiâ fluentem. Quapropter in remedijs validè reuellentibus, quæque totum quod in fluxu est, reuellere possunt, minus est deriuationi, interceptioni & euacuationi à parte insistendum: talia enim ita omnem humorem reuellunt efficaciter, vt nihil eius sit, quod simul intercipi aut deriuari magnopere desideret: & cum fortiter trahant; si ad deriuandum, intercipiendum, euacuandum, propinquius parti affectæ adhiberentur, periculum facerent maioris ad eam fluxionis. Nam si vapore ex vtero in caput tendente cucurbitula cruribus adhiberetur & alia dorso, siue simul, siue paulò post; quantum illa profutura reuellẽdo, tantum hæc nocitura esset in partem attrahendo: aut saltem

sine

sine periculo tractionis nequiret adhiberi. At cum cauterio fluxiones curantur, non est soli reuulsioni studendum. Cùm enim cauteria contumacibus debeantur fluxibus, & exiguam tamen habeant reuellendi virtutem, fieri nequit, quin multus indies humor præterlabatur, reuellentis remedij vim eludens, quem intercipitum, deriuari ac euacuari sit necessum. Cùm verò cauteria minimè trahãt, non est in ijs quod in alijs timendum, vt quæ ad partem recipientem ad hosce scopos ponuntur, maiorem versus eam concitent fluxionem. Hinc cùm in epilepsia ab vteri consensu cauteria adhibentur, illud quod in crure excitabitur, reuellet; quod in brachio aut occipite, intercipiet, à parte euacuabit, nec tamẽ ex vtero versus caput trahet: quòd vis eius eousque non pertingat. Porrò consyderandum est, quod nonnulla præsidia his omnibus agendi indicationibus vno actu & vna operatione, adeoque in vno tantum loco posita satisfaciant; alia non nisi in pluribus locis, singulas in singulis præstent. Phlebotomia, etsi interdum in vno loco tantum reuellat, in altero tantum deriuet, in alio euacuet à parte; vno tamen loco & eodem actu hæc omnia aliquando præstare potest. Est verò in aliquibus malis satius hæc omnia vno actu perfici, in aliquibus non. Cùm vno actu peraguntur, remedium in vno tantum loco est; in quo impossibile est

ipsum

ipsum omnes scopos perfectè adimplere: ad euacuationẽ enim à parte, propinquitas; ad reuulsionem, distantia est requisita: idem verò simul nequit & distans esse & propinquum. Quod si tamen eodem negotio vtrique scopo satisfacere volumus, eligendus locus est, qui nec nimis propinquus sit ad reuellendum; nec nimis remotus, ad à parte affecta euacuandum: vt quantum distantiæ adimitur, tantum euacuationi à parte addi intelligatur, & econtrà. Vtrum verò vtilius factu sit, ex remedij & affectus natura est petendum: remedij; quia quæ insignẽ euacuandi facultatem sortita sunt, vt phlebotomia, purgatio, commodius omnia simul facere possunt: quæ autem debilem, minimè. Quia enim vt reuellerent, in distanti loco poni deberent; nisi egregia vi prædita forent, non possent vi sua ad affectum locum peruenire, vt ex eo simul euacuarent: ex natura verò affectus; quia imprimis in fluxionibus, quæ è propinquo fiunt, omnia vnico remedio & vnius loci peragi possunt; in ijs verò quæ à longinquo, non nisi pluribus & in diuersis locis applicatis. Cum fluxio à capite in oculos fertur, cauterium occipitis reuellit & euacuat; cum à stomacho in caput, vnum brachij cauteriũ & reuellit & intercipit & deriuat, & à parte affecta euacuat. Cùm ab vtero aut alia parte distante in caput quid fertur, cauteriũ cruris præter reuulsionem nihil aliud præstabit:

nullum-

nullumque erit quod omnibus scopis satisfacere possit: sed si plures consequi volumus, plura cauteria, pluribusque partibus sunt affigenda. Demum in fluxionibus quæ celeres sunt, statimque statum attingunt, summaque inferunt pericula; cum remedij genus tale est, quod non potest sine magna virium prostratione statim sæpiusque iterari: vt præsenti necessitati subueniatur, satius est locum eligere, in quo vnica actione & reuellere & deriuare & à parte euacuare queamus. Hoc contingit in fluxibus sanguinis, qui venæ sectione curantur: illi enim celeres sunt, hæc verò sæpius iterata difficilis & periculosa: ideoque in pleuritide medici venam brachij è directo statim aperiunt, vt omnibus scopis vna venæ apertione satisfaciant. Verùm cum cauterium sit remedium quod conuenit lentis fluxibus, quodque commodè potest cuiuis loco apponi & sine vlla virium prostratione sæpissimè iterari; iudico ego, cum diuersæ illæ, reuellendi, deriuandi, euacuandi indicationes simul sese offerunt, non vnico ijs cauterio, sed pluribus in diuersis locis positis, esse satisfaciendum: præcipuè cum fluxiones è longinquo fiunt; eò quòd cauteriorum virtus nequeat ad distantia loca peruenire. Quapropter tunc iuxta partem mandantem, vnum; iuxta partem recipientem alterum, & etiam intermedio loco, per quem fluxio fit (si eius conforma-

formatio patitur) tertium cauteriũ poni debet. nisi fortè quod ad partem recipientem aut mandantem pro euacuatione aut reuulsione ponitur, ita aptè intermedio loco poni possit, vt præter prædictas facultates, etiam intercipiendi vim participet: quo casu tertium non est necessarium; vt quod in alterius duorum illorum viribus includatur. Quod equidem ad vitãdam eorum molestiam & numerum multo commodius foret. Verùm tamẽ vtilius meo iudicio est, cùm morbos à fluxione curare volumus, vt primò tantum ad partem mandantem cauterium vnum aut plura ponamus, & experiamur an eo solo fluxio non sit cessatura: nam si cesset, alio opus non est; sin minus, tunc tempestiuè satis ad alterius iuxta partem recipiẽtem inustionem progrediemur: nisi fortè affectus, qui ex fluxione illa gignitur, magni admodum momenti esset, ac celerem requireret præ cautionem; periculo ne habitum contrahat, aut in parte recipiente radices agat deuteropathiæ: tunc enim simul & mandanti & recipienti fonticulis esset prospiciendum: quod in epileptico morbo locum habet. Tunc autem, si post inducta cauteria malum incipiat sanari & cessare, statim illud quod ad partem recipientem positum erat, est claudendum: tunc enim non amplius vsum adferret, sed solum noxam. Nam cum nihil amplius ad partem recipientem fluat,

(quod

(quod cessans malum ostendit) non amplius quicquam ab ea euacuare, sed in eam à mãdantè nouam tractione sua posset prouocare fluxionem. Quod verò iuxta mandantem partem est, etiam cessante malo ad multum tempus est reseruandum; ad præcautionem, ne iterum malum recrudescat. Sin verò è contrà fluxionem cessasse cognoscatur, affectus vero nihilominus permanere videatur, & in deuteropathiam transiisse; quia tunc nulla fluxio est; quod ad partem mandantem excitatum erat, claudi debet, aperto relicto quod est iuxta recipientem. etsi fortè multò securius sit, etiam tum vtrumque multo tempore permanere; maximè cum materia fluens est venenosa: nam aliàs minus periculi foret. Nam etsi fluxio cessârit, noua tamen aliquando ablato cauterio, quod eam reuellebat, facile posset suboriri. Quòd si nulla plane noua fluxionis suspicio foret, audacter tunc quod ad partem est, esset extinguendum.

CAP. V. *Quis sit locus cauterij pro euacuatione à parte.*

EVacuatio humoris, qui in partem fluxit, eodem modo fieri debet, quo diximus fieri euacuationẽ illius, qui in parte genitus est per congestionem. Nam cum etiã hæc sit euacuatio à parte, debet habere conditiones

tiones ad euacuationem ſimpliciter requiſitas: eæ verò ſunt, vt fiat in loco propinquo, ſecundùm communionem venarum; ſed pro humoribus (quantum fieri poteſt, & prædicta communio patitur) in loco deorſum; pro vapore, ſurſum. Vnde in illo conueniunt euacuatio humoris per cõgeſtionem in parte geniti cum ea, quæ eſt humoris in ea exiſtentis per defluxum; ſed differunt in hoc, quòd inſuper hæc quoque includat aliquem reſpectum ad locum mandantem, illa nullum. Quare in hac conſyderandum eſt, vt talis locus eligatur, qui non vltrà, ſed ciss partem mandantem ſit. Si enim vltra eſſet, per partem affectam traheret; ſin verſus mandantem, ita vt intra ipſam & recipientem mediuss ſit; præterquam quod euacuabit, etiam vel intercipiet, vel ad latus deriuabit. Si fortè idd communio meatuum ad euacuationem requiſitorum non permitteret, hac commoditatee poſthabita communiori tanquam potiori cedendũ eſſet. Sic E. G. Si vitio vteri caput ægrotaret, per ſe melius in occipite aut brachijs, quàm in ſutura coronali fontanella inſtituere tur; quia hic locus trahit per partem affectam, ille non, ſed potius ſimul deriuat & intercipit: Verùm ſi à vapore conſenſus foret; quandoquidem vapor non deorſum, ſed ſurſum euacuatur: neglectis his commoditatibus, ſequendi potius ductus eſſent per quos talis materia meliu

lius euacuatur: & ideò tum potius in futura, quàm in illis locis cauterium esset faciendum, aliàs si æque deorsum aut ad latus, sicut sursum, posset euacuari; multò prętstãtius esset hic intermedio loco, quàm per partem affectam & vltra eam, euacuare. Cùm autem ab humore sursum lato consensus est, ex accidenti & valde conuenienter euenit, quod communio ductuum in tali loco sit, vnde ipse & interceptione & deriuatione possit euacuari: in occipitio nempe, brachijsque. Sed dubitari posset cum fluxus feruntur à capite in genu; an, ad euacuationẽ à genu faciendam, sub genu; an supra ipsum, cauterium sit ponendum. Nam si sub genu, melius euacuabit; quia emunctoria humorũ grauium deorsum sunt, minimè autẽ sursum: cùm enim cauteriũ non trahat, non videtur quomodo humor grauis ex articulo sursum ascendere poterit, vt illinc euacuetur: sed illud incõmodi habebit, quòd per partem affectam trahet. Si autem supra genu; præter euacuationem quam ratione propinquitatis exercere poterit, insuper quoque intercipiendi sortietur facultatem. Verùm affero non supra genu, sed sub genu tunc esse faciendum. Nam cum ibi cauterium fiat primariò propter euacuationem à parte, secundariò verò & per accidens propter interceptionem; illud maximè est attendendũ, quod ad euacuationẽ à parte est maximè requisitum: nempe vt eliga-

eligatur locus, per quem talis humor optimè queat expurgari. talis autẽ est locus deorsum. Si dicatur, quòd ibi positum per affectam partem ducet & non intercipiet, sicut quod supra genu poneretur; respondeo illud incommodi, quod per accidens est, tolerandum esse propter conseruationem illius boni, quod magis est expetitum, & propter quod cauterium illud maximè est intentum; ipsam nimirum à genu euacuationem: quam locus supra genu non æquè potest præstare. Præterquam quod & prædictis incommodis facilè occurri potest alio cauterio super genu in vsum interceptionis peculiariter inusto. quod ego in articulorum affectibus semper laudo.

CAP. VI. Quis sit locus cauterij pro interceptione & deriuatione.

INterceptio fieri debet in tali loco, qui & medius inter partem mandantem & recipientem sit, & canali, per quem humor fluit, maximè vicinus, & talis ex quo humor fluens commodè possit educi: alioqui, etsi maximè medius foret, si talis esset per quem humor à suo itinere abripi & expurgari nequiret, nulla in eo interceptio fieri posset. Est quoq; necessarium vt locus medius sit, non quomodocunque, sed in recta linea: alioqui non interceptio, sed deriuatio erit appellanda. Quapropter cum media in-

dia inter duo extrema sint infinita, ambigi potest quo loco interceptio sit facienda. Et vt alia omittam, tria sunt præcipua intermedia loca; vnus medius iuxta partem recipientem, alius medius iuxta mandantem, tertius æquidistans ab vtraque: in quibus quæstio hæc versatur. Quapropter breuiter respondeo: primò, quòd omnibus paribus interceptio debeat fieri, non in medio absolutè, sed qui simul aut mandanti aut recipienti sit propinquus: quia in illo tantum fit interceptio, in hoc autem interceptio, vnà cũ vel euacuatione à parte, vel reuulsione. Vt autem sciatur vter melior sit, an qui versus mandantem vergit, an qui versus recipientem: dico secundò; quòd si vnum cauterium fieret solum ad interceptionem, & insuper aliud ad reuulsionem, & aliud ad euacuationem à parte, tunc præstaret illud in medio loco versus partem mandantem poni; vt adiuuet reuulsionem, & non promoueat tractionem: sin ad cauteriorum numerum vitandum velimus, vt illud quod intercipit, alterutrius, seu euacuationis à parte, seu reuulsionis facultatem participet; melius esset, vt interceptio ad partem recipientem quàm ad mandantem institueretur. Nam ibi, cauterium versus originem fluxionis (respectu ad recipientem, non ad medium exactè habito) spectare, non impediet euacuationem à parte, & propter di-

ſtantiam à parte mandante, quæ eſt vltra medium, non augebit tractionem: hic ipſum ſpectare verſus partem recipientem impediret per ſe reuulſionem. Nihilominus tamen, ſi vel in vno vel in altero loco melius poſſet, quod intercipere volumus, euacuari; is ſimpliciter alijs eſſet præferendus. Interceptio per cauterium dupliciter fit: primò, quatenus cauterium mediante cicatrice diuidit, & diſcontinuat ac ſeparat à ſeinuicem partes vaſorum, per quæ humores feruntur, vt deinceps per ea obſtructa ferri nequeant; de qua lib. 1. c. 16. egimus: ſecundò, quatenus fontanellę rationem gerit, per quam humores, qui per aliquam viam feruntur, intermedio itinere euacuantur, antequam ad partem poſſint peruenire; de qua hoc loco tractare noſtri eſt inſtituti. In omnibus itaq; morbis, qui fiunt per conſenſum partium inferiorum & capitis, à quocunque termino fiant, cauteria in collo poſita intercipiũt. Setones ad latera colli prope venas iugulares id propriè intercipiunt, quod per illas venas ſurſum deorſumve fertur. In occipitio tum merè intercipiunt, quum humores in neruos, in ſpinalem medullam, & ſub cute in articulos deſcẽdunt: cum verò in pectus aut alia viſcera, intercipiunt quidem, ſed cum quadam ad latus deriuatione. Quæ ad vertebras ſpinalis medullæ cauteria ponuntur, intercipiunt humores qui ad articulos &

los & in neruos delati arthritidem & paralysim generant. In crure posita, cum humores in articulum subiectum destillant, aut aura venenata ex pede in caput ascendens epilepsiam facit, intercipiunt. Deriuatio est transmissio humoris fluentis ad latus. Cùm in propinquo fit, naturam induit euacuationis à parte; cum in paulò remotiore, reuulsionis. Itaque media est inter vtramque, & propterea humori, & qui fluxit & fluenti conuenit: in ea autem necessariò quoque & maximè communio venarum & meatuum est attendenda. Omnis autem deriuatio, quæ ope cauterij in corpore fit, meo iudicio per cauteria brachiorum perficitur. Etenim quæ à partibus inferioribus ascendunt in caput, deriuant ad latus, & simul, quod in capite est, euacuant, ratione propinquitatis. Vicissim quæ è capite descendunt in pulmonẽ, & asperam arteriam, spinalem medullam, stomachum, cor & hepar; dum fluunt, deducunt ad latus; cum fluxerunt, eiusdem vicinitatis & communionis venarum ratione etiam euacuant. Si in inferiores partes, vt vterum, vesicam, intestinum, inde aliquid prolabitur, deriuant id quidem, sed reuulsoriè; ob distantiam autem à parte affecta nihil euacuant.

CAP. VII. *Quis sit locus cauterij pro reuulsione.*

NVnc quod difficilius est, inquirendum videtur; quomodo ac quo loco reuulsio per cauteria sit instituenda. Est enim reuulsionis doctrina plurimis referta difficultatibus, & plurimis medicis eius ineundæ ratio admodum controuersa. Nos vt rectè ostendamus quomodo per cauteria reuellendum sit, altius reuulsionis naturam, differentias & conditiones indagare debemus. Habet enim bona reuulsio plures conditiones, quæ cum locum præfigant remedio reuellenti; vbi & quando & an in cauterijs nostris omnes sint requisitæ, videre debemus, si volumus certam de loco cauterij ad reuulsionem faciendi scientiam stabilire. Conditiones eæ quinque sunt, quas medici prædicant ad bonam reuulsionem necessarias esse. Prima est, vt fiat reuulsio in contrarium: secunda, vt fiat ad distantissimas partes: tertia, vt fiat ad originem: quarta, secundùm communionem venarum: quinta, è directo. Hæ conditiones non ita requiruntur ad reuulsionem, vt necessum sit omnes in omni reuulsione adesse, sed vt aliquas; in aliqua, has; in alia, illas. Etenim non omnes reuulsiones sunt eiusdem naturę, sed magnam habent varietatem, & ideò non debent omnes easdem vbique conditiones habere.

habere. Prout enim alius atque alius humor est qui fluit, & pars per quam fluit, & sic varius modus fluendi: & prout diuersæ speciei & naturæ sunt ipsa reuellentia præsidia; necessariò variant modi reuellendi: & propterea non potest eadem semper esse in omnibus ratio conditionum, sed aliæ magis in sectione venæ, aliæ magis in cucurbitulis, frictionibus, ligaturis; aliæ in cauterijs, &c. locum habent: quod exactè est cognoscendum. Quapropter notandum est, quòd humor reuellendus, alius calidus est, alius frigidus; alius crassus, alius tenuis: quòd alius lentè fluit & continuò, qui, vti indies generatur, ita quoque fluit, vt catharrus, vapor; alius impetu fluit & totus simul, vt sanguis cum fluit è venis, aut cum humor qui in aliqua parte iam diu hæsit, in aliam totus derepente expellitur. Alius quoque fluit per venas, alius per internos canales, alius per cutim & carnem. Pariter distinguendum est in præsidijs reuellentibus. Nam alia reuellunt sanguinem, vt phlebotomia; alia aliquem alium humorem tantùm, vt purgationes: alia reuellunt cum impetu & citissimè, vt phlebotomia, cucurbitulæ, ligaturæ, frictiones; alia lentè, vt nudæ scarificationes, cauteria, hyrudines; alia reuellunt propriè & cum tractione, sic vt humorem actu fluentem etiam retrahant, imprimendo illi motum contrarium motui primo, sicut venæ sectio, cucur-

bitulæ, &c. alia reuellunt tantum per accidens & impropriè, non humorem fluentem actu, sed potentiâ, non eum retrahendo cum fluit, sed hunc euacuãdo antequam fluat: quæ non reuulsio propriè, sed auersio particulariter sumpta est: appellanda: vt errhina, apophlegmatismi, &c. Aliqua reuellunt euacuando simul quod reuellunt, id est, sic trahunt, vt quod trahunt, vsque ad extra corpus trahant; vt phlebotomia, cucurbitulæ scarificatæ, cauteria, purgationes, &c: alia quod trahunt, relinquunt in corpore, & non trahunt nisi ad alium locum; vt ligaturæ, dolores, lotiones, lenes cucurbitulæ, frictiones. Ex qua diuersitate humorum fluentium & præsidiorum reuellentium, patet non posse easdem conditiones in omni reuulsione locum habere, sed alias in vno, alias in alio casu magis esse requisitas. Itaque cum cauterium sit genus præsidij impropriè & sine tractione reuellentis, adeoque humorem potentiâ non actu fluentem, reuellendo simul euacuans, destinatum frigidis humoribus lentè fluentibus & longo tempore, ijsque primariò qui per habitum corporis fluũt, secundariò etiam ijs, qui per venas & per interna feruntur: quænam prædictarum ad eius operationem rite perficiendam conditiones requirantur, deinceps facilè elucebit.

CAP.

CAP. VIII. *An cauterio in contrarium sit reuellendum.*

ETsi nulla aliarum conditionum tam sit necessaria, quin sine ea reuulsio fieri possit; in omni tamen cuiuscunque humoris & per quamcunque partem & per quodcunque remedium, semper contrarietas est requisita: imò ipsa sic est de essentia reuulsionis, vt reuulsio sine contrarietate neque intelligi aut definiri possit. Vnde, etsi aliæ conditiones interdum inter se repugnantiam habeant & incompossibilitatem, nulla tamen est quæ contrarietatem non compatiatur. Verum in quo consistat illa contrarietas, medici dubitârunt: alij in contrarietate partis, alij in contrarietate motus humoris eam posuerunt. Ego autem dico, quòd per se consistit in contrarietate motus humoris, per accidens verò in contrarietate partis. Parum est in qua parte reuulsio fiat, sursum an deorsum positâ, modò humor retrahatur in contrarium sui motus. Motus enim ille contrarius qui humori imprimitur, facit ipsum à primo desistere, non ipsa partis contrarietas; nisi per accidens. Verum contrarietas partis consequitur contrarietatem motus humoris. Nam cum in contrarium motus tractio fit, necessariò quoque fit in contrariam partem. Etenim quod fluit, ab vno loco in aliũ fluit; à ter-

mino à quo ad terminum ad quem: illa autem loca neceſſarium eſt ſecundùm aliquam poſitus differentiam inter ſe contrarietatem habere. Ex quo patet, quòd in reuulſione & contrarietas requiritur motus humoris & partis; ſed illa per ſe, hæc verò per accidens: in quantum ſcilicet attenta cõtrarietate partis contrarietatem conſequimur motus humoris. Hanc tamen non ſemper aſſequimur: nam, etſi contrarietas motus humoris coniunctam ſemper habeat contrarietatem partis in aliqua differentia poſitionis ratione cæli; tamen non econtrà omnis talis contrarietas partis coniunctam habet contrarietatem motus humoris. Nam poſito, verbi gratia, quòd humor à capite fluat in vterum, ſi velimus reuulſionem facere in pede, erit quidem ibi contrarietas partis ſecundùm ſitum cæli; nam vterus eſt ſurſum, pedes deorſum: ſed tamen non erit ibi contrarietas ſecundùm motum humoris: nam humor mouetur deorſum, tractio autem non fit ſurſum, ſed adhuc magis deorſum. Itaque non hic ſiſtetur fluxus humoris, ſed magis prouocabitur: & ſic non erit reuulſio, nec curatio fluxionis, ſed ipſius augmentatio. Quapropter animaduertendum eſt, quòd contrarietas partis hic conſyderanda eſt, non ſecundùm ſitum cæli abſolutè, ſed ſimul cum humoris motu. Etenim non hic illæ partes contrariæ cenſendæ ſunt, quæ in reſpectu ad cælum aliquam

quam habent ſitus oppoſitionem, ſed quæ ſic opponuntur, vt ab vna humor fiuat, in alteram feratur; ſecundum quam partium contrarietatē omnis reuulſio bona eſt; aliâs inepta. Et ſecundùm hanc contrarietatem in dicto caſu caput aut brachium cum vtero contrarietatem ſitus, adeoque contrarietatem ſurſum & deorſum inter ſe habebunt, minimè autem vterus & pedes: & hac ratione ſecundum ſurſum & deorſum, ante & retrò, &c. factæ reuulſiones, omnes bonæ ſunt: & ſecundum talem partis contrarietatem reuulſiones fieri poſſunt. Verum tamen non tunc primò contrarietas partis intenditur, ſed contrarietas motus humoris; ſecundariò verò & per accidēs contrarietas partis: in quantum facta ſecundum talem contrarietatem reuulſio, ſimul quoque ſecundum humoris motum fit. Itaque contrarietas quæ in reuulſione requiritur, & de contrarietate partis & motus humoris intelligenda eſt; primò tamen & principaliter de hac. Quapropter cum contrarietas ſit de eſſentia reuulſionis, in omni reuellente præſidio, adeoque & in cauterio, eſt requiſita. Quocirca cum ad reuulſionem cauterio vtimur, in contrariò motus humoris ipſum eſt ponendum: ſi humor feratur deorſum, poni debet ſurſum & contrà; ſi introrſum, in illa parte exteriore ponatur vnde is maximè introrſum vergit. Ideò cum catharri à capitè deſcendunt in crura,

caute-

cauterium ponitur in capite aut brachijs; cum vapor ex vtero fertur sursum, in cruribus, & sic deinceps, semper humoris consyderata contrarietate. Verùm tamen altius naturam huius & præsidij & cõditionis intuenti forte videri posset, etsi ipsa in alijs reuellentibus præsidijs summam habeat & vtilitatem & necessitatem, in cauterijs tamen non esse requisita. Nam ad hoc videtur contrarietas in reuulsione expeti, vt per eam humor, qui fluit, retrahatur: quatenus nimirum retractio, quæ secundum rectam lineam ex opposito fit, vehementior est ea, quæ fit à latere, & propterea tantum, vbi humor actu fluit, non vbi potentiâ, adeóque solum in reuulsione propriè dicta locum habere videtur. Ille enim retrahi debet, hic non; ideoque cum non retrahatur, non videtur egere ea conditione, quæ tantum eiusmodi tractioni melius faciendæ inseruit. Quocirca videtur attendenda magis in illis reuellentibus præsidijs, quæ attrahẽdo, ac propriè, reuellunt; quòd ea humori actu fluenti conueniant; non in cauterijs, quæ impropriè tantum reuellunt, nec reuellunt id quod actu fluit, nec reuellunt trahendo, sed tãtum euacuando quod est in potẽtia ad fluxum. Nam cum humor, quem cauterio auferre studemus, sit adhuc quietus in parte mandante, nec vllum habeat motum; non potest indicare motui suo vllam contrarietatem inducendam. Sed

respon-

respondeo, quòd illa contrarietas, etsi maximè inseruiat humori actu fluenti, & fortiori eius retractioni; tamen non minus quoque inseruit humori potentiâ fluenti: tum ad eum à motu suo dissuefaciendum, quod maximè fit per contrarietatem: tum ad euacuandũ antequam fluat. Nam cum sit in parte contraria illi ad quam esset fluxurus, ex ea debet euacuari: quod fieri non potest, nisi cauterio illic & per consequens in contrario motus humoris loco posito. Qua ratione non minus cauterio, quod dissuefaciendis fluxibus, quàm alijs remedijs, quæ retrahendis destinata sunt, contrarietas debetur. Multiplex autem hæc cõtrarietas est: alia antrorsum, retrorsum, deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum: prout humor à diuersis partibus in diuersas abit. Verum has omnes contrarietatum indicationes non potest per quodcunque præsidium facta reuulsio adimplere. Quæ in dextrum & sinistrum est, exigui in reuulsione est momenti, nec vnquam per se est attẽdenda: nam cum partium è directo positarum maximus, vt experientia patet, sit consensus; humorũ omniũ defluxus à dextro in dextrũ, nõ à dextro in sinistrũ feruntur. est enim motus humoris attẽdendus. Per accidẽs verò, cũ aliquando reuulsio ad distãtissimas partes faciẽda indicatur; quatenus summa distãtia in lateris mutatione cõsistit; fit, vt ipsa in opposito aliquãdo latere exerceatur:

quod

quod tamen in illis remedijs quæ ſummam tra-
hendi reuellendiq́ue vim ſortita ſunt, tantum
locum habet. Nam in cauterijs quæ lentè tra-
hunt, imò vix trahunt quidem, nec verè reuel-
lunt, ſed tantum à parte mandante euacuando
auertunt, quandoquidem euacuatio omnis in
propinqua parte fieri debet, lateris verò muta-
tio maximam includit diſtantiam; non niſi iuxta
partem mandantem adeoq́ue è directo reuulſio
omnis eſt comparanda. Quod ſi aliquando in
oppoſito latere cauterium ponitur, hoc non ad
reuulſionem, ſed ad deriuationem fieri putan-
dum eſt. Quamobrem cum à capite fluxio fer-
tur in dextrum pedem, reuulſionis cauſa caute-
rium in dextro, minimè autem in ſiniſtro bra-
chio poni debet. Si ab vtero feratur vapor in
caput, vnde hemicrania fiat lateris dextri; deor-
ſum in dextro crure cauterium fieri debet. Ad
deriuationem autem vbi commodè reuulſio
fieri non poteſt, bene latus mutatur, eò quòd
ad latus deriuatio fieri debeat. Hinc ſi à capite
fluxio ſtillet in brachium dextrum, quia non
poteſt ibi tam commodè reuulſio fieri; deriua-
tio fiet humoris per cauterium brachio ſiniſtro
applicatum: ſi in dextrum crus ex hepate fluat,
ſiniſtro appoſitum minimè reuellet, ſed deriua-
bit. Maximi momenti eſt contrarietas ſurſum
& deorſum: propterea quòd fluxus omnes ſint
vel vaporum, vel humorum: hi autē deorſum
illi

illi verò ſurſum moueantur. Plus autem in cauterijs, quàm in alio reuulſionis præſidio hæc contrarietas eſt attendenda: primò, quia cauterium præcipuè deſtinatum eſt frigidis humoribus reuellendis, qui grauiores ſunt, magisque ſemper deorſum feruntur, quàm biliosi: ſecundò, quia cum cauterium ſit cutaneum remedium, pluſquam aliud reuulſionis genus deſtinatum eſt humoribus per cutem & carnem labentibus. Tales autem rectâ magis deorſum feruntur, quàm ij qui per venas & internos ductus cõmeant, qui ſæpe ductum venarum & canalium ſecuti plerumq; magis ad latera errant. Propter hanc contrarietatem eſt, quod fere omnia cauteria, quæ ad reuulſionem fieri ſolent, vel ſurſum collo aut brachijs, vel deorſum cruribus inurantur. Contrarietas ab ante & retrò, in capite tantum conſyderatur; & cauterio cum multis alijs reuulſionum præſidijs, cucurbitulis, hyrudinibus, venæ ſectione, frictionibus, quibus ſæpe ab ante & retrò in capite reuulſiones inimus, eſt communis. nullis tamen melius quàm cauterijs perficitur. Hoc ergo fine in fluxibus ad oculos, in occipitio, in auribus, poſt aures; in deſtillationibus in ſpinam, in ſutura coronali, fonticulos, phœnigmos, ſetones, adhibemus. Contrarietas ab intrò ad extra, maximæ dignitatis ac prȩcipui iuamenti eſt, tantoque maioris ponderis haberi debet,

debet, quanto magis noxium est ab ignobili cute ad nobilia viscera, quàm ab vna parte nobili ad aliam, vel ignobili ad ignobilem humores commeare: maximiqúe momenti est in venenatis ictibus & apostematibus malignis, quando intrò repunt, aut certo mortis periculo occultantur. Porrò hæc quoque contrarietas in cauterijs, plus quam in alio reuellentium præsidiorum genere, (exceptis cucurbitulis) & præcipuè in vesicatorijs locum habet. Etenim nec purgatione, nec phlebotomia, nec dolore, nec ligatura, nec frictione ab internis ad externa euocare possumus; sed solum aut cucurbitulis, aut phœnigmis: eò quòd ea cuti exterius applicentur. Cùm igitur hoc fine cauteria expetuntur, vt in internis inflammationibus, in angina quæ intus latet, in morsibus venenatis, in carbonibus & bubonibus qui occultantur; loco vnde hæc intrò vergunt, phœnigmi sæpius repetiti sunt adhibendi.

CAP. IX. An cauterio ad distantissimas partes sit reuellendum.

COntrarietas, alia est cum maxima, alia cum mediocri distantia: nam non tantum extrema extremis, sed & extrema medijs, & media medijs contraria sunt, contrarri

trarij enim motus sunt à contrarijs terminis in contrarios, non tamen necessariò à terminis extremè contrarijs. Contrarietas quo cum maiore distantia est, eò est perfectior: magis enim contraria sunt ea, quæ in eodem itinere recto quàm longissimè, quàm quæ parum distant. vnde cum contrarietas sit de essentiâ reuulsionis, perfectior contrarietas perfectiorem habet reuulsionem. Ex hoc verò patet, quòd reuulsio, vt talis & per se, semper debeat esse ad distantissimas partes. Interim verò per distantissimas partes intelligendæ sunt, non quæ distantissimæ sunt simpliciter, aut secundum omnes diametros, sed quæ ita distantissimæ sunt, vt simul seruent contrarietatem & lateris rectitudinem; adeoque quæ secundum vnam diametrum distantissimę sunt: quæ enim ad distantissimas in oppositio latere fieri possunt reuulsiones, in cauterijs locum minimè habent. Verbi gratia, si ex capite in dextrum pedem fluxio ferretur (omitto caput, in quo non licet semper cauterium ponere, propter molestiam) ad distantissimam partem reuulsio fiet, si in brachio dextro cauterium ponatur; propterea quod non sit maior distantia cum contrarietate. Nam etsi brachium sinistrum sit distantius à pede dextro, quàm brachium dextrum; tamen quia non habet illam cum pede dextro

contrarietatem, eò quòd ex oppoſito latere nõ fiat motus humorum, ſed è directo; ideò ad reuulſionem cauterium ibi minimè eſt ponẽdum. Non enim diſtantia potior eſt contrarietate: cum illa reuulſioni tantum ſit accidentalis, hæc eſſentialis: ſed ibi & diſtantia, vbi contrarietas, terminatur. Hæc reuulſio maximam vim habet in in ijs fluxionibus, quæ potius peccant diuturno & irreuocabili habitu fluendi, quàm fluentis materiæ qualitate aut quantitate: quæque potius diſſuefactionem, quàm retractionem aut euacuationem requirunt. Etenim quò ad diſtantiorem partem humor auertitur in cõtrarium, eò minus propendet in oppoſitum. Secundò habet etiam locum in fluxionibus à toto, & in fluxionibus totius maſſæ ſanguinis; vt in ijs qui ex alto ceciderunt: quia ſitum in oppoſito aliquo extremo tractio fiat, fiet reuulſio ab omni parte, & longa tractione totus ſanguis melius commouebitur. Tertiò valet in ijs reuellenribus præſidijs, quæ inſigniter trahunt: nam talium periculoſus eſt in propinquo vſus: quia etſi à loco affecto retrahant, inſigni tamen ſua vi tractrice maiorem à toto ad partem mãdantem, quàm à recipiente retrorſum, humorum motionem moliuntur. Hoc in cucurbitulis quæ dorſo & collo applicantur ad reuulſionem à capite; in vomitu qui ad reuellendum ex oculis & capite, toto reliquo corpore plethoric

thorico & cacochymo existente, adhibentur, contingit. Idem in fomentis, frictionibus, venæ sectione, errhinis euenit: quæ propterea semper partibus distantioribus meritò sunt applicanda. Quartò maximi momenti est in ijs præsidijs, quæ reuellunt sine euacuatione; vt frictionibus, fomentis, ligaturis, leuibus cucurbitulis: ea enim, si in propinquo ponantur, quod ad partem trahunt, ibi relinquunt, non sine necessario malo & periculo augendi morbi: alia, etsi trahant, non tamen tantam parti affectæ læsionem inducunt; quia saltem quod trahunt, extra corpus euacuant. Denique etiam cum merè reuellendum, ad distantissima id faciendum est: quia sola reuulsio meram respicit causam antecedentem; quæ quantum de se est, à parte recipiente quàm longissimè postulat remoueri. At non rarò contingit, vt non liceat nudam reuulsionem instituere, sed ita sæpe reuellere debemus, vt simul & deriuemus, & à parte affecta euacuemus. Hoc euenit in magnis & acutis malis, in queis celeriter & impetu quodam materia fluit, statimque plurimum est quod fluxit; quod, ni confestim auferatur, præsens periculum minatur. Cùm enim in ijs inducię non dentur; & antecedentis reuulsio, & coniunctæ causæ euacuatio simul & semel facienda indicatur: ea autem non in distantissimo loco, sed in aliquantulum propinquo fieri debet. Hoc in

fluxibus à sanguine fit; vbi, quod fluit, plurimum est, & ductus per quos, aperti, proindeq; necessariò repentinę & statim periculosæ sunt fluxiones: tum etiam vbi ipsum remedium tale est; vel quod singulis locis non possit commodè applicari, vt seorsim singulis agendi scopis satisfaciat; vel quod sine virium prostratione & periculo sæpius ac citò non possit reiterari. Ideo in pleuritide statim venam in brachio, vtpote loco propinquiore ad trium indicationum satisfactionem, non autem in distantissimo secandam esse, sanioris doctrinæ medici monuerũt. At verò in fluxionibus quæ lentè fiunt, in quibúsque quod in partem iam fluxit, vel sponte à natura superatur, licet cum aliquali læsione, vel hæret, vel lentè congregatur, sine periculo repentino, præcipuéque in eo præsidiorum genere, in quo peculiari loco ad euacuationem solam, alio ad solam reuulsionem, vti possumus; potius ad distantissima est reuellendum. Est & vbi hæc ad distantissima reuulsio locum minimè habet. Si à longinquo loco humorum fluxus est, ad distantissima reuellendum est; si à propinquo, non item. Nam si tunc in distantissima parte reuulsio fieret, in multis partibus intermedijs multæ nouæ & forte priore periculosiores fluxiones concitarentur, & ob distantiam, remedij vis humorem interim qui retrahendus est, minimè contingeret. Ita si à

capitis

capitis centro in oculũ humor ferretur, in collo aut dorso aut loco propinquiore facienda reuulsio est, non in femore aut lumbis: si in cruribus reuulsio fieret; in corde, hepate, vtero, alijsque intermedijs partibus humores fluxionesque periculosissimæ concitarentur; nec interim humori, qui in capite reuellendus est, vis vlla inferretur. Ex his non est difficile videre, an hæc conditio in reuulsione per cauteria facienda sit requisita. Nam fluxiones quibus cauteria destinata sunt, lẽtæ sunt, & à frigidis humoribus ijq; qui magis consuetudine fluendi peccant, quàm copia fluentis, adeoq; plus dissuefactione quàm retractione aut euacuatione egent: quare videntur ad distantissima reuellendæ. Denique humor qui cauterio reuellitur, non est actu fluens sed potentiâ; talis autem non tam contrariam retractionem, quàm distantissimam desiderat diuersionem: est enim is causa maximè antecedens & remota; cuius curatio est distantissima ab affecta parte remotio. Accedit hoc quod in cauterio locum non habeat, quod de phlebotomia diximus; quòd eodem loco & reuulsio & deriuatio & à parte affecta euacuatio sit facienda. Nam cum cauterium omnibus partibus apponi rite & sine virium prostratione aut periculo moræ multiplicari in diuersis partibus possit, nulla necessitas vrget, vt eodẽ cauterio omnes illas indicationes studeamus adimple-

re:& eo quidem minus,quod si pluribus ad illas cauterijs vteremur, vnumquodque cauterium vnicuique indicationi satisfacere possit,minimè verò omnibus vnum: Adeo vt quod ad reuellendum ponitur,non necessum sit propinquitatem habere; cum minimè debeat illud idem à parte euacuare; sed summam distantiam, cum tantum debeat reuellere: eò quod hæc ad meram reuulsionem fit requisita. Verum hisce non obstantibus (quæ tamen non paruam videntur habere probationem) dico, quod ex remedij ipsius natura sumptâ indicatione, & per se, cauterium non expetat ad distantissima poni. Etenim cauterium minus fortiter trahit;quare si in distantissima parte ponatur, eius vis ad locum humoris reuellendi non perueniet. Quapropter quod in cauterijs magis est requisitum, est; vt ad originem omnis reuulsio fiat:ratio ex eo est, quod cauterium reuellat euacuando ab origine;euacuatio verò fit in loco propinquo: quare & reuulsio in loco origini propinquo fieri debet. Notandum itaque est, quod origo fluxionis,vel est propinqua,vel remota:si propinqua, tunc optimè potest cauterium in propinquo loco poni. nam cum cauterium non trahat, poterit quidem tunc reuellere, minimè tamen ex reliquo corpore ad effectam partem trahet; sicut in cauterijs quæ in occipite pro oculorum obscuritate hodie,& Aetio lib.7.c.49, ponuntur:

tur: si remota est, tunc quoque in remoto loco est ponendum; non quidem quia remotus & distans, sed quia ibi est origo: quam accidens est esse distantem. Hinc cum ex vtero feruntur vapores in caput, aut ex pede aura venenata ascendit & epilepsiam facit; ad distantissimas partes, in cruribus nempe & pede, vstio est facienda: & sic Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 5. c. 8. pro epilepsia, super pollice & digito pedis ad reuulsionem cauteria inussit: & sic quidem distantia non propter se, sed propter originem est requisita: alioqui illa potius cauterijs obesset. Nam si ex vtero caput dolet, cauterium ponendum est in crure, non in pedibus: nam in crure propter vicinitatem magis ab vtero euacuabit, quàm in pede, & sic consequenter magis reuellet; cum cauterij reuulsio in euacuatione à parte (nempe mandante) consistat. Verum quidem est, quod consyderata fluxione perfectior esset reuulsio in pede, quia distãtior, quàm in genu; attamen considerata ipsius remedij reuellentis natura & operandi modo, quæ consistunt, non in tractione forti aut retractione eius quod fluit, sed euacuatione à parte mandante eaque imbecilla; conuenientius iudicatur in cruris parte propinquiore, quàm in pede, futura. Quod si ad eum vsum venæ sectione vteremur, ea multo præstantius in pede quàm in poplite finem suum consequeretur. Sed adhuc

videri cuipiam possit semper ad distantissima per cauterium faciẽdam esse reuulsionem, quandoquidem à quacunque parte fluxio feratur, videamus communem atque ordinarium practicantium modum esse, vt in extremis semper & distãtissimis partibus, capite nimirum, brachijs aut cruribus cauteria omnia ponantur. Si vero ad originem & non ad distantissimas partes per ea reuulsio esset facienda, non cruribus aut brachijs, sed origini ipsi & parti mandanti essent superponenda: vt si à stomacho esset cephalalgia, aut diarrhœa, aut suppressio mensium; stomachi regioni deberent inuri: si ab vtero hepar intemperiem acciperet, vt in suppressione mensium & seminis; vteri regioni & supra pubem: nemo autem hodie illud fecerit, sed in quocunque affectu, quacunque existente origine, cruribus aut brachijs aut capiti, tanquam distantissimis partibus, ea quisque inducit. Verum respondeo id per accidens esse & non, quod distantiam maiorem habeant, ibi poni, sed quod commoditatem; propterea quod molestum esset in ventre cauteria gestare: tum etiam, quia cauteria brachiorum & crurum ob communionem venarum & apertorum meatuum, magis videntur ab hepate & vtero euacuare, quàm quæ in pube ponuntur: quod hæc per cæcos ductus, & tantum exudatione ac transeuaporatione euacuent. Interim verò antiqui etiam illic cauteria

cauteria ad reuulsionem à parte posuerunt, cum ibi fluxionis origo esset. Ita Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. in dolore capitis per consensum, enumerans partes quarum vitio dolor iste contingit, hepar nimirum & stomachum; iubet super locum mandantem (intellige super ventrem, vbi situs stomachi ac hepatis est) exulcerare. Razes quoque libro 9. rei med. c. 11. in epilepsia per consensum, iubet parti mandanti cauterium superponere, quod diu apertum permaneat: stomacho nempe, si ipse est; hepati verò, si ipsum: vt nimirum ex ipsis per illa loca sic euacuando reuellatur. Quapropter dico, quòd distantissimus locus per se nõ requiratur: sed si in distanti cauteria ponantur, id vel esse propter minorem molestiam aut periculum; vel propter originem, quæ ibi est; vel quia illa loca putantur ob communionem venarum ex ipsa origine magis euacuare, & sic quodammodo virtualiter esse propinquiora. Quod si distantia per se expeteretur, non apud humeros & super genua, sed prope manus ac pedes ponenda essent: vbi tamen manifestum est multò minus esse profutura. Vna tamen exceptio est, in qua ad distantissimas partes per se reuulsio indicatur facienda, cum nimirum locus originis est ignotus. tunc enim quia pars mandans non cognoscitur, non potest iuxta ipsam cauterium poni; quare in brachijs ac cruribus, tan-

quam distantissimis partibus, poni debet. Nam si in dolore capitis per consensum origo fluxionis dubia esset, sed tamen suspicaremur stomachum esse, ac super ipsum cauterium poneremus, interim autem esset vterus; non exiguam læsionem induceremus: sin autem pedibus adhiberemus, nullus iam error contingere posset. Nam quæcunque origo fluxionis foret, semper cauterium in crure positum à capite reuelleret. Sed & alia exceptio est; cum nempe à toto fluxio promanat: nam etiam tunc ad distantissima est reuellendum. Propterea in febribus mali moris & pestilentibus vesicatoria extremis artubus, ad quàm distantissimè à corde reuocandum, inducuntur. Tum enim nec origo spectanda est, quia nusquam est, vel potius est vbique; neque contrarietas, quia cum ab omni parte humor fluat, in omni loco est contrarietas; neque communio venarum, quia est à toto; neque lateris rectitudo, quia non est ab vllo determinato latere: sed sola distantia, quæ in extremis manibus pedibusque est quærenda. Ideò in prædictis febribus hodie vsitatum est manuum carpis & pedum plantis vtrinque vesicatoria applicare: in quibus certè nullius alterius conditionis, quàm quæ ad distantissimas partes est, ratio habetur: quæ tamen per accidens secum trahit aliquam motus humoris contrarietatem. Et hoc quidem notandum magis in ve-

in vesicatorijs, quàm fonticulis aut setonibus locum habere; propterea quòd ipsa multò potentius trahant: dictum autem supra est hanc ad distantissima reuulsionem in ijs tantum, quæ trahendi vim habent, locum habere. Ita in lethargo quoque, in epilepsia Oribasius 2. de col. med. c. 13, Paulus lib. 3. c. 9, Trallianus lib. 1. c. 14. & 15. phœnigmos extremis partibus induxerunt.

CAP. X. *An ad originem, secundum communionem venarum & è directo cauterijs sit reuellendum.*

TErtia ergo cõditio est, vt ad originem fiat reuulsio. Etenim si ad originem fiat, fiet in contrarium motus: origo enim terminus est à quo, qui est contrarius termino, ad quẽ humor fertur; quare & contrarius motus erit, qui inter eos fiet. Propterea in cõtrarium & ad originem, conditiones sunt valde similes, eoque solo differre videntur, quòd origo terminum quendam præscribat contrarietatis. Fiet etiam secundum communionem venarum: nam origo fluxionis & terminus ipsius ductuum habent communionem: ideò si eò reducitur vnde fluxit, eadem venarum communio obseruabitur. Fiet etiam cata ixim, quia origo & terminus communiter sunt è directo; humorum enim fluxiones è directo fieri solent.

Atque

Atque hæc conditio valde primaria est, vt videantur aliæ quodammodo ad ipsam esse ordinatæ. Nam imprimis conditio cata ixim est propter venarum communionem, venarum communio est, vt ea habita ad originem & in contrarium motus possit humor reuocari. Potior quoque est conditione cata ixim: etenim semper ad originem reuellendum est, non semper autem è directo: vt cum fluxiones è directo non feruntur. Differt ab illa quæ est ad distantissimas partes, quòd illa non sit semper ad originem, sed ad aliquam partem contrariam valde remotam à parte recipiente: nam etiam ad distantissimas partes reuulsio fit cum nullus adhuc fluxus est, sed tantum timetur; quo tempore nulla adhuc est origo: hæc verò sit ad eam partem, in qua principium est fluxionis. Secundum hanc conditionem, cum à capite fluxio est in partes subiectas, capiti; cum à stomacho aut vtero, abdominis regioni, in qua eorum est situs, cauteria superponuntur. Confert maximè hæc reuulsio cùm ipsa pars mandans, idiopathia quoque laborat: tunc enim cauterium ibi adhibitum & reuellit, & multũ à parte affecta euacuat. conuenit etiam cum origo fluxionis non est ignota. Porrò in cauterijs ista reuulsio maximè est attendenda, eò quòd cauteria euacuando ab origine omnem suam perficiant reuulsionem: eoque magis, quòd ipsa per cauterium, vt e-

vt etiã cucurbitulas & hyrudines, magis quàm per vllum aliud reuulsionis genus possit adimpleri. Nam quæcũque pars origo alicuius fluxus sit, ei potest cauterium adhiberi: non potest autem vbique vena secari, quia non in omni cutis loco venæ sunt ex ea parte proximè orientes. Eodẽ modo nec purgatione, nec ligatura, nec dolorificis illud effici potest. Quarta conditio est, vt reuulsio fiat secundum communionem venarum & ductuum. Est autem illa etiam valde vtilis, præcipuè si cum conditione in contrarium sit coniuncta: nam cõmunio ductuum nihil est nisi contrarietas obseruetur, & contrà quæ in contrarium fit, tunc quoque est validissima, cum fit secundum prædictam communionem. Fluũt enim humores prout ductus ipsi per quos feruntur: vt ergo in contrarium recurrant debent eidem ductus obseruari. Huic cõditioni ea quę cata ixim est, fere inseruit: quia rectitudo non tam per se expetitur, quàm propter meatuum communionem. Notandum autem est, quòd ipsa maximè sit obseruanda in ijs reuulsionibus, quæ sanguinem & humores per venas reuellunt, ac maximè in venæ sectione: in alijs, quę per habitum corporis, carnem ac cutem trahunt, non ita. Quapropter in cauterijs sæpe attendenda est, sæpe non ita. In tumoribus ab humoribus sub cute dilabentibus, in arthritide & similibus, exigui momenti est; in ijs quæ à partibus

tibus internis, maximi: & ideò tum in ijs iuxta venas magnas semper cauteriorum locus est inuestigandus. Quinta conditio est, vt reuulsio fiat è directo. Hæc differt ab ea quæ est in contrarium; quòd, quæ in contrarium est, non debeat necessariò in eodem latere esse. Nam si fluente humore in pedem dextrum, vena secaretur in brachio sinistro; esset ibi quidem contrarietas sursum & deorsum, minimè tamen rectitudo. Ita contrà etiam è directo tractio fieri potest, quæ tamen minimè in contrarium sit. Si ex hepate in dextrum testem fluxio ferretur, & vena in pede secaretur; è directo tractio esset: non esset tamen in contrarium. Differt hæc à conditione ad originem, quòd quæ ad originem est, è directo fiat: propterea quod humores è directo fluant; non econtra: vt in dicto exemplo patet. Differt ab ea, quæ est secundum communionem venarum, quòd quæ è directo sunt, habeant communionem venarum; dextra enim cum dextris, sinistra cum sinistris communicant venis: non contrà. Potest enim etiam in partibus non è directo positis communio venarum esse: nam crura inter se communicant venis, minimè tamen è directo sunt. Hæc conditio est necessaria valde in omni reuulsione: nam ea obseruata, & conditio in contrarium, & secundum communionem venarum, & secundum originem obseruatur. Magna enim laterum est

sympa-

sympathia, videmusque & humores è directo fluere, & morbos partium è directo positarum euacuationibus sæpe quàm citissimè curari, aduersarũ verò non item. Nihilominus tamen hæc conditio in reuulsionibus per cauteria faciendis locum minimè habet, sed ijs præcipuè conuenit reuellentibus præsidijs, quæ insigni trahendi potentiâ pollent: cauteria verò lentè ac debiliter reuellunt, imò non reuellunt quidem; nisi in quantum à parte euacuant. euacuatio verò à parte imprimis rectitudinem expetit. Denique, etsi ea præsidia quæ per venas euacuant, aliquando latus immutare possint, propter ductuum & venarum, quæ aliquando est inter oppositas partes, communionem; ea tamen quæ per musculos cutim ac carnem trahunt, magis debẽt partium rectitudinẽ obseruare: propterea quòd, qui per illas vias humores mouentur, à grauitate sua plerumque agitentur: quæ deorsum secundum rectitudinem agit: in quorum numero cauteria sunt ponenda.

CAP. XI. *De cauterijs singularum partium à capite ad calcem.*

HOc capite ad maiorem huius doctrinæ lucem placet in particulari singula per vniuersum corpus cauteriorum loca suis vsibus, ad quos ibi à medicis & antiquis & modernis vsurpari solent, donata, recenſere.

Scribit Razes in libello suo de cauterijs, quòd antiqui sui pluribus in locis, quàm ipsi, cauteria facere solerent: ego vero meritò dicere possum, quòd moderni nostri in multò adhuc paucioribus quàm Razes ijs vtantur. Quapropter licet cauteria distinguere in ordinaria, seu vsitata, & in extraordinaria, seu rara. Ordinaria sunt decem; vnum in vertice, apud commissuram coronalem; vnum in occipite, vbi exit è capite spinalis medulla; quatuor in brachijs; quatuor in cruribus: rara & inusitata plurima sunt: quæ tamen in antiquorum lectione annotaui, præcipua breui quadam serie recensebo. Imprimis autem caput solent cauterijs multis & diuersis locis inurere, interdum sex, octo, decem, duodecim: sicut infra libro quinto dicemus. Ægineta lib. 6. c. 2. nonnulla recenset: vnum ibi ponit in priore parte capitis supra synciput, aliud illo inferius, paulò, inquit, superius, quàm frons habetur, vbi fere pili desinunt: nonnulla ponit in occipitio: alia duo iuxta ossa squamosa. Aetius lib. 6. c. 28. præter vnum, quod ponitur in concauitate occipitij, ponit etiam duo ad latera ipsius; quæ Barbaris vocantur cornua, super nimirum eminentias illas, quæ sunt in posteriore capitis parte: tria insuper aut quatuor in vertice: vnum in ipso capitis meditullio: tria, inquit, in circuitu: ac eadem fere loca apud Hippocratem, Auicennam, Razem, Albucasim, alios-

aliosque vri solita videmus. Possunt autem ista omnia ad sex redigi: primum est, quod ponitur in medio futuræ coronalis, secũdum ponitur in angulo futuræ lambdoidis, tertium in medio futuræ sagittalis, quartum in fronte vbi desinunt capilli, quintum vtrinque ad futuras ossis squamosi, sextum in occipitio & cornibus ipsius. Possunt autem in singulis ijs locis, vel vnum tantum, vel plura poni; pro vniuscuiusque intentione & scopo. Hæc omnia sunt ad capitis calefactionem, exiccationem, roborationem, ad humorum vaporumque è capite euacuationem, & fluxuum, qui in partes subiectas feruntur, reuulsionem & deriuationem.

Præter hæc insuper & tempora vruntur, vt venæ & arteriæ, quæ illic sunt, claudantur; pro rheumate oculorum & euaporatione in caput: vti Auicenna, Razes, Aetius, Celsus, Albucasis, Alyabbas, testantur.

In palpebris & supercilijs vstiones fiunt ad palpebrarum laxitatem exiccãdam & pilorum generationẽ impediendam: de quibus vidẽdus est Albucasis lib. 1. c. 16. & Alyab. 9. pract. c. 71.

In angulo oculi, ad ægilopem cauteria ponit Galenus 5. de compos. medi. sec. loc. c. 2, Razes lib. diuis. c. 128, Albucasis, alijque.

In naso, pro polypo exurendo Hippocr. 2. de morb. Paulus lib. 6. c. 25. & ad ozænam Celsus lib. 7. c. 11.

In ore,

In ore, ad corrosos dentes cauterizauit Galenus 4.de compos.med.sec.loc.c.9, Auic.lib. 3.fen.7.c.11.& ad vuulam tumentem Razes 9. rei med.c.47, Ægineta lib.6.c.31.

Post aurem & per aurem, pro tinnitu aurium, dolore oculorum & dentium, vrendum docuit Razes in libello de cauter.

Sectorium sub mento, ad dentium dolorem, faciei spasmum, maculas, fœdaque vlcera conferre ibidem tradidit.

In labijs vsſit Albuc. lib.1. suæ chyrurg. c. 19.ad eorum fissuras.

Sectorium in collo prope venas organicas poni docuit Razes loco citato, ad faucium collique dolores, ad interceptionem frigidarum materiarum per eas partes sursum ascẽdentium.

Ad radicem gutturis contra asthma & vitia pulmonis asperæque arteriæ, vt raucedinem & similia, poni testatur Albucasis lib.1.c.24. & ad vertebras colli quoque pro eodem vsu.

Super scapulas ponuntur ad humerorum & scapularum dolores; hodieque à multis ad capitis præcipuè vitia, epilepsiam, hemicraniam, affixi ibidem fonticuli admodum probantur: propterea quod melius magisq; ob vicinitatem è capite deriuent, quàm quę in brachijs ponũtur.

In furcula superiore thoracis crustæ fiunt, ad exiccandas & dissipandas materias in thorace contentas.

Sub

Sub ala, ad humerorum dislocationem poni, testes sunt Hippocr. lib. de art. c. 12, Ægineta lib. 6. c. 42, Alyab. 9. pract. c. 73. Vtilius autem ad cordis pulmonisque affectus ibi ponuntur, sicut & in inguinibus; præcipuè tempore pestis; ad venenosæ materiæ per ea loca, tanquam propria cordis hepatisque emunctoria, deriuationem.

Super pectus & in dorso pluribus locis cauteria fiunt, ad extrahendas materias purulentas & serum in hydrope in ventris cauitate collectum: de quibus videndi Hippocrates & Galenus 7. aphor. 44, & 3. de morb. c. 27, Auicenna lib. 3. fen. 10. tr. 5. c. 5. Ægineta lib. 6. c. 44. Celsus lib. 8. c. 9, Aetius tetrab. 3. serm. 1. c. 65. Albucasis, Damascenus, alijque.

In dorso, præter affectus pulmonis, pro oris ventriculi vitijs, paralysi, arthritide, spinalis medullæ & neruorum refrigeratione: in loco vero dorsi inferiore, pro affectibus hepatis & splenis. Raz. lib. de caut.

In regione ventriculi sub cartilagine bifurcata ad duos digitos supra vmbilicum ponuntur fonticuli & setones, pro frigida & humida vētriculi intemperie, nuda vel cum affluxu humoris: ad reuulsionem in affectibus capitis, qui vitio stomachi fiunt, faciendam. Vide Albuc. lib. 1. c. 27, Æginetam lib. 6. c. 49, Auicen. lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. Si vitium non in ipso stoma-

cho, sed stomachi orificio existit, in dorso circa decimam tertiam vertebram cauterium est ponendum.

In regione hepatis in dextro latere sub costis, ad diuturnos dolores & frigidos hepatis affectus, eiusq; tumores & crassos flatus, Hippocrates lib. de inter. aff. c. 21. plurimas crustas inussit.

In sinistro latere in regione splenis, ad eius tumores & humiditates poni, testis est idē loco citato, & Auicen. lib. 3. fen. 16. tr. 1. c. 7, Æginета, Albucasis, alijque.

In loco renum ad antiqua eorum vlcera & materiam quæ in eis indies in saniem vertitur: ad sterilitatem quoque ex eis & frigiditatem: testis est Albuc. lib. 1. c. 38.

Vmbilicus cauterio vritur in exomphalo; vel setone transfigitur, cum intumescit in hydrope; ad aquæ ipsius eductionem.

Super toto ventre ad colicam & diarrhæam, Albucasis lib. 1. ad aquæ in hydropicis eductionem, Hippocrates lib. de inter. aff. c. 7. ad puris in abscessu hepatis euacuationem, 7. aphor. 45. cauterizârunt.

Super ventre inferiore in pectine, ad vesicæ affectus, resolutionem, vrinæ difficultatem, matricis frigidam humidamque intemperiem, sterilitatē, & omnes affectus partium superiorum, qui vitio vteri contingunt. Vide Albucas. lib. 1. c. 38. 39. 40.

In ingui-

In inguinibus ad herniam vstiones fieri testantur, Ægineta lib. 6. c. 66. Auicenna lib. 3. fen. 22. tr. 1. c. 5. Damascenus lib. 7. c. 16. Albucasis, Alyabbas, &c.

In scroto setones figuntur cum in hydrope ipsum aqua tumet, ad eius euacuationem; vel cauteria acuta ad paracentesim, in herniæ aquosæ curatione. Videndus est Auicenna lib. 3. fen. 22. tr. 1. c. 6. Razes lib. 1. diuis. c. 101. Ægineta lib. 6. c. 62. Aetius lib. 14. c. 21. Damascenus lib. 7. c. 16. Moderni ibidem positis cauterijs ad pestis præcautionem vtuntur.

In ano vstiones fiunt ad hæmorrhoides, ad maligna vlcera, & excrescentias ibi genitas, ad sedis procidentiam: sicut Albuc. 1. c. 36. & 37. & Aetius lib. 14. c. 7. ostendunt.

In coxendice ad ischiadem varijs in locis, vario numero & instrumentis, medici omnes cauteria inusserunt.

Super osse sacro fiunt ad paralysim partium inferiorum, ad vteri & ani procidentiam, cum à laxatis tendinibus, quę vterum costis alligant, contingit.

Super genu & sub genu in parte exteriore, pro coxæ & genuum doloribus; in parte verò interiore, pro vteri & vesicæ vitijs: ad humorum ex illis partibus, & ex hepate, deriuationem & reuulsionem, ponuntur.

Super tibias, ad varices & ad vlcera maligna:

vt Aetius lib. 14. c. 85. & Celsus lib. 8. c. 31. fecerunt.

Super digitis, partim fiunt ad arthritidem eorum, vt constat ex Hippocrate lib. de affect. c. 32. partim, pro malignis, quæ in ijs contingere possunt, vlceribus: quomodo in panaricio sanioso & vlcerato Auicen. 4. 7. tr. 4. c. de cura panaricij, digitos ipsos docuit vrendos.

Porro in planta pedis ad pedum dolores ponenda etiam cauteria Razes in libello de cauterijs tradidit.

CAP. XII. De cauterijs capitis in particulari, & quas vires habeant.

INter prædictarum omnium partium cauteria nulla maioris momenti sunt, quàm quæ capiti adhibentur: sed nec vlla, quæ tam exigui spatij variatione, tantopere vires suas & effectus varient: quare de ijs particularem hanc non est inconueniens instituere disquisitionem. Quapropter animaduertere oportet non omnium capitis vstionum eandem esse vim & facultatem: omnes conueniunt in effectu primo & per se vstionis, nempe calefactione & exiccatione: omnes enim caput calefaciunt & exiccant; sed an æqualiter, sic est distinguendum. Nam habita consyderatione ad certas cerebri particulas, non omnes eadem vstio æquè alterat, sed vna magis hanc, alia illam: vnaquæque enim

enim illam magis calefacit, cui maximè est vicina: vstiones quidem, commissuræ coronalis, magis partem anteriorem; occipitis verò, magis ipsum cerebellum; quæ ad futuras squamosas fiunt, cerebri latus. Verum habita consyderatione ad totum cerebrũ, etsi omnes ipsum æqualiter calefacere debere videantur, propterea quod cum omnes sint in cranio & cerebri peripheria, æquè omnes ab eius centro distent; tamen, quia illa quæ ad futuram coronalem fit, propter concursum futurarum quæ illic est, magis potest actionem suam & vim facere penetrare; ideò ipsa magis reliquis potest totum cerebrum alterare. Hanc sequitur, quæ ad futuras ossium squamosorum fit: & quia ibi cerebrum mollius est & humidius, & quia ossa ibi sunt tenuiora: omnium minime alterat occipitis vstio, quòd ab ipso cerebro magis sit remota. Porro omnes cum apertæ tenentur, præcipuè quæ iuxta futuras ponuntur, nonnihil quoque euacuant. Inter eas autem præcipuè id agunt vstio futuræ coronalis & occipitis: illa propter duas causas; primò propter concursum futurarum, propter quem facilior illac excrementorũ est exitus; secundò propter rectitudinem, ob quam vapores rectà sursum moti in illũ locum incidunt & sic expirant: hæc autem propter foramen magnum, quod illic in cranio est, & propter meatum spinalis medullæ manife-

ſtum, per quem poſſunt humores pituitoſi excerni. Quapropter facta inter omnia capitis cauteria comparatione; cauterium occipitis magis eſt euacuationi appropriatum; cauterium ſuturæ coronalis partim calefactioni & exiccationi, partim euacuationi; reliqua tantum alterationi: nam etſi forte adhuc non tantum quantum coronale alterent, quia tamen ſolum alterant, nec vnquam ad euacuationem ponuntur, ideò magis illo alterationi appropriantur. Sed non immeritò quæſitum eſt, ſi duo illa euacuationi deſtinentur, coronale & occipitis; cum duo ſint quæ poſſint è capite euacuari, humores nempe & vapores; vtrum iſtorum duorum magis hos aut illos euacuet, an verò vtrumque æqualiter vtrosque. Dico autem breuiter, quòd cauteria quæ ſunt in ſuperiori parte capitis, non bene poſſint humores, ſed tantum vapores euacuare: econtrà quæ in occipitio, optimè humores, minus autem vapores. Ratio eſt, quia humores ac præcipuè pituitoſus, cuius gratia talia cauteria expetuntur, ſunt graues; vnde nequeunt ſurſum ferri: vapores verò leuitate ſua minimè deorſum, ſed ſurſum feruntur. ſecundò, quia ſuturæ ſunt denſæ, & nõ ita concedunt tranſitum ſpiſſo & viſcido humori, ſed tantum vaporibus: foramen verò occipitij eſt apertum & latum. Etenim per cranium nullam videmus ſenſibilem aut ſolidam humorum fieri euacuationem, ſed quid-

quidquid inde exit per diaphoresim & insensibilem transpirationem exhalat. Caput enim est instar camini cuiusdam reliquo corpori superpositi, locus verò suturæ coronalis est tanquam camini foramen, ad quod vapores omnes fumique recto itinere feruntur, quod quo latius magisque peruium est ac minus occlusum, eò absque dubio multò facilius vapores omnes patietur expirare. At verò cauterium occipitis, cum sit in loco demissiore, eoque per quem cerebrum sæpe solet excrementa sua expellere, vt patet in apoplexia, paralysi, catharris, & vbi est apertus ex cerebri ventriculis extra cranium meatus, per quem crassi humores liberè sine vllo membranarum aut alterius corporis medij impedimento, possunt commeare; meritò potest humores, non autem vapores, quorum est in sublime abire, euacuare. Hoc testatur Razes libello de Cauter. cùm dicit, cauterium suturæ coronalis præcipuè valere in mania, & maximè quando, inquit, est ex fumo & ventositate. & ideò Albucasis, Halyabbas, Guido, Brunus, Gulielmus, Lanfrancus, Rogerius, alijque, cauterium coronale ad euaporandum cerebrum laudauerunt: scribitque Albucasis lib. 1. c. 2. quod ideò antiqui ipsum inurentes simul & os ipsum incendebant & desquamabant, vt tanto cranium tenuius esset; vt sic vapores inde melius expirarent. Non solum autem cauterium

ſuturæ coronalis, ſed quæcunque in ſublimi capitis parte ponuntur huic vaporum euacuationi ſeruiunt: verum inter ea primum locum occupat quod eſt iuxta ſuturam coronalem; & quia rectitudinem habet, & quia ſuturarum duarum connexionem, & quia ſitum habet in medio ventriculorum cerebri: tum cauterium ſuturæ ſagittalis: inde lambdoidis. Sed obijciet aliquis: ſi vapores illinc perſpiratu diſſiparentur, multò magis ſpiritus cerebri, cum ſint ſubtiliores: hoc autem minimè fit, nam ex eo actionum animalium læſio & debilitas perciperetur: aut ſi fit, omnino eiuſmodi cauterij vſus eſſet damnandus. Verum reſpondeo ſequelam illam neceſſariam minimè eſſe. Etenim vapores rectà aſcendunt, & à nullo niſi leuitate ſua regũtur, & cum ad cerebrum veniunt, etiam à cerebri expultrice vi foras protruduntur: verum ſpiritus reguntur non à propria leuitate, ſed ab anima; quare non ſic ſurſum, ſicut vapores, ad cauterij locum feruntur, ſed in ſuis ductibus ac ventriculis permanent. Obijciet ſecundò, quòd, etſi detur illud cauterium euacuare vapores, adhuc tamen nullus poterit ipſius eſſe vſus; quia trahendo à ſubiectis omnibus partibus & toto corpore verſus caput, ipſum replebit & periculum non exiguum adferet: & plus noxæ trahendo à toto, quàm euacuando à capite eſt allaturum. Nam quomodo poterit iuuare

uare euacuando vapores, si alios iterum trahat? nam sic omnis euacuatio inutilis euadet & sine fine. Verũ respondeo, non esse ab ipsius tractione multum timendum, eò quòd exigua propriè trahendi facultas cauterijs insit, & vt non nihil trahat, exigua tamen inde noxa erit in comparatione ad vtilitatem, quæ proueniet ratione euacuationis ab ipso capite: & ideò dico, quòd propterea quoque tantum ponendum erit hoc cauterium in malo diuturno; vbi, siue aliquid sit quod trahat, siue non, æque tamen solitus est vapor in caput ferri: tum quoque, vbi primum partibus inferioribus cauteria ad reuellendum, & forte etiam alia ad intercipiendum, aut deriuandum, fuerint adhibita. Quapropter cum hoc cauterium appropriatum sit vaporum expirationi, patet quòd in illis affectibus qui à tenui & bilioso fiunt humore atque à vaporibus, adeoque materia per exiguos futuræ meatus & sursum ferri aptâ, sit cõueniens. Proinde in vertigine, quæ fit ab acribus humoribus; in mania & melancholia, quæ fit à melancholicis fumis, qui ex hypochondrijs ascendunt; in epilepsia causata ab aura tenui ascendente, ipsum præstantissimum est. & ideò in his, & præcipuè in mania & melancholia, quæ sæpissimè à talibus melancholicis exhalationibus originem habet, à medicis summopere est laudatũ: vti Razes in libello de caut. testatur. Sed & Isaac 9. pract.

c. 77.

c.77.in lepra in ſutura coronali,vt,inquit,fumi eorum caput petentes illac euacuentur, vrendum monet. Sed dubitari meritò poteſt, an ergo in illis tantum, an non verò etiam in affectibus qui ab humoribus fiunt,cauterium ſuturæ coronalis locum habeat. Equidem & humores euacuare videtur, & ad frigidos & humorales & pituitoſos capitis affectus ab antiquis adhibitum fuiſſe. Nam ipſi ſuper verticem capitis in defluxibus & deſtillationibus in pectus, in aſthmate, tuſſi antiqua; ad reuellendum phœnigmos-poſuerunt: nempe ad humoris pituitoſi per illam partem,antequam in ſubiecta membra delaberetur,euacuationem: vti Galenus 5. meth.c.vlt.& Paulus lib.7.c.19.teſtantur.Scribit Albucaſis lib.1.c.2. quod antiqui in cephalæa verticem ſic deſquamabant & apertam tenebant: non alio vtique fine,quàm ad humoris pituitoſi,qui cephalææ cauſa eſt, illac eductionem. & in eundem finem ipſe lib.6. c.50. pro cephalææ curatione caput ſuperius exulcerat: quod & Paulum, Celſum, Cęlium Aurelianum feciſſe videre eſt. Denique Iſaac 9.pract.c.76. dicit, quod antiqui in deſtillatione ad pectus caput ſupernè cum oliuari vſque ad os vrebant: vt,inquit,humiditas capitis per illa loca ſic diſſoluta purgaretur: & Auicenna fen.1.3.tr.1.c. 29.ponit ibidem cauterium,ad humoris è capite euacuationem. Verum pro ſolutione dico:

quòd

quòd cauterium in ſutura coronali, & vbicunque ſupra cranium & ſuturas poſitum non ſolum vapores, ſed etiam humores, euacuet. Emittit enim & ibi ſordes craſſas ſicut in alijs locis: ſordium autem illarum materiam manifeſtum eſt non vaporem, ſed humorem eſſe. Verum tamen, etſi antiqui ad catharros, cephalæam, hemicraniam, apoplexiam, lethargum, aliosque diuturnos & frigidos, & à pituitoſo humore factos cerebri morbos, & veſicatoria & etiam cauteria capiti ſuperpoſuerint, cum ea intentione, vt vlcera diu fluerent, & pituitoſus humor intra cranium detentus, qui mali cauſa eſſet, per illa euacuaretur; nihilominus tamen puto humorem qui per iſtas ſordes exit, non ex internis cerebri partibus, ſed tantum ijs quæ extra cranium ſunt, prouenire. Non nego quidem, quin aliquid etiam ex internis partibus per ea euacuetur, ſed id exiguum eſt ac parui momenti. Vnde conferunt quidem cauteria in illis affectibus ratione exiccationis & calefactionis; at ratione euacuationis humoris pituitoſi, perparum aut nihil. Quapropter opinor factos & iam condenſatos humores per ſuperna cauteria non euacuari, ac propterea in primarijs cerebri affectibus ab humore in ipſo congeſto cauſatis, ibipoſita nil prodeſſe. Alia tamẽ ratione proſunt humoralibus affectibus, humoreſque euacuant, quatenus nimirum euacuant vapores

pores qui in caput ex infernis partibus ascendunt, ibiq́ue concreti & coagulati humorum materia euadunt: vnde euacuando proximam humorum materiam, non immeritò humores euacuare dicuntur. Et secundum hanc rationem, tum in prædictis humoralibus capitis affectibus, tum quibuscunque alijs ab humorum ex vaporibus generatorum præsentia causatis, antecedentem mali causam, nempe vaporem, antequam in humorem abeat, euacuando; singulariter conferunt: non autem in ijs qui primario cerebri affectu facti sunt. sicq́ue non humorem actu sed potentiâ existentem, seu ipsam humoris materiam; nempe vaporem: neque humorem in forma & consistentiâ propriâ, sed vaporis tantum, euacuant. Deniq; cum pars aliqua inferior laborat per defluxũ è capite talis humoris, qui ex præcedente vaporũ, siue ex eadẽ, siue ex alia parte, in caput ascensu genitus sit; cauteriũ in futura coronali, aut vesicatoriũ vertici inductum, ei reuulsoria ratione prosunt: quatenus euacuando humoris proximam materiam, ipsum quodammodo humorem, antequam fluat, auertunt. quod est reuulsio humoris potentiâ fluentis. Atque hoc modo intelligendum est, quòd dicit Guido; Albucasim, Halyabbatem, Brunum, Gulielmum, Lanfrancum, Rogerium, ad euaporandum cerebrum & diuertendas materias, quæ ad partes subiectas fluunt, cauterium in su-

in futura coronali laudauisse. Quocirca, siue sit affectus humoralis capitis, causatus ab ascensu vaporum, qui ibi condensantur; siue affectus partis inferioris à destillatione dependens, cuius origo sit prior in caput effumatio: cauterium in vertice confert. Sed animaduertendnm est: si vapor, vt talis, morbum faciat, tantum cauterium coronale, non occipitis, conferre; sin vapor qui concrescit, & cauterium coronale iuuare, euacuando vaporem antequam cõcrescat, & occipitis, euacuando nonnihil istius quod expirare nõ potuit, cum iam in humoris formã ac consistentiam est permutatum. Si ab humore solo, non à præuio vapore orto, sed à cerebri frigiditate congesto, in ipso cerebro; vel inde vlterius deorsum destillante, in stomacho, aut pulmone, &c. affectio generetur: tum non coronale, sed occipitis cauterium vtilitatem habet. Verum, etsi cum humor morbificus ex prę-uio vapore ortus est, vtrumque tunc cauterium prosit, si tamen alterum tantum ponendum esset, vel id suadẽte ægri debilitate, vel ipso duorum molestiam recusante; vtrum tum præstantius esset? Dico itaque distinctione opus esse: nam si vapor, qui in cerebro concreuit, in ipso maneat, in eoque morbum faciat, præstantius est cauterium occipitis; sin inde iterum destillet in partes subiectas, prę-stantius est coronale. Ratio est, quia ibi cauterium occipitis ex parte

reuel-

reuelleret, deriuaret & interciperet aſcenſum; coronale verò per partem affectam traheret: hic coronale reuelleret, quod deſtillat; occipitis verò tantum deriuaret. Eſt & altera ratio potior. Si enim ſpes eſſet, quòd coronale poſſet omnes vapores aſcendentes tranſmittere & educere, ſic vt nihil in humorem concreſceret; melius vtrobique eſſet coronale: ſed quia fieri non poteſt, quin pars vaporis magna ſemper hæreat & condenſetur in humorem; ideo cum humor ille in capite affectum facit, melius eſt tale cauterium eſſe, quod euacuet humorem morbificum: cùm verò iterum humor è capite regreditur deſtillãdo, præſtat tale, quod tranſmittat vaporem, antequam condenſetur & deſcendat. Ex prędictis patet, quod cauterium coronale deriuatoriam & euacuatoriam à parte vim habeat, cum affectus cerebro ineſt; ſiue à vapore, ſiue ab humore ex vapore genito ſit cauſatus: nam per ſe euacuat vaporem, & per accidens euacuat humorem, euacuatione vaporis ex quo ipſe conſtat. Habet & reuulſoriam vim, cum aliqua pars inferior per cerebri conſenſum laborat, à deſtillatione humoris è vapore generati: nam euacuando vaporem, qui eſt humoris materia, per accidens euacuat humorem: euacuando humorẽ in capite exiſtentem, reuellit. Etenim is eſt qui potentiâ fluit, cuius euacuatio reuulſio eſt, vti ſupra à nobis

eſt

est ostensum. Ita Paulus lib. 6. c. 2, Cælius Aurelianus lib. 3. c. 1, Isaac 9. pract. c. 76. dicunt pro defluxionibus à capite in pectus, ad reuulsionem, cauteria vertici inuri solita esse: vt illac è capite humores, antequam deorsum destillarent, euacuarentur: & Oribasius lib. 10. collect. c. 13, Paulus lib. 7. c. 19, & Galenus 5. meth. c. vlt. &c. phœnigmos & sinapismos vertici inducere, ad humorum in subiectas partes destillantium reuulsionem, docuerunt. Est & alius illius cauterij vsus, cuius Razes libello de caut. meminit, pro fluxibus qui in oculos, in dentem & faciem per superiora delabuntur: vbi intercipientis remedij naturam obtinet. Cauterium occipitis in affectibus capitis humoralibus per congestionem & protopathiam genitis rationem habet remedij euacuantis à parte: ideò in omnibus ijs qui cum materia sunt, quibúsque cauteria vlla prodesse vllo modo possunt, vt in epilepsia, dolore capitis, paralysi, caro, deperdita memoria, &c. locum habet. In vitijs capitis per cõsensum à vaporibus partium inferiorum, cum collum sit pars per quam omnes isti vapores debent ascendere, intercipiendi nonnullam vim habet: etsi setones ad latera colli positi ob situm venarum & arteriarum ea magis polleant. Habet etiam ob contrarietatem vim reuellendi, sed exiguam; propter nimis magnam propinquitatem, quæ reuulsioni

facit

facit impedimentum. Aſt econtrà in affectibus partium inferiorum cauſatis à defluxu humorum à capite, ratione vicinitatis ad partem mãdantem, à qua humorẽ qui eſt in potentia fluendi, poteſt euacuare; reuellendi poteſtatem obtinet: quia vero etiam intermedio loco eſt, atque à latere, fluentesque actu humores in medio curſus poteſt euacuare; partim deriuantis, partim intercipientis naturam gerit. Merè interceptorium eſt, ſi à capite per carnem & cutem colli aut per ſpinalem medullam in articulos aut neruos fluxio delabatur. Notãdum autem eſt, quòd, etſi & cauterium coronale & occipitis, in fluxibus à capite in ſubiectas partes, reuulſoriam, vti iam dictum eſt, vim obtineant; tamen inter ipſa aliqua diuerſitas eſt. Nam cum fluxio fertur vltra collum ac longè infra, tum occipitij cauterium reuellit: cum verò tantum vel in aſperam aſperiam, fauces, gulam, muſculos externos aut internos colli; minimè: in his autem ſemper coronale cauterium reuellit. Si fluxio fertur in anteriorem corporis partem, in pectus, faciem, oculos, nares, cauteria ac phœnigmi colli reuellunt: vt Aetius lib. 7. c. 49, & communiter omnes practicantes teſtantur, in obſcuritate & fluxibus oculorum cauteria occipitio inurentes: ſi in partes poſteriores, in ſpinam, neruos & articulos; magis coronale cauterium reuellere putant ob duplicatam contrarietatem

rietatem: & ob id in ſpaſmo, paralyſi, tremore, ipſum occipitis cauterio cenſent præferendum. Hæc omnia clarè docere videtur Razes lib. de caut. cum cauterium coronale pro epilepſia & mania; occipitis verò, pro lethargo & doloribus oculorum dicit valere. Etenim cum coronale pro epilepſia & mania commendat, inſinuat valere ipſum in illis affectibus, qui ab aſcendentibus vaporibus progignũtur: cùm vero occipitis cauterium in lethargo vtile eſſe dicit, inſinuat ipſum ijs affectibus deſtinatum eſſe, qui à pituitoſo humore cauſantur: cum verò in doloribus oculorum; à partibus anterioribus reuellere oſtendit.

CAP. XIII. De viribus vſtionis ac ſectionis venarum capitis.

NOn inutile erit nunc docere quis vſus, quæ vires ſint illius vſtionis, ſeu ſectionis vaſorum verticis, aurium ac temporum à nobis ſuprà commemoratæ, & ab antiquis ſummopere commendatæ & ſæpiſſimè vſitatæ. Dicam ergo in quibus morbis remedium illud ab ijs fuerit laudatũ, & qua ratione & quantum vtilitatis adferat. Primo itaque in ophthalmia, in longis oculorũ fluxionibus, & cum, vt inquit Paulus, calidus acrisque pituitæ curſus in eos fertur, ſolent & verticis & arteriarum poſt aures & in tẽporibus; aliqui omnium,

alij duarum, alij vnius tantum partis vstionem instituere. Videndus est Aristoteles 31.probl. sect. 5. Auicen.fen.3. 3.tr.1. c.9. Razes 9.rei med.c.2. Ægineta lib.6.c.4. deinceps, Celsus lib.7.c.7.Aetius lib.7.c.88. Mesue,Albucasis, Alyabbas, Isaac, alijque. Fuit etiam commendatum hoc præsidium in catharris qui in subiectas partes delabuntur. Scribit Herodotus lib. 4. suæ historiæ Lybiæ populos pueris suis œsipo venas verticis vrere solitos esse, ne, inquit, ipsos vllo tempore à capite descendens pituita offenderet. Olim Scythæ ad intercipiendos catharros qui è capite in articulos fluebant,eis podagram adducentes, venas post aures adurebant, vt Hippocrates lib. de aere, aqua & locis est testatus. Tradit Albucasis lib.2.c.2.suæ chyrurg. cum catharri in oculos & in pectus incidunt & antiquatur malum, vtile remedium esse venas post aures incidere: & Hippocrates lib. 6. epidem. sect. 5. aphor.22. in fluxionibus ad coxas venas retrò aures monet esse secandas. In vertigine quoque illud Ægineta laudauit, proque ea lib.6. c.4. venas post aures dicit esse secandas:& Auicenna 3.fen.1.tr.5.c.3. ad vertiginis curationem venam quietam iuxta aures incidi iussit. optimum enim est,inquit, cum est ascensio vaporum ex quacũque corporis parte. Sed & in dolore capitis per consensum Auicenna fen.1.3.tr.1. c.33. dixit arterias temporum esse

esse inurendas ad intercipiendum, inquit, quæ per eas fluunt. In morbo comitiali Aretæus lib. 1. curat. diutur. c. 3. dixit arterias omnes ante & post aures esse incidendas. Pro hemicrania, pro antiqua cephalæa, pro capite humoribus repleto, arteriarum temporum & post aures sectionem ac vstionem commendârunt Hippocrates 2. de morbis c. 15. Ægineta lib. 6. c. 4. Aretæus lib. 1. curat. diutur. c. 2. Aetius lib. 6. c. 50. Razes lib. 9. c. 2. Isaac 9. pract. c. 7. & antiquissimus medicus Soranus Ephesius cap. 21. dicit etiam quod in occipitio propter querelas capitis incisio fiat vsque ad os, mensura quatuor digitorum; hãc absque dubio arteriarum, & venarum post aures sectionem intelligens. Quapropter cum in hisce malis hoc remedium ab antiquis sit vsitatum & valde commẽdatum, videndum an etiam tantopere prosit, & an effectus præconijs pares existant: hoc autem sciri nequit, nisi qua ratione conferat, cognoscatur. Notandum itaque est, duplicem, vt supra diximus, esse modum arterias & venas capitis siue aurium secandi: alium phlebotomandi seu aperiẽdi per phlebotomiam, sicut aliæ venę aperiuntur: alium ad præscindendum, dissecandúmve, ferro acuto vel candente. Illius sectionis finis est euacuatio sanguinis; euacuato autem sanguine vulnuscu-lum inflictum iterum curatur, & manet arteria vel vena integra sicut antę erat & cum ea idem,

qui ante, sanguinis & humorum per eas decursus.. quod si forte post illam apertionem necessum sit vt arteria præsecetur; hoc non ex intentione,, sed per accidens est, propter curationem profluuij sanguinis, quod casu superuênit, non autem ad curationem primi morbi, propter quem primò arteria aperiebatur. Huius alterius sectionis scopus & intentio per se & primaria non est vlla sanguinis euacuatio, sed occlusio ipsius arteriæ, vt non sit amplius vllus per eam humoris fluxus propter cicatricem quæ inducitur: per accidens verò quatenus contingit has arterias non sic posse bene præscindi sine effluuio sanguinis, aut quatenus dum præscinduntur, simul cõmodè & eâdem operâ etiam potest permitti, vt aliquid sanguinis elabatur; coniunctã etiam habet aliquam sanguinis euacuationem, etsi neque semper neque necessariò, cum non sit illi essentialis. Vnde ista sanguinis euacuatio non per se primò intenditur in istarum arteriarum amputatione, sed solum occlusio, etsi quoque per accidens adsit. Prior sectionis modus seu illorum vasorum phlebotomatio confert tanquam remedium euacuans venosum vel arteriosum, id est, valde calidum & spirituosum sanguinẽ & hoc nomine est conueniens remedium in omnibus affectibus capitis diuturnis à sanguine præcipuè calido, bilioso, spirituoso, flatuoso genitis; in vertigine, phrenitide, calidis oculorum

rum

rum affectibus, eorumque antiquis doloribus, maximè cum pulsatione; & cum arteriæ tumescere & pulsare videntur; & in quibus post venæ quietæ sectionem malum non cessauit. Denique vtilis est in omnibus capitis diuturnis vitijs, epilepsia, faciei fœditatibus, vitijs quæ supra caluariam sunt; prosuntque nõ tantum in externis sed etiam in internis malis. ratio est, quia, etsi venæ & arteriæ, quæ sunt post aures & in temporibus, sint externæ, præcipuéque tantùm euacuent ab externis partibus, quæ extra caluariam sunt, in quas disseminantur & desinunt; tamen, quia ipsæ sunt rami eorum vasorum, quæ sub faucibus coniunguntur cum alijs vasis quæ interiora cerebri petunt: ideò ratione istius communionis possunt ipsę etiã ex interiore cerebro euacuare, internisque eius affectibus conuenire. Etenim vena iugularis & arteria soporalis iuxta fauces diuiduntur, & vtriusque vnus ramus externa petens, post aures & per tempora; alius, interius in cerebrum fertur. hinc externus ramus incisus, propter communionem & coniunctionem quam habet cum illo qui interius mergitur, facultatem sortitur ex ipso cerebro euacuandi. Quapropter cum dicitur sectio venarum & arteriarum post aures plurimum capitis oculorumque affectibus conuenire, etiam internis & sine fluxione genitis; si de hac cum phlebotomo apertione mediante sanguinis euacuatio-

ne intelligatur; verum est, nec vlla ratione dubitandum. Galenus 6. de sanitate tuenda, multis locis id affirmauit. Nam sunt, inquit, capita quæ propter arteriarum temperamentum in vertigines & dolores incidunt, in quibus etiam incidere arterias solemus: & 4. de compositione medicam. sec. loc. vtimur etiam, inquit, sectionibus arteriarum; interdum quidem
" incidentes eas quæ retrò caput iuxta aures; in-
" terdum quæ in temporibus sunt: idque vt me-
" deamur dispositioni, quæ tunicis oculorum
" est genita, ob quam etiam optimus sanguis
" ad tunicas oculorum delatus corrumpitur.
" In quibus locis non de præsectione, sed phlebotomatione arteriarum illarum loquitur.
Clarissimè illud lib. de venæ sect. in fine dicit: sicut, inquit, venæ in toto corpore ob pro-
" prios affectus, ita & quæ in temporibus arte-
" riæ sunt, & post aures, medicis incidere mos
" est: in temporibus quidem infestantibus ocu-
" los fluxionibus, tum calidis, tum flatuosis:
" post aures verò, in vertiginosis maximè, &
" qui diuturnis doloribus capitis ac flatuosis af-
" fliguntur. Sed & ob alios, inquit, affectus diu-
" tinos in capite existentes, sunt qui arteriarum
" post aures vtantur sectione; non tamen in alia
" vlla particula affecta eam adhibuerunt, tam-
" etsi multæ sint, quibus hoc consilio magis,
" quàm venæ sectione, sit opus. Vbi enim ca-

liduss

lidus flatuosusque infestat sanguis in arterijs aceruatus, illic communibus parti affectæ arterijs sectis est opus. Razes etiam lib. 7. rei medic. c. 21, vbi de phlebotomia agit, enumerat venas, quæ inciduntur: inter quas & quæ in collo & in angulis oculorum, fronte, labijs, sub lingua, sunt; tum etiam temporum venas: quas pro hemicrania, pro vehementi capitis dolore, & diuturna ophthalmia dicit incidi. Verũ præsectio, seu amputatio, seu vstio venarum & arteriarum in temporibus, & post aures, non dirigitur ad euacuationem sanguinis, nec ea est ipsius scopus: nam si is eius esset scopus, non esset necessarium vasa amputari, sed aperiri: ideò nõ expetitur nec confert per se ratione euacuationis sanguinis, sed ratione occlusionis vasorum. Quapropter eius vsus, per se & primarius est, vt ipsa vasa occludantur; vt vijs per quas humores in certas partes fluunt, occlusis, non amplius eiusmodi humoribus transitus concedatur; sed fluxus, qui per eas fieri solebat, impedito transitu sistatur: & sic totus huius præsidij effectus & vis consistit in viarum, per quas humorum fit fluxus, interceptione. Nihilominus, cum contingat in præsecando vel sanguinem elabi, vel vltrò permitti, vt eius aliqua quantitas effluat, quod authores facere docuerunt; eatenus sic quoque per accidens euacuando à capite prodesse potest, & calidis cerebri morbis ratione

huius euacuationis conuenire; etiam morbis primario cerebri affectu genitis, etiamsi à nulla fluxione foueantur. Verum hic vsus est huic remedio per accidens, quia non expetitur propter illud, sed propter obstipationem: nec quoque ei semper est coniunctus; quia cùm vstione hæc vasa diuiduntur, sanguinis nulla euacuatio fit. Ideò cum per se tantum hoc remedium expetatur in ratione qua intercipit & humorum delationem impedit, tantum pro fluxibus est destinatum, & tantum conuenit in ijs affectibus, qui fouentur à fluxione per venas illas ac arterias factâ; præcipuéque pro fluxione calidi ac spirituosi sanguinis aut feruidorum fumorum. In alijs affectibus, qui à fluxione non sunt, non videtur conuenire: vbi enim fluxio non est, neque interceptio locum habet. Quapropter in omnibus ijs fluxibus, qui per illas venas dilabuntur, tanquam singulare remedium semper ab antiquis fuit commendatum & vsitatum: præcipuè autem pro defluxu in oculos, pro antiqua lachrymatione, ophthalmia, pro descensu catharrorum in pectus, pro difficili respiratione causata à capite, pro ascensu vaporum feruidorum aut venenosorum in caput, in vertigine, epilepsia, &c. sicut supra à nobis est ostensum. Quamuis autem pro acribus fumis & feruidis vaporibus ac spirituoso sanguine, qui per eas transeũt, hoc remedium sit inuentũ; tamen quin

etiam

etiam pro omnium humorum, qui in illis venis existētes decubitu suo in aliquam partem morbum causare possunt, fluxu sistendo conueniat; non est dubitandum. Nam cum conferat ratione occlusionis vasorum, per istam autem occlusionem impediatur transitus, non vnius humoris, sed omnium; vtiq; omnium fluxui sistendo potest conuenire. Propterea etiam pro salsa pituita, pro multa tenui serositate in oculos influente, antiquis fuit commendatum. Esse verò præsidium in illum finem ab antiquis expetitum, vt nimirum vias præcluderet & intercideret, quò fluxus qui per illa vasa fiunt, sistantur; ex eorum scriptis licet intelligere. Celsus lib. 7. c. 7, pro defluxu in oculos venas verticis & temporum docet esse secandas; donec, inquit, fluxus conquiescat: id enim, inquit, est signum excœcatorum itinerum, per quæ fluxio ferebatur. Aristoteles quoque 31. probl. sect. 5. dicit, quòd in illis qui fluxionibus oculorum tentantur, soleāt venas temporum inurere; humorum, inquit, ductus occludentes: & Mesue capite de ophthalmia venas temporum docet secare; vt materiæ, inquit, per ipsas cursus abscindatur. Hanc porrò venarum occlusionem mediante cicatrice inter duas diuisionis extremitates inducta fieri, Galenus varijs in locis testatur. Nam lib. 4. de loc. aff. c. 8. in vertigine, inquit, nōnulli ab arteriarum sectione præsidium petierunt, totas

tas arterias pone aures ad tantam altitudinem secantes, vt medius inter duas partes locus sectione induceretur: & lib. 13. meth. c. 20. loquens de diuturnis oculorum fluxionibus, dicit quòd aliquando vasa exscindantur aut præscindantur; vt, inquit, sic, quod interest, dura cicatrice excipiatur: quod supra lib. 1. & Hippocratis & aliorum authoritatibus à nobis est comprobatum. Etsi verò hactenus huius præsidij vires dilucidè ex mente antiquorum à nobis sint declaratæ, quid tamen nostra de ijs ferat sententia, nunc quoque est explicandum, & videndum, an etiam tanta eius sit vtilitas quanta ab antiquis est prædicata. Etenim, etsi ipsum plurimis fuerit valde laudatum, à nonnullis tamen video etiam fuisse damnatum. Nam, etsi maximè in fluxibus oculorum fuerit celebratum, tamen Aetius lib. 7. c. 88. de ijs loquens, ipsum & Barbaricum & nociuum appellauit. „ Quidam, inquit, Barbaris legibus seruientes in „ diuturnis oculorum destillationibus tempora „ inurunt, sed ego quandoque ob istiusmodi v- „ stionem minus profundam & perperam factam „ vidi cum alienis humoribus natiuos simul ab- „ sumptos, vt oculus ad summam ariditatem de- „ laberetur, morbusque subreperet insanabilis. „ Cælius Aurelianus, vt alias eiusmodi magnas „ vstiones, ita quoque & hanc tãquam crudelem, „ periculosam & inutilem est detestatus. Quapropter

pter dico ego quòd hoc remedium ſit magni periculi & non magnæ vtilitatis. Et vt de periculo primò loquar; ſi vſtione amputatio iſta perficiatur, quia vſtio debet eſſe profunda vſque ad os, & magna, vt omnes venæ præſcindantur; & quia fit in tenera parte capitis: primò adfert periculum inflammationis capitis, phrenitidis, & febris: ſicut Auicenna fen. 1. 3. tr. 1. c. 33. inſinuauit, cum de hoc remedio loquens, vitandum ipſum, ac præcipuè in æſtate, præcepit. Secundò, cum fiat prope oculos, timorem incutit ne nutrimentum oculis auferatur, propter ſanguinis profluuiũ, & ne propter viciniam empyreumate oculis communicato tenuis ꝓorum humiditas exiccetur: quod Aetius loco citato prudentiſſimè propoſuit. Tertiò periculum adfert ſterilitatis. Hoc clariſſimè docuit Hippocrates lib. de genit. c. 3. ſic aiens: quibuſcunque iuxta aures venæ ſectæ ſunt, hi coeunt quidem & genituram emittunt, ſed modicam, debilem & infœcundam. nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in ſpinalem medullam fertur. ipſe autem tranſitus cicatrice ſectione inducta conſolidatus eſt. Reddens etiam rationem in lib. de aer. aq. & loc. c. 50. cur Scythæ effœminati & infœcundi redderentur, & præcipuè nobiles, eã eſſe dicit, quòd cum ob equitationes ſineſtapedibus arthritici fiant, ad eius prę cautionem venas poſt aures vrant; qua ratione, inquit, ſeipſos per-

perdunt. Quartò quoq; coniunctum habet profluuij sanguinis metum. De sectione id quidem dubium non est, de vstione etiam patet: nam decidente eschara & ligatura putredine consumptâ cauum foramen fit, in quod si non bene caro succreuit, nuda & aperta remanet arteria ad sanguinem profundendum quàm aptissima: qui ideò difficilius compesci potest, quòd arteriæ ibi non paruæ; & citius effluit, quod valido pulsu & allapsu flatuosi ac vndosi sanguinis, qui mali causa est, escharæ ante tempus facile excutiantur. Ex hoc verò & capiti summa debilitas & frigida intemperies & nonnunquam repentina mors est expectanda. Addo quintum periculum, quod maximum est & euitari non potest; quòd præclusis illic ductibus impediatur quò minus non possit deinceps tantum spiritus vitalis in caput, vti solet, deferri: vnde necessum est caput refrigerari & spiritus animales, qui ex vitalibus tanquam sui materia constant, esse pauciores; ac proinde facultates omnes animales deijci ac labefactari. Quod tum maximè fit, quando ab vtroque latere omnes arteriæ, & quę post aures & quę in temporibus sunt, amputantur: quod & sæpissimè ab antiquis factitatum supra vidimus, & etiamnum faciendum semper esset, si certam ab hoc præsidio vtilitatem assequi vellemus. Præter hæc pericula assero etiam præsidiū istud non posse esse magnæ vtilitatis.

Nam

Nam cum venæ & arteriæ, quæ sic vruntur, sint extra caluariam: non potest earum vstio aliud efficere, quàm externos, siue qui extra caluariam fiunt, fluxus impedire. Fluxus enim impediuntur propter vasorum occlusionem: ea autem non potest nisi illos fluxus impedire, qui per ea vasa sunt, quorum illa occlusio est: tales autem exigui sunt & minus periculosi, quique alijs remedijs commodè satis attingi possint, vt non videantur hoc tam difficile & periculosum postulare. Hoc Auicenna & Mesue capite de ophthalmia testantur, quando pro eius curatione hanc arteriarum & venarum sectionem in medium adferentes, eam tamen tunc tantũ præcipiunt esse ineundam, cùm morbifica materia, per externas arterias est dilapsa. Ex eo verò sequitur, quòd nec in vertigine, nec epilepsia, nec internis doloribus capitis, quamcunque diuturnis, nec in descensu catharrorum, etsi ijs omnibus à veteribus fuerit adhibita, per se & tanquam remedium intercipiẽs, locum habeat. Si ratione euacuationis sanguinis, quæ ex accidenti est, iuuet; non præfectio, sed apertio tantum ex eo facienda indicatur. Enimuerò catharrorum in subiectas partes, thoracem, articulos, &c. descensus, propter quos (vti iam audiuimus) veteres hoc remedium adhibuerunt; minimè per illas, sed per alias interiores venas fiunt: quare non video quomodo ipsum illis adhibue-

hibuerint, & quomodo vaſorum externorum commeatus intercluſus fluxiones internas valeat cohibere. Eadem ratione aſcenſus vaporum ex ſubiectis partibus, ex corde, hepate, ventriculo, &c. qui vertiginem, epilepſiam & internos dolores faciunt, non fiunt etiam per hos ductus; quare neque per horum ductuum occluſionem poſſunt impediri. Antecedens ex eo probatur, quòd, cum hi morbi cerebri ſint, eorum cauſa morbifica debet per eos ductus aſcēdere, per quos intrò in ipſum cerebrum poteſt peruenire: hoc autem fieri nequit per externa iſta vaſa, cum cerebrum non ingrediantur, ſed in externas per caluariam partes diſſeminentur & colliqueſcant. Sed neque in defluxu in oculos videtur magni momenti eſſe: nam ſi fluxio per externas arterias ſemper ferretur, alicuius vſus eſſet; iam verò plerumque per internas ferri veriſimilius eſt: magis enim videntur humores defluere per eas quibus nutrimentum aduehitur; eæ verò internę ſunt, non externæ. Idem contingit in omnibus prædictis morbis: ex quo etiam & incertitudo huius remedij declaratur. Nam vt per externarum arteriarum defluxiones etiam gigni concedantur, quin tamen vt plurimum per internarum, nemini eſt dubitandum. Hinc ambiguum ſemper humoris morbifici iter erit ac tunc ſaltem, cum per internas arterias erit, exteriorum vſtio nullā habebit vtilitatem.

Ideo

Ideo Galenus 4. de loc. aff. c. 8. dicens quòd nonnulli in vertigine à sectione post aures consilium petierunt, eas inquiens sic dissecantes vt cicatrix media induceretur; addit quod non omnes tamen huius auxilij beneficio fuerunt curati. Nam, inquit, aliæ arteriæ ijs maiores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt, per quas huiusmodi affectionem fieri consentaneum est. Verum vt per externas arterias & venas fluxionem fieri constet, adhuc tamen per quasnam earum fiat certò sciri minimè potest. Ideò aliqui in fluxionibus oculorum, frontem & verticem inciderunt, omnes venas & arterias subiectas dissecantes: alij arterias temporum, alij post aures, alij has duas, alij omnes simul: opinantes per singula illa loca humores ad oculum posse peruenire. Ita quoque in alijs morbis, vt certum sit per externas venas humores aut vapores deferri, sciri tamen exactè nequit per quas; an à dextro latere, an sinistro; an per arterias, an per venas; an post aures, an per tẽpora. Quod si eas incideris per quas fluxio nõ fertur, præterquam quod operam luseris, artem infamâris, ægrum inobedientẽ reddideris; non exiguis etiam periculis exposueris. Sin certus esse velis, omnes venas arteriasque vt dissecces necessum est; sicuti veteres feciſſe supra est allatum: quo casu quis non videt enumerata pericula augeri? Vnde patet in solis tantum per cal-

uariam

uariam decursibus, in solis externis capitis af-
fectibus à calido vapore aut acri & bilioso spi-
rituosoque sanguine factis, hoc remedium exa-
ctè locum habere: qui vsus angustis admodum
limitibus continetur. Adeò, vt si exigua vtili-
tas, magna incertitudo, molestia & periculum
spectentur, non facile videatur hoc remedium
in vsum esse adhibendum.

CAP. XIIII. *De cauterijs brachiorum & eorum viribus.*

CAuteria in brachijs, teste Raze libell.
de cauter. ponuntur pluribus in locis:
interdum super articulum, interdum
iuxta eum. Super articulum nunquã ponuntur,
nisi propter vitia articulorum, & præcipuè cùm
articulum volumus exiccare, calefacere, & ro-
borare, cum muccidus est, aut ex loco suo exci-
dit præ nimia laxitate. Cùm iuxta articulum
ponuntur, vel infra vel supra eum interiore vel
exteriore brachij parte id fit. Pro quo notan-
dum est, quòd cauteria brachiorum vel propter
ipsiusmet brachij, vel alterius alicuius membrii
interioris, vt cerebri, cordis, pulmonis, hepatis,
&c. vitia vsurpantur. Si brachij; id est vel pro-
pter vlcera aut apostemata ibi contingentia, vel
(quod magis frequens) propter arthritidem in
aliquo ipsius articulo existentem; ad humo-
ris nimirum collecti euacuationem, vel adhuc
fluentis

fluentis interceptionem. Cùm pro arthritide ipsius adhibentur euacuationis ergo (nam etiam super articulum poni ob alias causas iam dictum est); ponenda sunt sub articulo dolente: vt si dolor est in humeris, sub humero; si in cubito, sub eo; si in manu, aut in meta carpio, aut in ea ipsa. Ratio petitur ex natura humoris: nam quia semper grauitate sua deorsum fertur, per cauterium subtus positum melius euacuatur. Pro interceptione quidem melius foret supra articulum poni, sed cum liceat semper aliud cauterium ad partem mandantem excitare, quo tempore non amplius multum interceptione est opus; magis ille locus eligendus est, qui euacuationi à parte, vtpotè magis necessariæ, est accõmodatior. quod supra quoque capite quinto à nobis est explicatum. Si propter interni alicuius visceris offensionem brachium vlceratur, dicit Razes locum esse quatuor digitis remotè ab articulo (intellige ipsius humeri) in parte carnosa, intra duos musculos: tendines enim & chordæ prope articulos carne sunt spoliata. Scribit autem ipse ibi pro arthriticis artuum affectibus, exteriorem brachiorum ac crurum partem; pro internis malis, interiorem esse eligendam. Sunt namque ductus arteriarum & venarum obseruandi: illi vero parte interiore brachiorũ ac pedum decursitant magis. Itaq; cum pro capitis affectibus vstio fit, prope

venam cephalicam ad musculum deltoidem in parte brachij nonnihil externa : cum pro affectibus aliorum viscerum, in parte magis interna ad venam basilicam locus est eligendus. Is verò tum ex motione brachij, tum musculi ab inferiore parte cùm manu compressione, tum etiam partis fomentatione & ligatura, quoad venæ intumescant; potest explorari. Cum indifferens pars est ad vtrumque brachium, nec inclinat ad aliquem situm, dextrum aut sinistrum; præstat maximè in eo qui manuale graueq; exercitium facit, in sinistro cauterium poni, si dexter sit: propter molestiam ac debilitatem, quæ manui tractu temporis compararetur: etsi plus in dextro traheret, propter crebriorem brachij motionem. Cum pars affecta ad aliquod latus inclinat, è directo est cauterizandum; in vitijs quidem splenis, sinistrum; in hepatis, dextrum brachium eligendo. Multiplex cauteriorum horum est vsus. Propter vicinitatem quam habent cum capite, corde, hepate, propter rectas magnasque venas inde per brachia decurrentes; ex ijs, ac præcipue è capite euacuandi vim habent, etsi non tantam, quantam cauteria in ipso capite posita. Propterea in humoralibus capitis affectibus vtilitatem habent, cum vel æger capitis cauteria non admittit; vel aliquid est quod in ipso poni prohibeat; vel cum non ita copiosa, sed lenta magis ac pauca euacuatione est opus.

In affe-

In affectibus etiam cordis, splenis, hepatis, stomachi, humoralibus, euacuatoriè conferunt. Nam etsi non ita bene euacuent, sicut quæ super eas ipsas partes immediatè ponuntur; tamen quando vel illa molesta sunt, vel fieri ab alia causa prohibentur, non male cauteria brachiorum in eorum vsum, maximè nunc, quãdo aliorum illorum vsus exoleuit, substituuntur. Præter hanc euacuatoriam vim deriuatoriè etiam & reuulsoriè, tam in affectibus inferiorum partium causatis à defluxu è capite, quàm capitis causatis ab ascensu vaporum aut humorum, conferunt. Nam cum brachia sint ad latus, humores descendentes & vapores ascendentes qui per ea euacuantur, ad latus deriuantur; & cum sint in medio superiorum partiũ & infimarum, meritò cum caput vitium aliquod contrahit per sympathiã partium inferiorũ, reuellunt seu reuulsoriè deriuãt; & cũ infimæ, vt articuli, renes, matrix, vesica, aliquo humoris defluxu è capite laborãt, propter cõtrarietatẽ sursum & deorsũ, quam cũ illis habẽt, etiã reuulsoriè opitulãtur. Notandũ tamẽ, quòd quò cauteria sublimiùs in brachio prope humerũ ponuntur, eò magis euacuant; quò verò remotiùs versus manũ, eò magis reuellũt. Euacuatio enim in propinquo fit, reuulsio ad distantissimas partes: ac propterea vesicatoria pro febribus malignis extremis brachiorũ partibus ad reuulsionẽ solent adhiberi.

CAP. XV. De cauterijs crurum & eorum viribus.

IN cruribus varia fiunt cauteria; quæ omnia Razes in lib. de Cauter. perſtringit. Superr articulos, vti de brachijs dictum eſt, ita neque in cruribus cauteria ponuntur; niſi cum articuli muccidi ſunt & humiditate ſcatent, cum periculum eſt diſlocationis, cum articulus calefaciendus, conſtringendus & humor contentus diſcutiendus eſt atque exiccandus. In his enim caſibus Hippocrates & Albucaſis ſuper articulos, vt ſuper coxam in iſchiade, vſtiones facere præceperunt. His exceptis, ſemper vel ſupra vel infra articulum quatuor aut quinque digitis remotè ab eo, in loco carnoſo (vt muſculorum capita & tendines fugiãtur) eſt cauterizandum. Si pro arthritide crurum id fiat, hic quoque, vt ſupra, exterior ipſorũ pars eſt eligẽda: tum quæ ſub articulo dolente eſt, vt eò humor plurimus ſua grauitate prolabatur. Etſi enim vſtio ſupra articulum facta duplicem vſum habere videatur, & euacuationis à parte, & interceptionis; tamen quæ ſub articulo fit, meo iudicio vtilior eſt: plus enim ſola ſua euacuatione faciliore emolumenti, quàm altera ſimul intercipiendo, maximè ſi alia ad partem mandantẽ pro reuulſione inſtituatur, eſt præſtitura. Sin autẽ iuxta partẽ mandantẽ nulla eſſet, ſupra genu facta tũc præſtan-

præstantior foret; vtpote quę & fluenti & fluxo (si ita dicere liceat) simul cõferret. Pro dolore coxæ & super coxam, quia carnosa est; & supra genu in parte externa (vt inquit Razes loco supra citato) ad humoris euacuationem cauteria ponũtur: pro dolore genu, infra genu vel supra malleolum: pro pedum dolore, & loco dicto & supra pedem & sub planta pedis, vt Razes testatur, adhibentur. Pro vitijs partium internarum ponuntur præcipuè in parte interna: verum, quia ille locus equitantibus molestiam adfert, potest in ijs cum externa parte, etsi minus vtiliter, commutari. Nihilominus tamen in vitijs matricis & vesicæ nunquam ab interna parte recedendum est. Ponuntur verò interdum suprâ, interdum infrà genu, vel ad malleolum. Si euacuationem à renibus, vesica, matrice molimur, supra genu, vtpote in loco propinquiore, melius faciunt: propinquitas enim ad euacuationem à parte necessaria est. Sed molestiam is locus duplicem habet: primam ligaturæ, quia, cum femur prope genu tenuius sit, fasciæ descẽdentes laxantur & soluuntur: alteram fontanellæ. nam cum fontanellæ temporis decursu deorsum vergant, tandem in articulum incidunt. Verum tamen & molestijs his remediũ inueniri potest, & vt non possit, loci tamen vtilitas est præferenda. Nam & quæ sub genu ponuntur, difficultate non vacant; quòd nimi-

rum per articulũ trahant: quæ non exigua est. Si reuulsioni studemus, quando quidẽ eò illa melior est, quò ad distantiores partes fit; poterunt non inutiliter infra genu figi: attamen longinquior tunc quidem reuulsio erit, sed minor à parte mandante euacuatio. Itaque vbi fluxus est lentus, & qui magis fluendi consuetudine quàm fluentis copia nocet, quiq́ue quàm maximè est auertendus, sub genu cauterium vtilius erit: vbi autem ita reuellendum est, vt etiam ex prædictis partibus multum sit euacuandum (quod fiet cum in ijs subest abundantia humorum) potius ex propinquo loco supra, quàm sub genu iudico attrahendum. Si ad distantissimas omninò partes facienda reuulsio indicatur, quinque digitis in parte carnosa supra malleolum exulcerandum: sicut cum in febribus malignis manibus pedibusq́ue vesicatoria inducuntur. In epilepsia illa quæ ab aura venenata è pede ascendente progignitur, & ad intercipiendum, & ad quàm distantissimè reuellendum, ibi vstio est facienda. Ex quibus patet, quàm multiplicem huius loci cauteria in morbis partium superiorum vsum præstent. Etenim in hepatis, renum, vesicæ, vteri affectibus, propter viciniam & magnas venas, quæ inde in crura descendunt; euacuatoriè conferunt. Ideò in colica, hydrope, sterilitate, mensium suppressione, vesicę scabie, partiumq́ue illarũ vlceribus & apostema-

ſtematibus, magnam vim habent. Cùm eidem affectus per conſenſum ſuperiorum partium contingunt, poſitis ad reuulſionem prope partem mandantem alijs, deriuatoriè iuuant: quod ad interna fluebat, ad latus & ad extra deriuando. Cùm affectus ſunt in partibus ſuperioribus, cauſati vitio partium inferiorum, vt vteri, hepatis, &c. reuulſoriam vim obtinent. Quatenus enim euacuant à parte mandante, quod breui fluxurum eſt, antequam fluere incipiat, reuellunt: hoc enim eſt reuulſio humoris potentiâ fluentis. Cùm vapores ex pedibus aſcendunt, aut catharri in articulos ſupernè decumbunt; etiam interceptoria euacuatione proſunt. Interim nec brachiorum nec crurum cauteria partibus internis aut diſcutiendo aut roborando, exiccando, calefaciendo, vllum auxilium præſtant, ſed tantum euacuando.

CAP. XVI. *Quomodo ſingularum partium affectibus cauterijs ſit ſubueniendum, & primum primarijs, ac per congeſtionem genitis.*

NVnc ſupereſt, vt quæ hactenus generatim de cauteriorum loco diſceptauimus, omnibus ſingulorum membrorum affectibus per ſanandis applicemus. Laborant membra omnia, vel primario affectu, vel per conſenſum; id eſt, ab humoribus aut vaporibus, vel in ſe genitis, vel aliunde allabentibus.

Cum primario affectu laborant, tantum expetunt materiæ morbificæ ablationem; ea verò fit per simplicem dictam ab affecta parte euacuationem: cum autem per consensum; & eius, quæ fluxit, ablationem, & quæ fluit aut fluxura est, auersionem ac reuulsionem. Quapropter cum ostenderimus quibus cauterijs quæque partes quam commodissimè euacuentur, & quibus quæque fluxiones quarumcunque partium reuellantur, absolutam omnium corporis partium morborum humoralium cauterijs curandi rationem tradiderimus. Primum itaque quomodo partes singulæ per cauteria euacuentur, videamus; à capite exordiendo. Non est autem vnica eius euacuandi ratio, sed alia alio tempore conuenientior. Cùm malum eius causatum est ab acribus & feruidis vaporibus aut spiritibus è calido sanguine excitatis, vel etiam humoribus biliosis qui in eo generantur; cauteria non debent alio loco fieri quàm in sutura coronali: propterea quòd ille locus sublimior sit, vapores verò ac biliosi humores sursum leuitate sua rapiantur. Si deorsum fierent aut in brachio, nihil tum prodessent; quia nunquam vapor deorsum veniet in brachium, vt per ipsum expurgetur: neque cauteria eam vim habent, vt ipsum eò impetu trahere possint. Cum est ab humoribus frigidis aut pituitosis, alio loco cauteria fieri debẽt. Tum autem confert cauterium occipitis

cipitis, quia illud est in loco decliuiore & ad foramen nuchæ amplum & apertum; quæ duo ad humoris grauis & crassi facilem eductionem sunt requisita. Possunt etiam in eum vsum vtiliter excitari cauteria in scapulis: & quia is locus ab eodem foramine & spinali medulla non est remotus, & quia decliuis, & quia est etiam prope venas quæ è capite in brachium repunt. Conferunt etiam cauteria brachiorum, propter consensum quem cum capite habent ratione venæ cephalicæ; præcipuè cum vicinius ipsi humero adhibentur. Inter hæc magis euacuat cauterium occipitis, tum scapularum, inde brachiorum, quia à capite sunt remotiora; propinquitas enim ad euacuationem à parte imprimis est requisita. Quando autem æger vel illa repudiat, vel aliquid est quod ea impedit; cauteria brachiorum eorum vim insigniter æmulantur & ijs vicariam operam quàm optimè præstant. Illud tamen cæteris paribus ita est intelligendum. Nam scapularum & brachiorum cauteria per accidens possunt plus euacuare, quàm occipitis; quia ipsa possunt esse numerosiora, occipitis verò cauterium simplex est & vnicum: per se tamen maiorem habet, quàm illa, euacuandi facultatem. Horum cauteriorum, vel vnum sufficit vel plura requiruntur pro ægri tolerantia & repletionis capitis magnitudine: ac interdum in vno brachio tantùm, interdum in vtroque debent excitari.

excitari. Nam si adhibito in vno malum sit imminutum, & cauterium multam saniem profundat, interim tamen malum non persanetur; signum est vnum cauterium non sufficere, sed ad secundum quoque esse veniendum. Quamuis autem dictum sit cauterium futuræ coronalis minus commodè humores, sed tantum vapores euacuare; est tamen etiam eius vsus pro ijs non omnino contemnendus, præcipuè quando ipsum multiplex est: nam tum debilis eius in euacuandis humoribus vis numero cõpensatur. Solent verò in Italia cum verticem vrunt, tria in orbem circa punctum communis sectionis futuræ sagittalis cum coronali cauteria infligere: quo tempore caput tunc per ea laudabiliter euacuatur, maximè si etiam metasyncritica, quæ humores ex alto trahant, vstionis loco superponantur. Est verò etiam consyderandum, quęnam capitis pars magis debeat euacuari. Nam, etsi absolutè consyderando cauterium occipitis magis euacuet caput, quàm coronale; tamen coronale magis euacuat eius partẽ anteriorẽ; occipitis verò, posteriorẽ: ac propterea, cum anterior magis humore repletur, etiam plus ego à coronali, quàm occipitis emolumenti sperârim. Denique etiam, cum præter euacuationem volumus caput alterare & roborare, magis coronali quàm occipitis cauterio est vtendum. Præter prædicta nulla sunt, quibus caput possit

aut

aut ſoleat euacuari. Nam quæ in cruribus ſunt, etſi in morbis per conſenſum locum habeant, morbis tamen primarijs nihil adferunt emolumenti, cùm ob diſtantiam nullo modo poſſint ex ipſo quicquam educere. Reliqua membra euacuantur duplici via: vel enim cauterijs ſuper eorum regionem proximè adhibitis: vel in extremis artubus, brachijs, cruribuſque. Etenim antiqui ſolent pectus & abdomẽ vrere pro partium ſub ijs contentarum euacuatione. Qui mos, etſi hodie quoad alias cauteriorum ſpecies exoleuerit, quoad veſicatoria tamen adhuc eſt vſitatus. Hac ratione, cum thoracẽ, pericardium & loca circum cor humoribus volebãt liberare, tria aut quatuor cauteria ſuper pectore, nonnulla quoque in dorſo circa quintam & ſextam coſtas inurebant; pro orthopnoicis, aſthmaticis, ſuppuratis: cum ſtomachum, ſub oſſe pectoris, duo aut tria; & in dorſo, vbi eſt locus orificij ſtomachi: cum hepar, ſplenem; vbi eſt eorum locus, & vbi peruenit cubitus brachij vtriuſque, cum ventri admouetur, aut cauteria plura aut multiplices ſetones adhibentes: cum vterum, in pectine & in dorſo iuxta oſſis ſacri regionem, vbi vterus ſpinæ alligatur. ſicuti ſupra lib. 1. c. 17. ex Auicenna, Aetio, Ægineta, Albucaſi, alijſque oſtendimus. Per cauteria artuum ſic euacuantur. Pulmo, cor, ſtomachus, per cauteria brachiorum: vterus, veſica, renes, lien;

lien; per cauteria crurum: hepar, per vtraque; quòd mediũ inter omnia viſcera ſitum habeat, & ad crura atque brachia æquè inclinantem. Eſt tamen animaduertẽdum, quòd, cum hepar ſimpliciter eſt euacuandum ſine reſpectu ad aliquẽ humorem fluentem reuellendum, melius euãcuatur per cauteria brachiorum, præcipuè brachij dextri; propter venæ baſilicæ communionem: cùm verò ſimul humor aliquis eſt reuellendus, melius per illa, quæ cum humoris motu habent contrarietatem: vt, cùm deorſum fluxio eſt, per cauteria brachiorum; cum ſurſum, crurum. Peculiare quoque eſt hepati & cordi quòd per cauteria in inguinibus & ſub alis facta optimè euacuentur: nam illa ſunt illorum viſcerum emunctoria, & per illa ſæpiſſimè grauiſſimas ſuas ægritudines excitatis bubonibus iudicant. Ideò nonnulli aſſerunt facta ibi cauteria tempore peſtis ab illius contagio præſeruare, ſicuti quoque & multorum experientiâ eſt comprobatum. Magis autem hepar per inguina, cor per alas expurgatur. Sed ambigi poteſt, quo modo melius membra euacuentur: an per cauteria ſic eorum regioni immediatè ſuperpoſita, ſicut veteres fecerunt: an verò in artubus extremis facta, ſicut hodie moris eſt. Quapropter conſyderanda eſt, quæ inter ea, differentia. Quæ in brachijs & cruribus ponuntur hoc habent quòd euacuent per venas & apertos canales: quę verò in ven-

in ventre, tantùm per cæcos ductus & partium poros: Hoc autem nomine videntur illa hiſce multò melius euacuare. At hæc viciſſim habent multas alias prærogatiuas. Nam imprimis non video, quomodo ſtomachus poſſit per cauteria artuum euacuari: etenim neque cum brachijs, neque cruribus vllam habet meatuum communionem: per ventri autem atque eius regioni ſuperpoſita, poteſt; non minus quam alia omnia membra interiora. Ideò in affectibus ſtomachi ab humore cauſatis iudico cauteria brachiorum non magnam vim habere, ſed tum potius in abdomine eſſe excitanda. Supra quoque lib. 1. c. 17. diximus hepar, renes, lienē, œſophagum per cauteria extremorum non euacuari: quod non eſt ita intelligendum, quaſi nullo modo euacuentur, ſed quòd ægrè & difficulter: hepar & lien; quia remotiora ab artubus, vtpote in centro corporis latentia: renes, veſica, ſtomachus, aſpera arteria, inteſtina; quia nullam cum extremis artubus ductuum habent communionem. Secundò hæc euacuando poſſunt ſimul ipſa membra roborare & alterare, quòd in artubus facta propter diſtantiam minimè poſſunt; ideoque in eorum frigidis affectibus magis videntur conuenire. Tertiò in ventre poſſunt poni numeroſiora, quatuor, quinque, ſex, vt veteres ſolebant: in vno verò brachio aut crure non poteſt niſi vnum fieri. In magno autem

numero

numero maior est vis & efficacia. Ideò, etsi cauteria artuum euacuando per manifestas vias ac per se videantur plus euacuare, hæc tamen per accidens propter multitudinem plus euacuant. Quartò, hæc sunt parti euacuanti viciniſſima, brachia autem & crura quàm lõgiſſimè distant: distantia verò impedit euacuationem. Quintò, cauteria artuum euacuant ex vno viscere per aliud, hæc verò immediatè: hoc autem multò magis est securum: quia, cum causa morbifica per multas partes intermedias trahitur, sæpe de necessitate nouam ijs inducit læsionem. Sextò hęc sunt determinata ad certam partem, nempe illam cui superponuntur: illa verò sunt cõmunia & indifferentia. Nam cauterium, quod super stomachum ponitur, tantum euacuat ex stomacho; at quod in aliquo brachiorum, ex thorace, stomacho, corde, liene, hepate, capite. Ex eo verò duplex oritur emolumentum. Primum est quod hac ratione hæc semper (quantum ex natura eorum ijs possibile est) euacuant ex parte intenta, non ex alia; quodque ipsorum actio aut virtus non impeditur aut distrahitur propter dispositionem alicuius partis intermediæ, sicut cauterijs artuum necessariò contingit. Nam cum ipsa sint communia multis partibus, sic vt ex multis euacuent; tamen magis euacuant ex proximiore & ex ea quæ copiosiorem habet humorem euacuandum: ac propterea non euacuant

cuant ex remotiore, nisi prius euacuârint ex propinquiore; &, si in alia parte plus sit materiæ excrementitiæ, quàm in illa, quam euacuari optamus; non prius euacuant ex hac, quàm ex illa euacuârint; aut saltem plus euacuant ex illa: sicque eorum virtus non tota insumitur in euacuationem partis intentæ, sed etiam & magis in alterius non intentæ. Ex eo verò cõtingit eorum vtilitatem & incertam esse & diminutam. Secundum est, quòd hæc euacuant ita præcisè ex illa parte cui assident, vt ex nulla alia; illa verò ex multis: ideo illa tam bene euacuant ex illa, ex qua nõ volumus euacuare, quàm ex qua volumus: ex quo fieri potest, vt illi aliquando læsio contingat. Porrò, quia etiam illa plures partes euacuant, ideò quoque vnam minus & diminutè. Tunc enim, quod per cauteria excernitur, non est excrementum simplex, aut totum illius partis, cuius euacuationem molimur; sed mixtum & conflatum ex portionibus excremẽtorum tot partium, quot ab illo cauterio possunt euacuari. Adeò vt, cùm multũ excrementi fuerit per illud ex internis partibus depositum, tantum aliqua eius portio censenda sit esse pars illius humoris morbifici ac illius membri, cuius & ex quo euacuationem præ oculis habuimus. At cauteria quæ certè parti assident, tantum ex ea euacuant, & quidquid ex alto trahunt, inde educunt; adeoque multò plus, quàm illa.

Ex qui-

Ex quibus pro allatæ dubitationis solutione colligi potest, illis omnibus consyderatis, viscéribus quæ in ventre continentur euacuandis, magis conuenire cauteria ibi facta, quam in brachijs cruribusque, præcipuè si vlceribus iam factis emplastra ex alto trahentia superponantur. Ideò, etsi eorum vsus exoleuerit, celebriorum tamẽ medicorum authoritate & vsu deberet reuocari: in quem finem setonibus esset vtendum partis conformatione id ita efflagitante.

CAP. XVII. *Quomodo singularum partium affectibus per sympathiam atque à fluxione genitis, cauterijs sit medendum; & primò superiorum, quæ laborant vitio inferiorum.*

IN morbis per consensum quique à fluxione progignuntur ita est cauterijs vtẽdum. Fluxio vel est à membris superioribus in inferiora, vel ab inferioribus ad superiora: illa est fluxio per ascensum, hæc per descẽsum: supremę partes laborant fluxione per ascensum, infimæ per descensum, medię vtroq; modo. In vtraque fluxione eadem est ratio cauteriorum, sed conuersa: nam permanent fere eadem cauteria, sed mutant facultates: nam vtrobique debent esse duo cauteria, vnum ad partem mandantem, alterum ad recipientem; illud pro humore qui fluit, hoc pro eo qui fluxit. Quod est ad mandantem,

dantem, reuellit; quod ad recipientem, euacuat à parte. Verum, ſicut ibi pars mandans eſt ſurſum, recipiens deorſum; hic contra: ita ibi cauterium, quod ſurſum eſt, reuellit; hic, quod deorſum: adeoque quod ibi reuellit, hic euacuat à parte; quod ibi euacuat, hic reuellit. Nam cum à capite in pedes fluxio fertur, cauterium capitis aut brachiorum reuellit: crurum verò, euacuat à parte: illud enim eſt ad partem mandantem, hoc ad recipientẽ. Sed cum econtra è pede fertur in caput, eadem cauteria locũ habent, ſed oppoſita ratione: nam cauterium crurum, tunc reuellit; capitis verò, aut brachiorum, humorem qui fluxit à parte euacuat. In affectibus partium inferiorum reuellũt cauteria brachiorum; in ſuperiorum, crurum. Primò dicemus de affectibus partium ſuperiorũ, quæ laborant fluxione per aſcenſum. Pars ſuperior vel eſt ſuprema abſolutè, ac ſupra brachia, vt caput; vel infrà ea. Si eſt ſuprà, ab ea varijs cauterijs reuelli poteſt, cauterijs occipitis, ſcapularum, brachiorum, crurum, & ijs omnibus quæ ſuper thorace ac abdomine poni poſſunt. Si eſt infrà, tum cauteria occipitis, ſcapularum, brachiorum, perdunt vim ſuam, nec amplius reuellunt, ſed tantum illa, quæ aut in cruribus aut ventre ponuntur. Cum pars affecta eſt ſuprà, ſeu cum eſt caput, ad bene reuellendum diſtinguendum eſt inter terminos à quo fluxionis. Nam vel fluxio inci-

pit à ſuprema ventris parte, vel media, vel infima, vel à toto, vel à parte incognita: pro horum autem terminorum diuerſitate reuulſionis quoque ratio permutatur. Primum cum fluxio eſt à toto vel à parte incognita, cauterium in cruribus eſt excitandum: tunc enim (vti ſupra à nobis dictum eſt) ad diſtantiſſima eſt reuellendum: crura autem à capite omnium maximè diſtant. Nam à quacunque parte tunc fluxio ſit, ſemper tale cauterium reuellit: ſi in brachijs poneretur, illud ex parte ad affectum locum traheret. Cum vna atque certa pars eſt, ad reuellendum vti poſſumus, vel cauterijs ſuper ipſis proximè excitatis, vel in extremis artubus. Super ipſis; vt cum eſt ſtomachus, ſuper ſtomacho cauterizemus; cum hepar, lien, vterus, ſuper ipſis: ſicut Auicenna lib. 3. fen. 1. tr. 1. c. 33. in dolore capitis & Albucaſis lib. 1. c. 8. in apoplexia per conſenſum ſtomachi, alijque fecerunt; ipſi parti primò affectæ ſeu mandanti cauteria & phœnigmos inducentes. Super ipſis artubus: quia vel vtimur tunc cauterijs brachiorum, vel crurum: vtraque enim habent vim reuellendi in affectibus capitis per conſenſum, ſed in aliquibus hæc, in aliquibus illa, in aliquibus vtraq; ſimul. Cum conſenſus eſt à parte capiti propinqua ſeu exiſtente in ſuprema ventris regione, reuulſio fieri debet per cauteria brachiorum: nam crurum, quia nimis diſtant tunc à parte mandante

non

non possunt reuulsionem vllam moliri. Cum autem est consensus à parte remota seu existente in infima ventris regione, reuulsio est facienda per cauteria crurum: tunc autem cauteria brachiorum vim istam amiserunt. In affectibus capitis per consensum duo plerunque cauteria requiruntur, vnum ad partem mandantem, pro humore qui fluit, alterum ad recipientem siue iuxta caput, pro eo qui fluxit. Verum ista non debent necessariò esse duo cauteria in re, sed interdũ sufficit quòd sint duo in virtute, & quòd vnum subeat vices duorum ac duplici facultate sit dotatum: interdum tamen etiam re & numero debent differre. Cum pars mandans multum à capite distat, debent differre numero; quia tunc vnum nequit sua virtute ad vtramque partem pertingere: cum prope est, coincidunt ac possunt esse vnum. Quapropter sic est capiti cauterijs subueniendum. Cum laborat consensu partis alicuius supremæ, vt stomachi, cordis, diaphragmatis, oportet vel in altero tantum, vel in vtroque brachio cauteria excitare: & ea tunc sufficiunt, nec alijs insuper est opus: quia tunc illa omnem possibilem cauteriorum vsum possunt præstare. Cum enim in respectu ad caput sint deorsum, & sint in loco, vnde pars ipsa mandans de se nata est euacuari, fluẽtem humorem reuellunt & auertunt; & cum sint ad latus & quodammodo intermedio loco, deriuant &

intercipiunt; & quia satis magnam habent cum capite communionem & propinquitatem, ita vt per ea caput possit purgari, humorem qui fluxit, tollunt; simplici dicta à parte affecta euacuatione. Ideò non est necessium ratione illius euacuationis in ipso capite cauterium aliud excitare: nam, etsi ipsum forte ob viciniam maiorem magis euacuando à capite videri possit profuturum, tamen propter propinquitatem quam etiam habet cum parte mandante, trahendo ad partem affectam non parum esset nociturum. Cauteria autem brachiorum id non faciunt, & interim satis bene æmulantur vires ipsorum capitis cauteriorum, vt ea parte non sit ijs magnopere opus: præterquam quòd etiam hac ratione duorum cauteriorum molestia euitatur. Generale autem hoc esse debet, cum mandans & recipiens sunt prope, præter illud quod ad mandantem ponitur non esse aliud iuxta recipientem facile ponendum: præcipuè cum illud non est longè vltra mandantem, sed recipienti vtcunque propinquum, vt ab ea possit euacuare; vel inter mandantem & recipientem situm: vt in proposito casu contingit. Hoc autem de fluxione humoris est intelligendum: nam tunc, quod fluit & fluxit, potest per cauterium brachiorũ euacuari. Sed cum caput ægrotat à vapore qui in ipsum ascẽdit, quia is etiam euacuari desyderat, nequit autem deorsum per brachia; etiam cauterium

terium fieri expetit in futura coronali. Verum moneo vt prius aliquo tempore cauteria brachiorum sola probentur; si non iuuant, tum prius aliud in futura coronali excitetur. Cauteria crurum in hoc casu locum non habent: nam ob distantiam à parte mandante in sublimi corporis posita, non possunt ab ea euacuare, adeoque neque reuellere. Cum laborat caput vitio partium infimarum, verbi gratia, intestinorum, vteri, renum, testium; ad minimum duplicia cauteria sunt ponenda. Tunc autem quæ reuellunt non in brachijs poni debent, sed in cruribus: quæ enim in brachijs ponerentur, tunc non reuellerent, sed ad partem affectam traherent. Quia enim brachia in respectu huius mandantis situm habent versus recipientem, & quidem recipienti propinquum, adeoque secundum, non in contrarium motus materiæ morbificæ, ideo reuellendi potestatem penitus amittunt. In brachijs verò aut alibi in ipso capite poni tunc debent, ad eius quod in capite fluxione collectum est, expurgationem: propterea quòd eadem cauteria crurum propter magnam à capite distantiam illam nequeant præstare. Verum ego quidem non tam in capite ipso seu super partem affectam tum cauterium laudauerim, quàm in loco qui inter partem mãdantem ac recipientem medius sit, nempe in brachijs. Si enim tum capiti adhiberetur, tantum euacuaret,

non autem deriuaret, sed per affectam partem traheret. quod verò in brachijs erit, & euacuabit & simul fluentem humorem intercipiet & ad latus deriuabit. Eodem etiam loco pro simplici euacuatione cauteria fieri deberent, cum caput consensu partis alicuius ignotæ, vel totius, vel propter hæmorrhoidum aut mensium suppressionem laboraret. Quæri verò etiam hic potest, cum cerebri malum est, non ab humore, sed à vapore, qui sic ex infimis partibus ascendit; vt cum ab ascendente ex vtero nudo vapore capitis dolor, epilepsia, vertigo, suffocatio fiunt: an tunc quòd pro eo quòd fluxit ad partem recipientem cauterium poni debet, potius fieri debeat in occipitio, scapulis, brachijs; an verò in futura coronali? Nam, etsi hoc per partem affectam videatur tracturum, nec quidquam deriuaturum, aut intercepturum, vt illa: tamen maiorem videtur vtilitatem allaturum, vaporem qui ad caput fluxit illac euacuando, qui alioqui vix potest per cauterium brachiorũ euacuari, quàm illa ratione detrimenti. Vnde cum principaliter cauteria quæ ad partem recipientem ponuntur, sint pro euacuatione à parte affecta; secundariò verò tantum ad reuulsionem & deriuationem: meritò illud præferendum erit, quod illam operationem præcipuè edit, etiamsi forte nonnullo incommodo coniunctã, quàm quod secundariam, potiore & principa-

liore

liore neglecta. Dico ergo in tali casu post affixa cruribus cauteria, primò esse tentandum an malum superari possit cauterijs brachiorum aut scapularum: nam si sic, non est alio opus; sin minus, tandem ad futuram coronalem est deueniendum: quod cum fit, etiam brachiorum cauteria aperta sunt sinenda; vt cauteria crurum reuellant; futuræ coronalis, à parte immediatè euacuet; brachiorum verò, ex parte euacuent & simul deriuent ac intercipiant. Tum autem quod est in futura coronali minus nocebit ad affectam partem trahendo: quia, quod trahetur, antequam ad caput veniat, ad latus per cauteria brachiorum euacuabitur: quod non fieret, si hæc tum essent deleta. Cum caput ægrotat vitio partis intermediæ, seu cum laborat consensu hepatis, quia hepar est positum in medio aliarum, pro reuulsione facienda possunt cauteria, vel brachijs, vel cruribus inuri. Alij autem brachia, alij crura commendant. Quæ brachijs inuruntur præter vim reuellendi habent etiam vim deriuandi & euacuandi à parte affecta, cauteria verò crurum hac destituuntur. Quoad nudam verò reuulsionem multi dubitãt, an in hoc casu ea melius in brachijs, an cruribus fiãt: nam propter communionem quam brachia cum hepate seu parte mandante habent ratione venæ basilicæ, melius per ea reuelli arbitrantur, eò quòd reuulsio quæ cauterijs perficitur in sola à parte

mandante euacuatione, adeoque cum ea communione consistat. Verum si exactius consyderemus videbimus crura ratione venæ cauę, quæ in regione lumborum bifurcatur, nõ minorem cum hepate, imo forte maiorem (quia magis immediatam,) quàm brachia communionem habere, adeoque in eo ab his non exuperari. In eo verò superant, quòd insuper etiam habeant à parte recipiente distantiam & motus morbificæ causæ contrarietatem, quæ duo ad perfectissimam faciunt reuulsionem. Vnde si velimus eorum cauteria inter se conferre; crurum magis reuellunt, sed nihil euacuant à parte affecta; brachiorum minus reuellunt, sed plus euacuant & etiam deriuant. Ex eo verò licet cauterizandi in hoc casu rationem inuestigare. Nam si æger duo cauteria pati sit contentus, melius erit si & brachio & cruri affigantur; sin vnum tantum, illud in brachio erit excitandum. Idem cum caput vitio splenis laborat, est intelligendum. Peculiare verò est, quòd cum per consensum hepatis & cordis caput afficitur, præter prædicta crurum & brachiorum cauteria, etiam quæ sub alis & inguinibus fiunt, singulari vtilitate ad reuellendum vsurpentur. Atque hactenus de affectibus capitis seu illius partis quæ est supra brachia: nunc etiam videndum est de ijs quæ sub brachijs sunt, quomodo ijs per cauteria subueniendum sit cum fluxione per ascensum molestan-

leſtantur. Quapropter, cum ab vtero aut teſtibus aut liene ad cor, pulmonẽ aut ſtomachum fluxio fertur, in cruribus pro reuulſione cauteria poni debent: tunc enim brachia vltra partem recipientem ſunt, ac ſecundum motum materiæ morbificæ, non in cõtrarium, ac propterea non reuellunt. Eadem quoque cauteria crurum reuulſioni à parte affecta faciendæ inſeruiunt, neque vtile eſt iuxta partem affectam ac recipientem alia poni, niſi malum peruicax longo priorum vſu non ceſſârit. Etenim pars mandans & recipiens hic ſunt valde prope, ſuprà autem diximus periculoſum eſſe prope recipientem peculiare cauterium excitare: nam quod ad mandantem eſt, ob propinquitatem ſuam cum recipiente, poteſt etiam à recipiente euacuare: illud verò fluxionem ad partem affectam foueret aut denuò irritaret. Cum fluxio fertur à ſtomacho ad cor, non multum conueniunt cauteria in brachijs facta, propter negatam illi cum hiſce ductuum communionem: ſi tamen aliquid ſubſidij ſperare liceat, erit cauterijs in dextro brachio excitatis, minimè vero in ſiniſtro. Nam hic tractio eſſet ſecundum motum cauſæ morbificæ, illic in contrarium. Etenim ſtomachus magis in dextro, cor in ſiniſtro latere ſitum habet.

CAP.

CAP. XVIII. *Quomodo singularum partium inferiorum affectibus per consensum superiorum genitis cauterijs sit subueniendum.*

NVnc videamus quo loco cauteria sint figenda cum fluxiones sunt per descēsum, siue in affectibus partium inferiorum, cum superiorum consensu laborant. Fluxio per descensum, vel incipit à capite, vel à parte sub collo existente. Si à capite, vel desinit in thoracem, superiorem scilicet ventris partem; vel mediam, vt stomachum, hepar, lienem; vel inferiorem, vt vterum, intestina, renes, articulos. Si incipiat à capite, vel humor fluens est in capite per congestionem genitus, vel est ibi genitus ex vapore, qui rursus è membris inferioribus eò ascendit, qui conuersus in humorem iterum destillat. Si est ibi genitus; pro dilabentis humoris reuulsione, iuxta caput, tanquam partem mandantem, debet cauterium aliquod excitari: hoc verò fieri potest, vel in ipso capite, vel in scapulis, vel in brachijs. Etenim Galenus 5 meth. c. vlt. & Ægineta lib. 6. cap. 2; Albucasis lib. 1. c. eodem, pro destillatione in pectus, thapsiam capiti induxerunt & verticem igne incenderunt, & antiqui omnes pro diuturnis in subiectas partes fluxionibus sæpius caput vel sinapismo rubificare, vel phœnigmo solent exulcerare. Nonnulli autem sic distinguunt:

cum

cum fluxio in oculos & pectus labitur, in occipitio cauteriũ esse faciendum: cum in spinam, renes aut articulos, in commissura coronali: eò quòd illa loca quoad ante & retro habeant cõtrarietatem. Verum ego iudico in defluxionibus in oculos cauterium occipitis magnam vim habere, alias vero illas contrarietates non multi esse momenti. Est autem de his ita statuendum. Cùm catharrus non vltrà collum fertur, cauteria in ipso capite facta locum habent: tunc enim quæ in brachijs forent, aliquo modo traherent, quia essent secundum humoris fluentis motum sita: illa verò non, sed reuellerent aut deriuarent. Cùm autẽ fertur in partes inferiores, magis conueniunt in brachijs facta. Etenim tunc illa tantum reuellunt; hæc autem & reuellunt & deriuant, & si terminus ad quem fluxionis non sit in infima ventris regione, etiam à parte affecta nonnihil euacuãt. Quapropter si cauterijs capitis vtimur, pro humoris qui fluxit euacuatione, necessarium est, vt insuper etiam ad partem recipientem aliud ponatur, ideoq; tunc etiam aliud in hũc finem in brachio fieri debet. Sin cauterijs brachiorum, ea per se sufficiunt: præcipuè si (vt dictum est) terminus ad quem fluxionis non sit à capite admodum remotus: nam si esset in infima ventris regione, vt vterus renes aut articuli; tunc præter cauteria brachiorum etiã in cruribus alia essent excitanda. tunc

enim

enim cauteria brachiorum ob distantiam à parte affecta vacuandi potestatem deponunt. Cauteria autem crurum in eo casu nullam possunt adferre noxam; quia, ob distantiam quæ est à cruribus ad caput, nihil possunt ex eo versus affectam partem prouocare. Cùm humor fluens genitus est ex præuio vaporum ascensu, aliter est cauterizandum. Oportet autem etiam tum distinguere. Nam iterum, vel ille vapor incipit à suprema ventris regione & parte cerebro propinqua, & cum in illo concreuit, in eandem dilabitur; vt si vapor ex stomacho aut corde ferretur, qui in capite condensatus incideret in pulmonem: vel incipit ab infima & remota, & in infimam iterum incidit; vt si ex vtero ascenderet & iterum dilaberetur in renes aut vesicã: vel incipit à remota & destillat in propinquam; vt si ex vtero oreretur & procumberet in stomachum vel pulmonem: vel à propinqua & labitur in remotam; vt si ex stomacho aut corde ascenderet & in vterum aut articulos remearet. In his autem duplex fluxio est, duplex sympathia, & duplex pars mandans: vna, quæ mandat & mittit causam antecedentem, scilicet vaporem: altera, quæ coniunctam, nempe humorem. Si primum cõtingit; non debet alibi cauterium poni, quàm in brachijs: nam illud reuellet, deriuabit & euacuabit; & causam antecedentem, nempe vaporem, qui ascendit; & coniunctam,

nempe

nempe catharrum, qui descendit, & eum qui in partem affectam est receptus. Cauterium futuræ coronalis tunc noceret, trahendo propter propinquitatē, nisi forte vapor in ipsum etiam cerebrum affectum magnum induceret: quo casu etiam cauterium coronale non satisfacientibus ad curationem brachijs tandem locum posset habere. Si secundum euenit; cauteria tantum in cruribus sunt ponenda: nam illa tunc & reuellent causam antecedentem, scilicet vaporem; & coniunctam, quæ in partem affectam fluxit, euacuabunt. Si hisce malo non succurritur (quod prius tentandum est,) tandem poterit & aliud iuxta caput ad coniunctæ causæ fluentis seu ipsius catharri auersionem comparari; idque, vel in futura coronali, vel in ipsis brachijs. Si tertium; primò debet cauterium affigi cruribus, iuxta primam scilicet partem mādantem siue vterum, ad reuulsionem & auersionem causæ antecedentis, seu vaporis qui in humorem esset conuertendus, ne in caput feratur: tum pro eo, qui in caput ascendit & in humorem est conuersus, iuxta caput seu partem mandantem secundam, ad reuulsionem & auersionem, ne in subiectas partes siue stomachum, dilabatur, aliud est excitandum. Hoc fieri posset, vel in ipso capite, vel in brachijs: melius autem est vt in brachijs fiat: nam, cum præter humores & vapores, qui in fluere sunt & reuelluntur cauterijs

terijs iuxta membra mandantia positis, etiam humor ille qui iam fluxit & quiescit in parte recipiente, stomacho scilicet aut pulmone, debeat euacuari; euacuatione simplici, quæ fit cauterijs apud affectam partem positis: si in capite illud cauterium fieret, tertium insuper requireretur, ad fluxi humoris ab hisce locis euacuationem; quod tum in brachio esset excitandum. Nam, quod in capite fieret, etsi à secunda parte mandante euacuaret, adeoque causam coniunctam, quæ in fluxu est, reuelleret; à parte tamen affecta stomacho aut pulmone nihil euacuaret, & fluentem humorem, qui est causa coniuncta, neque interciperet neque deriuaret, & antecedentem interim ex parte in caput traheret. Sin autem in brachio fiat, alio in capite facto non est opus: nam illud multiplicem vsum habebit. Nam vapores ascendentes partim cum cauterio crurum reuellet, partim per se deriuabit & intercipiet, antequam in caput perueniant; & humores descendentes, antequam in affectam partem dilabantur, ijsdem modis distrahet. Hac autem ratione trium cauteriorum molestia euitatur. Si verò ægrotantem molestia non afficeret & robur corporis ferret, omnium optimum esset omnia tria procurare, tunc enim omnibus numeris causæ morbificæ esset satisfactum. Nam cauterium crurum esset pro vaporis seu antecedentis

dentis cauſæ auerſione; cauterium capitis, quod tunc in ſutura coronali deberet excitari, eſſet pro humoris ſeu coniunctæ cauſæ auerſione; materiâ eius, quæ eſt vapor, per ipſum euacuatâ, antequam in humorem abeat; cauterium autem brachiorum eſſet, & pro antecedentis & pro coniunctæ cauſæ fluentis partim reuulſione, partim ac maximè deriuatione & interceptione, & pro eius, quæ fluxit, ſimplici ab affecta parte euacuatione. Si quartum eueniat; eadem, quæ in tertio, cauteriorum ratio eſt ineunda, ſed conuerſa: tunc enim cauteria ſuas commutant facultates. Ibi cauterium crurum reuulſorium eſt cauſæ antecedentis, ſcilicet, vaporis; brachij verò, reuulſorium & deriuatorium atque euacuatorium cauſæ coniunctæ ſeu humoris morbifici: hic econtrà cauterium cruium habet vim euacuandi à parte, nempe vtero aut articulis, humorem qui fluxit; brachiorum verò, reuulſoriam cauſæ antecedentis & coniunctæ. Cauterium tamen ſuturæ coronalis eandem vtrobique reſeruat facultatem. Si fluxio fiat non à capite, ſed à parte aliqua quæ eſt ſub collo, & deſinat in aliam; vt ſi vel hepatis aut ſtomachi aut lienis vitio vterus aut articuli laborarent, tantum in brachijs poni cauteria deberent; nam illa reuellerent & deriuarent. Etſi verò etiam bene iuxta partem affectam pro fluxi, vt ita dicam, humoris euacuatione

alia

alia requirerentur; tamen, quia illa non possunt alio loco poni, quàm in cruribus (hic enim tantum de extremorum cauterijs loquimur) cruraa verò ratione sui situs per affectã partem videantur tractura, maxime hoc casu, in quo pars mandans non est à cruribus admodum remota; ideo mihi videntur potius omittenda. Quapropter suadeo, vt primò quàm longissimo tempore solis brachiorum cauterijs cura tentetur; si non succedat, & fluxio cessasse videatur, aut si non cessasse, saltem malum in primarium partis affectum esse permutatum; tunc etiam in cruribus aliud cauterium aperiatur.

LIBER

LIBER QVINTVS.

De numero & tempore ponendorum cauteriorum.

CAP. I. *Quo numero cauteria sint ponenda, & quo soleant olim cauterijs vti.*

PRæcipuum, quod in omnium remediorum administratione est consyderandum, est, qua mensura, quo tempore ipsa sint vsurpanda. Vtrumque vires & effectus remediorum admodũ immutat. Quod exigua quantitate nocet, maiore iuuat; quod hodie sanat, cras interimit. Propterea in pharmacorum exacta dosi instituenda; euacuandi sanguinis mensura præscribenda, an aliquando deliquio animi definienda, quoties iteranda sit; an in morborum initijs, an in declinatione purgatio ineunda; an tantum materiâ concoctâ, an verò etiam ante: medici anxiè semper quæsiuerunt. Itaque non minùs idem in cauterijs est agendum. Quapropter de numero & tempore ponẽdorum cauteriorum necessum est nonnihil etiam, etsi breuiter, in medium adferre. Sciendum itaque est, non posse ita absolutè & simpliciter numerum eorum designari, sed interdum plura, interdum pauciora conuenire. Desumitur autem numeri indicatio

cum ab affectu, tum à subiecti, & patientis corporis ac partis constitutione; tum quoque instrumenti ipsius figura. Ratione instrumenti: quia plura fieri possunt cum paruo, quàm cum magno: & sæpe cum magno vna tantum crusta fit, vbi cum tenui & paruo sex aut octo fuissent faciendæ. A magno enim ferro magna crusta fit, quæ plurimas paruas virtute in se comprehendit. Ita vbi in ischiade septem, octo cum oliuari alij præcipiunt faciendas, Albucasis omnes vnicâ circulari ferro inductâ compensat. Ratione corporis & partis: quia, quæ ex se simpliciter cauteria non ferũt, plura multô minùs: ea verò à nobis supra libro tertio sunt allata. Nam in teneris & debilibus corporibus, maximè puerilibus, quorum humidum alimẽtarium, quod in augmentum corporis conuerti deberet, multitudine cauteriorum absumeretur; quique à magnis doloribus facile in animi deliquium incidunt: pauciora necessariò sunt ponenda. Calida quoque & sicca corpora numerum non ferunt, sed optimè frigida humidaque. Nam cum cauterium sit remedium igneum, caloris & siccitatis symptomata infert, quæ magis in similem, quàm oppositam complexionem inducuntur. Ratione affectus: quia, vt ille simpliciter consyderatus remedium simpliciter, ita eius quantitas & magnitudo remedij indicant quantitatẽ. Quapropter numerus cauteriorũ ab

affe-

affectus magnitudine & eius ſitu indicatur. Magnitudine; quia magnũ malum magnum remedium indicat; remediũ autẽ eſt magnum præter alios modos, non tantum extenſione continua, ſed etiam diuiſa. Hinc morbi magnitudo aut materiæ morbificæ quantitas, non tantum latum & profundum cauterium indicãt, ſed etiam multa: vt cum illa ratione affectus magnitudini ſatisfactum eſſe nequit, numero defectus impleatur. Ideò in hydrope, empyemate, vbi materiæ euacuandæ adeſt copia; in coxæ ab humiditate diſlocatione, vbi intemperies modum excedit: non tantum magna cauteria, ſed etiam multa, quatuor, quinque, ſex antiqui facere præceperunt: propterea quòd vnum affectus magnitudini nullo modo poteſt æquari. A ſitu quoque indicatur numerus eorum: quia, cum malum eſt in vno loco, vnum tantum cauterium indicatur; cum in pluribus, aut ad plura extenſum, pluribuſque commune, ita vt in vno incipiat, in altero deſinat; plura. Propter quod in affectibus per conſenſum pluribus, quàm vno, cauterijs eſt opus. Quapropter, vt per ſingula affectuum genera, propter quæ cauteria expeti ſolent, particulatim tranſcurram: ſi ad reſtringendum ſanguinem ex vulnere fluentem vſtione eſt vtendum, manifeſtum eſt non niſi vno loco, nimirum vnde ſanguis exit, id eſſe agendum. Etſi verò illi tempore vſtionis

multoties ferrum hinc inde adhibeatur (quod fit, vt dura & vndique æqualis cruſta euadat) tamen omnes eæ vſtiones non niſi vnum numero cauterium efficiunt, etſi plurimis numero differentibus actionibus conformatum. Si plura in corpore vulnera eſſent ſanguinem profundentia, pluribus quoque locis, ac tot quot ſanguis promanat, vſtiones eſſent faciendæ. Si apoſtema igne eſt auferendum, vnum vno, plura pluribus cauterijs auferuntur: & quot locis apoſtemata talia ſunt, tot & cauteria facienda indicantur. Quæ enim in diuerſis locis ſunt & à ſeinuicem diſtant, non poſſunt vnius loci cauterio curari, ſed, ſi parilis ſint naturæ, ſicut hoc cauterium expoſtulat, ita & illud. Quod etſi etiam multis iteratis impreſſionibus conſtet, non eſt tamen ideo niſi vnum, eò quòd impreſſiones illę omnes vnitate loci vniantur, nec niſi vnam cruſtam relinquant. In vlceribus, in oſſium ac carnis putredine, malum ipſum ſequi oportet, & vbicunq; corruptio eſt, ibi quoque eſt vrendum. Si abſceſſus igne aperiendus, vnico cauterio id fieri debet, niſi forte magnus nimis ſit, aut tortuoſos habeat anfractus, diſtinctis quaſi cauitatibus præditos, quos difficile ſit vno foramine expurgare: nam eo caſu duobus aut forte etiam tribus ad ſummum locis eſt vrendum. Si propter cicatricem eſt cauterizandum; vt quod è loco excidit, retrudatur; cutis coar-

coarctetur ac constringatur ; gibbus crescens non dilatetur; articulus non amplius dislocetur; intestina in vmbilicum non prolabantur, (nã propter hos vsus antiqui cauterijs vsi sunt:) vel vno cauterio magno tota cutis extensibilis debet incrustari, vel multis paruis in orbem firmari. Quid enim vna cicatrix aut altera ad eam rem possit? ea enim tantum ibi renititur & resistit, vbi est, adeoque tantùm ex vno loco: at quod excidit, potest tum in alio loco protuberare. Vnde non sufficit illud ab vno tantum partis puncto excludi, sed debet ab omnibus. Ideò tot locis firmanda & induranda cutis est, quot ipsum excidere potest, ac tot locis cicatrices sunt inducendæ: sicque non vnâ aut alterâ tantùm, sed quasi acie quadam multarum cicatricum sibi mutuò propinquarum est opus: quot autem cicatrices esse debent, tot cauteria sunt inurenda. Ideò Hippocrates lib. de art. c. 12. super articulum septem, octo crustas facit; pro humeri dislocati repositione. Sed in hisce non est magna circa numerum difficultas: præcipuum autem quod hic quæritur, est, cum beneficio cauteriorum volumus alterare, vt siccare, calefacere, discutere, roborare; aut contentos intus humores euacuare: quàm multis bene tunc cauterijs opus sit ad intentum ac propositum nobis scopum rite assequendum. Nempe cum caput aut aliquod internorum viscerum frigida

ac humida laborat dyscrasia: in cephalæa, epilepsia, paralysi, catharro, empyemate, asthmate, hydrope, lepra, podagra, similibúsque affectibus; an tunc vnum aut alterum cauterium possit eorum magnitudini satisfacere; an verò magna eorum multitudine sit opus. Certè cum consydero modũ vtendi cauterijs antiquorum, video eos multò in eorum vsu audaciores ac liberaliores fuisse, quàm nos. Nam hodie in similibus affectibus medici sæpe vno cauterio in extrema aliqua parte fabricato sunt contenti, interdum duo præcipiunt, rarò tria: vltrà iree nemo audeat, nisi temerarius haberi velit aut crudelis, nec quisquam est qui facile plura sibi inuri patiatur. Ast olim alia ratio erat. Nam veteres vix vsquam leguntur vstionis mentionem facere, quin statim octo, decem, duodecim crustas iubeant excitare: non quidem in toto corpore tantum, sed sæpe super vno tantum membro, non quidem breui persanandas tantum, sed sæpe etiam in vlcus conuertendas, & longo tempore apertas retinendas. Referam nonnulla ex ijs loca quibus id euadat manifestum. Hippocrates lib. de articulis, c. 12. Razes lib. de affec. iunctur. c. 26. Aetius lib. 12. c. 25. Paulus lib. 3. c. 77. Celsus lib. 4. c. 22. Auicenna alijque, sex, septem, octo crustas, nusquam pauciores, super articulum inuri iubent: alij ad calefaciendum & exiccandum: alij ad euacuandũ;

pro

pro coxæ doloris curatione. Super ſplenem & hepar pro eorũ tumoribus & intemperie docet Auic. lib. 3. fen. 16. tr. 1. c. 7. quinque aut ſex cruſtas; Hipp. lib. de inter. aff. c. 21. decẽ; & cap. 27. octo; & iterum 38. decem inurere. Super caput, Auic. lib. 3. fen. 1. tr. 1 c. 33. pro eius dolore, vrit in ſex locis; Albuc. lib. 1. c. 8, in quinque; Ægineta in elephantiaſi, in tantũdem; Damaſcenus in dolore capitis, in non paucioribus; Aetius lib. 6. c. 28, pro paralyſi, in duodecim; Hippocrates 2. de morbis c. 15, in octo; & lib. de loc. in hom. in tantundem. Super pectus, in empyemate; ſuper ventrem, in hydrope, videas eos omnes ſex, ſeptem, octo locis adurere. Atque hic eſt numerus ſuper vna parte. Super diuerſis verò in vno & eodem morbo inuenio eos vſque ad viginti, triginta & vltrà aſcendiſſe. Aetius lib. 6. c. 28. in paralyſi, cruſtas decem facit: Albuc. lib. 1. c. 9, duodecim; ſuper caput, collum, dorſum: totidem in melancholia: Ægineta lib. 6. c. 44. & Alyabbas pro empyicis, quindecim pectori, mẽto, clauiculis adhibẽt: Aetius lib. 8. c. 57. pro orthopnoicis & aſthmaticis circiter octodecim: quas omnes aperiri & longo tempore apertas permanere iubet: Hipp. lib. de inter. affect. c. 19. pro certo quopiam malleolorum dolore ex deſcenſu à renibus per venas cauſato, ſuper natibus, femore, coxa, ſcapulis, iubet duodecim cruſtas excitare: Auicen. lib. 1.

alibi duodecim circiter enumerat, quas antiqui pro lepra diuersis partibus inurebant. Albucasis nusquam non liberalis. Lib. 1. c. 43. pro solo dorsi à frigiditate dolore quindecim; capite verò 3, pro pleuritide tredecim; eodem libro pro affectibus alijs pulmonis, triginta; pro lepra, triginta sex, super diuersis partibus vrit: addens eò melius esse, quò plures inuruntur. Quapropter in hac tanta distantia quæ mẽsura sit obseruanda, est explicandum. Certè, vel olim medici erant admodum crudeles & temerarij, vel hodie valde timidi aut blandi. Puto autem vtrumque esse. Ac primũ dico non esse antiquos in eo imitãdos: nam ille mos imprimis est crudelis, eumque ipsi à barbaris nationibus desumpserunt. Hippocrates libro de
» aëre, aqua & locis, de Scythis loquens: nam
» multos, inquit, eorũ videas ad auersionem po-
» dagræ, humeros, brachia, manus, iuncturas, pe-
» ctora, lumbos inusta habentes. Trallianus lib.
» 3. c. 26. Barbara, inquit, gens multũ solet vstio-
» nibus vti. Non te fugit, inquit, charissime Cos-
» ma, militem quẽdam venisse ad me, qui vniuer-
» sum lienis locum cauterijs ardentibus miserè &
» immaniter notatum habebat. Celsus lib. 7. c. 7.
Afris quoque ascribit magnam in vrendo crudelitatem. Oportet verò medicum non tantùm citò & tutò, sed & iocundè curare: nihilq; turpius est, quàm eum, qui doloribus sedandis,

mor-

morbisque curādis est destinatus, ægrum multis nouis doloribus morbisque excruciare, & in humanam carnem videri quodammodo sæuire, & carnificinam exercere. Est etiam periculosus: quia multæ illæ vstiones incendunt corpus & spiritus, & agitant humores in corpore abundantes; qui agitati sæpe in nobilia membra prolapsi repentinam mortem possunt inferre. Sæpe quoq; syncopen inferunt, & cum in fonticulos sunt commutandæ, spiritus & humidum & primigenium & alimētarium exhauriunt. Nam etsi multum humoris morbifici euacuent, maiorem tamen portionem continuò euacuant boni sanguinis, qui in habitu corporis membrorum nutriendorum gratia continetur. Est etiam sæpe inutilis, & ideò in veteribus videre licet, cùm in prædictis morbis tam multas præcipiunt vstiones, earum plurimas esse frustraneas, & quarum adhibendarum nulla ratio aut necessitas, vel etiam vtilitas queat assignari. Videtur verò mihi non minùs etiam modernorum medicorū blandities accusanda, quòd cum cauteria in morbis magnis & difficilioribus tātum adhibeantur, tamen tam paucis ac tam parcè ijs vtantur. Ego verò iudico ea tale remedium esse, quod vim & vtilitatem suam ostendere minimè possit, nisi quadam multitudine in vsum veniat. Hoc manifestum erit, si eorum naturam & operandi modum consyderemus.

Nam

Nam ſi modum alterandi: eorũ actio non diutius durat, quàm id quod vrit, corpori adhæret, & dum cruſta generatur: cruſtâ generatâ & igne ablato, ceſſat: ſpatium autem illud temporis breue eſt, & paucarum horarum. Vnum verò aut alterum ferrum momẽtanea ac ſuperficiaria vſtione, quam poteſt tantam corpori alterationem inferre, vt inductam partibus intemperiem tam citò expugnet, humoréſque diſcutiat? Si humida ac frigida intemperie & tumore ſplenis laboranti candens carbo in crus caſu aut ventrem incidat, qui leuem cruſtulam carni infligat, quis eſt, qui eam ſanitatem illi allaturam, aut magnam alterationem aut firmatam longo temporis ſpatio intemperiem excuſſuram audeat arbitrari? Quapropter de cauterio arte adhibito, vno aut altero, quod breui temporis momento operetur, nõ aliud quoque eſt exiſtimandum. Potẽtialia cauteria etſi diutius hæreant, ſicq; multò magis alterent, eorum tamen operatio etiam nonnullarum horarum ſpatio terminatur. Si euacuandi modum inſpicimus, ipſa ſunt remedij genus valde parum euacuantis. Nam quod indies per vlcus exit, valde parum eſt: illud autẽ nec quidem eſt totum de ipſa materia morbifica, ſed potior ſemper eius pars de alimentario humore, qui in habitu continetur. Quapropter ſiue alterando, ſiue euacuando ijs vtamur, niſi magno numero adhi-

bean-

beantur, perexiguum adferunt emolumentum. Quid enim vnum cauteriũ in brachijs aut cruribus, vel etiam in regione vẽtris positum, notatu dignum ex hepate, liene, stomacho, humore turgidis potest euacuare? quid è capite catharro laborãte aut pituita scatente, in quo vno die potest plus humorũ generari, quàm viginti fonticulis euacuari. In hydrope, empyemate asthmate, vbi tota abdominis aut thoracis ac pulmonis capacitas ab humore possidetur, quis non videt vnum aut alterum cauteriũ non plus profuturum, quàm si quis magnum lacum cochleari nitatur exhaurire. Vbi induciæ dantur annorum, forte longi temporis decursu aliquid possint: at in his malis causæ morbificæ incrementum tam lenti præsidij anteuertit auxilium. Quapropter in hydrope, asthmate, suppuratione, hepatis, lienis tumoribus, qui veram à cauterijs consequi vellet vtilitatẽ, quatuor, quinque, sex cauteria, thoraci, dorso, ventri deberet superponere: alioqui exiguo fructu molesto remedio æger in vanum fatigatur. Ideò cum interna aliqua pars primario affectu laborat ac humoribus scatet, qui cauterijs desyderent euacuari; si quis speraret notabilem ab illis fructum referre, meo quidem iudicio deberet duobus aut tribus diuersis cauterijs vti: cum per consensum, quinque aut sex; duobus aut tribus ad partem mandantem, totidem ad recipiẽtem.

præci-

præcipuè cum morbus est magnus, difficilis ac periculosus. Quid potest vnum cauterium pro euacuatione capitis, pulmonis, hepatis, cordis? crurum, pro liene, vtero, intestinis, cum quibus aut nullam habent aut tam mediatam & remotam viarum communionem. Si caput sit euacuandum: vt cum fructu fiat; vel in vtroque brachio vnum cauterium fieri deberet, & adhuc vnum in futura coronali, aut occipitio; vel tria in coronali, adhuc vnum in brachio; vel in singulis brachijs duo: vel duo aut tria in scapulis. Si pulmo; in singulis brachijs vnum aut duo fieri deberent; vel duo in brachijs, & adhuc duo in thorace; vel tria, quatuor in thorace tantum. Si stomachus; vnum in dorso, vbi est locus oris stomachi, duo sub osse pectoris. Si hepar aut lien, vel in vno brachio & vno crure vnũ, cum setone eorũ regioni affixo; vel duplex aut triplex (vt olim faciebant) seto; vel duo cauteria alis ac inguinibus affixa. Si vterus, in singulis cruribus vnum aut duo; aut in vnoquoque crure vnum, & in dorso ad os sacrum vnum, & in pube. Sed dices, quis ista patietur? dico, qui volet: qui nolet, suo damno vtilitate quæ à cauterijs prouenit, destituetur. Tantum hoc dico, vt medici intelligant cauteria parùm prodesse, cum tam exiguo numero adhibentur; sed si plenam ab ijs sperare velint vtilitatem, eam à maiore numero esse exigendam. Deberent autem medici

medici paulatim assuefacere ægros multitudini cauteriorum, & studere magis iuuare quàm placere, & iocunditatem securitati postponere. Tantum enim hoc in magnis malis, epilepsia, apoplexia, paralysi, spasmo, diuturna cephalæa, asthmate, pthisi, hydrope, vteri suffocatione, colica, lienis & hepatis diuturnis tumoribus, leprâ, ischiade & similibus malis fieri debet: in quibus si medici suaderent, quiduis ægri potius tolerarent, quàm diuturnis cruciatibus cum mortis periculo vexari. Fieri hoc etiam tantùm debet in fortibus corporibus, quæ à pauculis vstionibus, paucis vlceribus, nihil possunt lædi. Ideò verò inde periculi nihil est, quòd videamus maiores ambustiones, maiora vlcera sine periculo, sine virium deiectione tolerari. Semper tamen ægri vires cum remedij magnitudine sunt conferendæ, ac facta comparatione cauteriorum numerus colligendus. Etenim Hippocrates lib. 5. Epidemior. scribit Eupolemum coxendice morbo affectum multis magnis inustionibus supra coxam factis interijsse: & subiungit mortis causam fuisse à multitudine & magnitudine vlcerum atque virium imbecillitate, quæ morbo admodum deiectæ tam grande remedium ferre minimè potuerunt.

CAP.

CAP. II. *Quo tempore cauteria sint ponenda.*

DVplex est tempus quod in cauterijs cõsyderatur: vnum, quo cauteria fiunt; aliud quo delentur. Vtrumque indicãt affectus & corporis ac membri robur. Sub affectu autem & morbus & morbi causa comprehenduntur; symptomata verò, vt talia, nullam expetunt curationem nec remedium indicant. Cum affectus est qui cauterio potest sanari, cauterium indicat faciendum; cum abest, delendum. Nam cum malum est, remedium indicatur; absente non amplius est remedio opus. Tum autem etiam videndum est, an quod affectus indicat, vires admittant: nam si sic, illud conueniens tempus est, aliâs non. Nam etsi indicatio quæ est ab affectu, sit per se, non autem quæ à viribus; hæc tamen maiorem in indicando habet facultatem. Coindicant autem & præparatio precedens & ætas & anni tempus, & similia. Primò autem agamus de tempore, quo cauteria sunt aperienda. Illud est, cùm aut morbus iam est præsens, aut causa quę morbum breui est factura. Non enim tantum morbis factis conueniunt, sed etiam futuris, sicque non solum curatiuum, sed etiam præseruatiuum sunt præsidium. Quia autem sunt remedium magnum & quod ægris terrorem & metum incutit, ideò

non

non est eorum vsus ita confestim ineundus. Nam si malum eiusmodi est, vt moram patiatur, & quod radices agere non admodum sit periculosum, tentanda primùm alia remedia sunt, ac particularibus primum affecti membri euacuationibus, materiæ discussioni, alterationi, emollitioni, ac maturationi est insistendum: si ea non iuuant, tum demum ad cauteria est deueniendum. Verùm si malum est lethale aut acutum, aut quod actis semel radicibus difficulter queat euelli; etiam alijs nullis auxilijs tentatis, sed saltem habitis, etsi tentarentur, eius magnitudini improportionatis; statim ad hæc tanquam fortiora & securiora confugere oportet. Primò verò corpus debet bene præparari & à plethora ac cacochymia liberari: quod fiet tum venæ sectione, tum purgatione, tum etiam peculiari & propria partis, quę ægrotat, euacuatione: verbi gratia, si caput esset, errhinis, apophlegmatismis præmissis. Hippocrates nusquam cauterij facit mentionem, quin expressis verbis moneat, vt primum pharmacum exhibeatur, & corpus à cacochymia liberetur. Idem omnes antiqui monent. Nam Albucasis in sua chyrurgia, vbicunque de cauterijs tractat, singulis ferè capitibus hoc præceptum renouat, vt prius totum corpus bene euacuetur: quod vbique fere tribus diebus monet faciendum. Aetius quoque tetrabib. 3. serm. 2. spleniticos vrens, monet vt

ante

ante vſtionem prius purgẽtur: quia, inquit, cum illi vitiatis humoribus referti ſunt, maligna vlcera ex cruſtis fieri conſueuerunt. Sed & aliæ cauſæ ſunt potiores; quod nimirum humores ignis, metus, doloris vi agitati ruant in partem nobilem, aut incenſi febrem excitẽt, aut attracti ad membrum vſtum fluxionem, inflammationem, gangrenam inferant. Quapropter primùm caſſia exhibenda eſt; poſtridie, ſi plethora adeſt, interna dextri brachij vena eſt aperienda; tum vel apozematibus vel iulapijs, quæ incidẽdi atque attenuãdi, adeoque pituitæ præparandæ vim habeant, præcipuè quæ magni caloris expertia ſint, aliquot diebus eſt vtẽdum: poſtea pharmacum ad duos dies, præcipuè phlegmagogum, eſt exhibẽdum. Hoc intelligendum eſt, niſi vel æger antea in morbo fuerit purgatus; vel debilis factus, vt eiuſmodi euacuationem non toleret; vel morbus contrarium indicet, aut à venenoſa materia ortus ſit: tunc enim omiſſo eiuſmodi longo & diuturno apparatu oportet ſtatim vrere & poſtmodum euacuare, ac attẽdere ad id quod magis vrget, & humoris venenoſitatem ignis feruori anteferre. Porrò ſtomacho quoque ieiuno & concoctione abſoluta, debent cauteria poni, ne orta in corpore agitatione natura ab incepto opere deſiſtat, & ſemicoctum ac crudum alimentum à ſe depoſat, & in venas rapi patiatur. Sin verò æger timidus

midus sit aut tener, ne timore in animi deliquium incidat, melius erit si aut ouum sorbile, aut offulam ex vino, aut quid simile quod confortet spiritus, nec difficilẽ habeat digestionẽ, prælibet. Oportet quoque aliquo tempore ante cauteriorum applicationem ægris frugalem vitam, vini & exercitiorum abstinentiam, alimẽtorum refrigerantium vsum, & frigidæ etiã, vt nonnullis placet, potum iniungere: præcipuè; cum vel febris aliqua subest, vel impendet; vel forte causticum adhibetur; vel magna vstio est facienda, cuique longo tempore est immorandum: vt cum vlcera & ossium caries vrenda, cum cancer aut membrum gangrenosum amputanda, aut plures simul fonticuli inurendi; præcipuè in thoracis aut abdominis regione. Pro vno paruo vlcere in brachijs aut cruribus excitando, non est necessum horum quicquã facere: etenim id periculi nihil habet, sed sine vllo præuio apparatu, præcipuè in sano & robusto corpore, fieri potest. Anni tempus quoque est consyderãdum. Nam in malis paulatinis & lentis, quæ moram ferunt, melius est, vt, quod oportunissimum est, eligatur; in malignis & vrgentibus quoduis tempus est accommodatum. Nam etsi, inquit Albucasis lib. 1. c. 1, cauterium vno tempore magis quàm alio prosit, nullo tamen nocet: quia plus, inquit, semper ab ipso prouenit vtilitatis, quàm à temporis inconue-

nientia detrimenti. In ſanguinis fluxu, aut cum materia eſt venenoſa; nec anni, nec diei, nec horæ habenda ratio eſt. In tumorum, vomicarum, putredinum, gangrenarum vſtione, anni tẽporis nulla, diei verò aut horæ communiter datur electio. Primùm autẽ autumnus non eſt vſtioni valde conueniens, propter magnã aeris ac tempeſtatum in eo varietatem, & repentinas modò ad calorem, modò ad frigus; modò ad boreales, modò ad auſtrales ventos permutationes: tunc enim catharri generantur, qui ſuperueniente à cauterijs agitatione ad fluxum facile concitantur. Eſt etiam remedium hoc externum, ac propterea à aeris iniurijs quàm maximè expoſitum, quodque mutationes eius, præcipuè cum recens eſt, quam citiſſimè perſentiſcit: ex quo & dolores, intemperies, atque inde fluxiones adueniunt. Sed nec hyems quoque admodum eſt amica. Nam, vt inquit Hippocrates, frigidum omne vlceribus mordax eſt, ideoque dolores in vlceribus excitantur. Externum quoque frigus cõdenſat habitum corporis, & antiperiſtaſi calorem & ſpiritus introrſum ad centrum pellit, hinc humores ad cutim non ita veniunt, neque conſequenter rectè per fonticulos euacuantur: quia naturæ motus horum motui aduerſatur. Si ad cutim veniant, ab externarum partium frigore condenſantur ac hærent, & hærentes ijs diſtenſionem ac dolorem inferunt. Peſſimum

tempus

tempus est æstas, multis de causis: nam, quia calida est & sicca, febres, phrenitides, & acutos morbos gignit, ac tales, quorum curationi cauteria à natura sua non sunt destinata. Corpora quoque tunc debilitantur continuo effluuio, ac satis per habitum euacuantur, vt nouis insuper aut artificiosis cutis spiraculis non sit opus. Sed & bilioſi tum atque acres humores generantur, qui cauterijs sunt infesti. Pruritus & dolor & molestia & fœtor atque artuum maior imbecillitas, tunc non paruum fastidium adferunt. Maximum est, quòd cum tunc humores incendantur ac sanguis efferuescat & febris & inflammationis maior sit metus. Omnium itaque commodissimum tempus est vernum; quia tunc naturam habemus adminiculantem, quæ sese expandit, vias patefacit, & humores in profundo latentes & impactos fundit, & à centro ad circumferentiam mittit. Ideò non malè Conciliator, facta inter anni tempora comparatione, dixit optimum esse ver, inde autumnum, tum hyemem, pessimam verò æstatem. Quanquam ego pro cauterijs futuræ coronalis & quæ super thorace fiunt, hyemem iudicem omnium pessimam esse: eò quòd frigus per ea ingrediens maiorem illis partibus noxam, quàm calor inferre possit. Dies conueniens est lucidus ac clarus, quoque aer borealibus ventis depuratur. Scribit Nicolus Florẽtinus sermone 7. tract. 3. sum.

2. cap. 19. horam diei commodissimam illam esse, qua aër maximè est temperatus; nempe in æstate matutinam, in hyeme vespertinam. Videndũ quoque in qua ætate liceat cauterijs vti. Nonnulli medici putauerunt non debere imprimis pueris ante decimumquartum annum ea inuri: quod videtur eiusmodi rationibus posse comprobari. Primò, quòd sint teneri & valde delicati, nec ferendo tam magno remedio, ac propterea prompti vt ab eo in animi deliquium aut febrim incidant. Secundò, quia, sicut & alij omnes, ita & ipsi, ac multò magis, propter naturalem suam imbecillitatem, possunt aliquam debilitatem aut intemperiem contrahere; eorum autem læsiones longè plus, quàm aliarum ætatum sunt difficiles & periculosæ. Etenim vitia, quæ in perfecta ætate contrahuntur, non ita radicantur, nec fiunt naturalia, aut transeunt in naturam, sicut quæ in ætate infantili. Cuius causa est, quòd prima ac naturalis complexio, quæ tot annis membris insedit, ac firmissimè est radicata, non facile patiatur se à superueniente noua corrumpi aut extirpari: vnde, si quæ aduenit extrinsecus, manet tantum acquisititia, superficiaria & facile dissipabilis. Quæ verò est in pueris, necdum est fixata, sed à superueniente externa facile expellitur: quæ tum sese membris inserit & euadit naturalis. Tertiò, quia illi copiosissimo abundant humido primigenio & spiri-

ſpiritibus; vnde, ſi vruntur & fonticulis exercẽ-tur, maiorem eorũ faciunt iacturã, quàm alij qui minus habent: tum etiam, quia ipſi illa perdunt multo maiore damno; quia eo tempore perdunt, quo maximè ijs egent ad corporis ſui incrementum: nam, etſi poſtea recuperent cum tempus incrementi elapſum eſt, non ita proficit ijs. Verum hiſce quidem probatur non debere pueris cauteria fieri, quándo poſſunt alijs remedijs leuioribus curari; nec poſſe ijs ſine aliquo detrimento poni (quod ego quoque mihi penitus perſuadeo) non tamen conuincitur abſolutè non eſſe ijs adhibenda. Etenim fonticuli non debent pueris longo tempore geſtari, neque multi: quia eorum corpus exiccant, augmenti materiam conſumunt & diſponunt ad ſterilitatem. Verùm in magnis malis pauco tempore vtiliter ac magno fructu & adhibentur, & liberè atque audacter poſſunt adhiberi. Nam, etſi forte aliquid damni, eo modo quo dictum eſt, inferant; illud nullum plane eſt in reſpectu ad magnam vtilitatem, quæ eorum beneficio poteſt prouenire: cum per ea miſeranda mala, epilepſia, paralyſis, atque calculi eorum præcauentur: nam in nullis alijs morbis magis quàm in his puerorum fonticuli locum habent: in ijsque etiam multorum experientia docuit profuiſſe. Herodotus lib. 4. ſuæ hiſtoriæ ſcribit Lybiæ populos quoſdam conſueuiſſe omnibus pueris

quadrimis ceruicem inurere, atque hoc remedio eos liberare solitos esse ab omni morbo pituitoso, vt semper in posterum saniſſimi victitarent. Albucasis lib. 1. suæ chyrurg. c. 11. docet pueros multis crustis vrere pro epilepsiæ curatione. Scribit etiam præceptor meus Mercurialis in libro variarum lectionum in Thuscia & nõnullis alijs regionibus consuetudinem esse, vt infantes adhuc lactentes & etiam paulò maiores, pro epileptico morbo præcauẽdo, in occipite vrantur. Magister quoque Razis (vt ipsemet Razes libello suo de cauterijs testatur) fecit cauterizare puerum quendam arthriticum sex annorum. Neque hoc mirum est: nam si longè infra decimumquartum annum venam vtiliter scindi, doctiſſimorum medicorum experientia constet; quanto magis cãuterio vti licebit, à quo caloris, spirituum, substantiæ dissipatio & multò minor est, & longè minus violenta. Nullum autem remedium est tam magnum, cuius si quantitati modus ponatur, quod non possit & cuiuis ætati & complexioni accommodari & attemperari. Vt autem sciatur, an senibus cauteria conueniant, nécne; est distinguendum: nam, qui in prima sunt senectute & circa annum ætatis sexagesimum aut eum non longè transcendunt, ab ijs iuuantur; & ab apoplexia, paralysi, asthmate, podagra, & similibus malis iuuantur: quia cauteria sunt remedium pitui-

pituitoso humori destinatum, ipsi verò eo abundant. Sed qui ad annum septuagesimum aut vltrà vergunt, etsi sæpe percipere possunt emolumentum, præcipuè ab vno aut altero, sæpe tamen, atque à multis & magnis non minus percipere possunt detrimentum. Nam, cum ipsi abundent excrementis, & calorem naturalem habeãt imbecillum, facile gangrenam post cauteria possunt experiri. Ex quo manifestum est & iuuenibus & mediæ ætati ipsa maximè conuenire.

CAP. III. *Quando cauteria sint claudenda, & quanto tempore gestanda.*

VEteres cum in multis morbis cauteria facere iubent, quæ fontanellæ vsum præstent, monent, vt ipsa diu & longo tempore aperta maneant. Quodnam autem illud longum tempus sit, non vbique explicant. Videtur autẽ ex sequentibus eorũ locis non obscurè colligi posse. Paulus lib. 3. cap. 77. in curatione ischiadis monet, vt fluant compluscu lis diebus: idem dicit alibi eodem libro, in similium articulorum affectuum curatione. Verùm lib. 5. c. 3, cauterizans pro morsu canis rabidi: fluant, inquit, ad minimum quadraginta duobus diebus. Albucasis lib. 1. c. 31. setonem pro splene iniungens, præcipit vt fluat pus diebus multis: idem dicit lib. 1. c. 42. in ischiadis cura-

tione. Aetius lib. 6. c. 24. pro morsu canis rabidi vult, vt cauteria quadraginta aut sexaginta diebus maneant aperta: neque potui videre vspiam longius tempus à quoquam esse assignatum. Ex quo patet ex illorum præscripto tempus, quo cauteria aperta sunt tenenda, certorum tantum dierum termino præfiniri. Verum hodie moris est ea longiore tempore gestare, eorumq; ætatē non diebus aut mensibus, sed etiam annis mensurare. Nam multi sex, septē, decem, viginti annis, imò & tota sua vita cum ijs epulantur. Quapropter an in pauciore, an longiore tempore consistat peccatum, audiamus. Guido de Cauliaco tract. 7. doctr. 1. c. 3. dicit tempus commune tenendi cauteria aperta secundum Rogerium & eius magistros esse quadraginta dierum, aut trium mensium: propterea, inquit, quòd Hippocrate teste, ille sit vltimus terminus apostematum. Vltra autem illud tempus, inquit, debilitatur locus & habituatur cacochymia, & cum hoc virtus in eo confortans euaporat, vt Henricus testatur. Lanfrancus doctr. 3. tr. 3. c. 18. dicit malum esse & multos in eo peccare, quòd cauteria nimis diu, ad annum vnum aut plures, aut toto vitæ tempore gestent. Nam cauterium, inquit, valet vt cauterium: quapropter tamdiu solum valet, quàm in eo durat virtus ignea; nimirum ad summum spatio duorum aut trium mensium. Si diutius persistit, infert, inquit,

inquit, cauterizato loco vehementiam; quia non tantum mali, sed & boni confluunt humores. Ex quo membrum laceſſitur & debilitatur. Nicolus Florentinus dicit ſecundum aliorum medicorum ſententiam illud debere eſſe tempus durationis, quo cauteria ſponte manent aperta: quando verò clauduntur, à medico quoque claudi debere, nec diutius vi, id eſt immiſo globulo aut appoſitis medicamentis acutis, aperta teneri debere: propterea quod hoc indicium ſit, quòd non amplius proſint. Nam quamdiu prauus humor ad ea fluit, non claudentur: ſi ergo clauduntur, ſignum eſt eum non amplius ad ipſa venire. Nam operatio, inquit, cauteriorū in conſumptione materiæ eſt feſtina. Si autem longo tempore aperta tenerentur, locum debilitarent, inquit, & dolorem in ipſum inducerent, & membrum diſponerent, vt perpetuò deinceps eis obnoxium redderetur. Verùm, etſi tempus apoſtematum ſeu abſceſſuum nō excedat ſpatium trium menſium, non ideò ſequitur cauteria non debere diutius perſiſtere. Hoc enim verum quidem eſt in ijs cauterijs, quæ ad apertionem abceſſuum adhibentur, qui intra illud tempus bene poſſunt purgari: ſed in ijs quæ propter morbos partium internarum adhibentur, quarum expurgatio eſt longioris temporis, locum minimè habet. Quod autem dicit Lanfrancus cauteria

teria ratione suæ igneitatis agere, eam verò tunc expirasse; verum non est: nam cum cauteria pro fonticulis adhibentur, non agunt ratione igneitatis, sed apertionis cutis, & vlceris: vlceri autem per accidens & extrinsecum est ab igne esse inductum, nec euacuat quatenus igneam qualitatem habet, sed quatenus est quędam continui solutio carnis & cutis. Quòd verò tempus permansionis eorum debeat esse quo ipsamet sponte aperta manent, respondet ipsemet Nicolus hoc præcipuè veritatem habere, quando cauteria fiunt super membrum ægrotum, materia tota existente fluxa, & cum (vt ipse inquit) cauteria sufficienter deuenerint ad profundum. Nam in ijs qui sano sunt habitu, & intùs in visceribus causa morbifica latet, hac ratione semper cauteria clauderentur, non tantum post sexagesimum diem, sed & post vigesimum & post quemuis; natura nouam semper carnem aggenerante. Nam materia morbifica non semper statim & sponte ad cauterium venit, sed allici debet longa successione & humorum etiam intermediorum expurgatione: neque dubito, quin sæpe sexaginta dies sint, antequam aliquando quidquam materiæ morbificæ per ipsa sit expurgatum. Quanquam cum semel incepit, & viæ assueuit, continuo postmodum ductu trahatur. Multi sunt quibus cauteria primo tantùm aut secnndo anno sanitatem

tem attulerunt, quibus si violentè & impositò globulo aut filo non fuissent aperta retenta, trigesimo & sexagesimo, & quouis die vltrò fuissent occlusa. Verum non est certum aut determinatum omnibus cauterijs perdurationis tempus, sed ipsum pro affectus pertinacia & malignitate & ægri tolerantia est æstimandum. Etenim affectus (quantũ est ex parte sui) quamdiu durat, tamdiu cauterium indicat seruandum, cum verò cessauit, delendum. Est autem ipse diuturnus; aut cum materia est multa, aut viscida & crassa & in profundo sita; aut cum lenta est fluxio; aut noua semper materiæ generatio. Atque non solum quidem quamdiu ipse durat, sed etiam quamdiu recursurus timetur, debent retineri, & tanto semper magis proroganda sunt, quanto ipse & grauior est & periculosior. Nam, etsi forte, tum etiam noxa quædam à nimis longa eorum duratione proueniret, illa toleranda esset, vt maius malum possit euitari. Corporis quoque & partis ratio est habenda: ac propterea oportet & ægri vires & morbi magnitudinẽ & vtilitatem, quam à cauterio eousque sumus experti & deinceps experiri speramus, & noxam, quæ tamen à longa duratione potest prouenire, inter se comparare. Sic quoque & nonnulla alia ad rectam temporis mensuram sunt consyderanda. Cum multa sunt cauteria, non ita diu gestari possunt, sicuti

ſicuti pauca; quia maiorem adferunt debilitatem. Ideo cum noxam incipimus vereri, conſyderandum eſt, quænam eorum minorem adferant vtilitatem; & ea tum claudenda, ijs quæ magis neceſſaria ſunt, relictis. Circa partes nobiles non poſſunt etiam ita diu, ſicut in extremis artubus geſtari: nam illæ citiùs intemperiem contrahunt, quàm hi: quia earum complexiones ſunt magis exquiſitæ, cum autem ſunt contractæ; in illis, toti corpori communicant ſympathiam; in his, in ipſis manent. In pueris quoque debent pauciſſimo tempore relinqui. Cum membrum cauterizatum incipit gracileſcere, neque actiones ſuas pro ſolito edere poteſt; cum vlcus putreſcit aut malignum euadit, aut cum fluxione nimia tentatur; cum ſuper articulum deſcendit; cum ſponte exiccatur, neque amplius emittit pus, etiam cum acribus medicamentis, frictionibus, ſcalpello, cucurbitulis eſt irritatum; cum eſt in loco minus commodo, ita vt poni poſſit in alio commodiore; occludi debet, &, ſi morbus adhuc cauterium requirat, ad alium locum commodiorem & ſaniorem transferri. Tempus autem quo ordinariè ſolent cauteria relinqui aperta, eſt medius annus, vnus annus, duo, tres, quattuor, quinque, ſex: & experientia docet tot annis ſine moleſtia, ſine noxa, ſed ſumma cum vtilitate geſtari. Infra annum aut ſex menſes

non

non debent consolidari, quia sic exiguum adferunt emolumentum. Vltra etiam annos prædictos nolim ego gestari: quia tandem toti corpori & membro, in quo sunt, humidum radicale exiccando, spiritus & cum malis humoribus bonum sanguinem euacuando, debilitatem adferunt, disponunt ad sterilitatem, mortem accelerant, particulæ motum, in qua sunt, destruunt & frigidam intemperiem inferunt: à qua, diminuta eius concoctrice vi, gracilescit & contabescit. Ad quod externi aeris, vlcus ac nudam carnem perpetuò tangentis & ingredientis frigus non minimùm iuuat. Sin malum vrgeat, & æger boni alioquin habitus sit, possunt etiam multo diutius permanere, plurimique sunt, qui toto fere vitę tẽpore, nempe duodecim, viginti annis, etiam sine læsione ea circunferunt: quod in morbis hæreditarijs qui magni sunt, vt epilepsia, amẽtia, podagra, elephantiasi, phtisi, maximè est commendatum. Cum claudere animus est, diligenti cautione est vtendum; præcipuè cum antiqua sunt & multo tempore ac humore stillârunt. Nam postea quàm humores assuefacti sunt per ea emissaria euacuari, si tandem exitum reperiunt intercluſum; vel in membro hęrent & in eo ob natiui caloris dissipationem gangrenam minantur, vel regurgitant versus partes principes, & omnis generis calamitates, capitis dolores, phtisim, difficultatem respira-

ſpirationis, hydropem, (prout in hæc vel illa membra feruntur) procreant. Quapropter vtt hiſce malis occurratur, duo ſunt animaduertenda: & vt vlcera non ſubitò conſolidentur, & vtt & ante & poſt clauſionẽ corpus euacuetur: vtt ſic humores per alia loca deriuentur. Hoc monet nos anxie Razes lib. de aff. iunctur. c. 16.

» Caue, inquit, ſi aliquando feceris cauterium &c
» prohibueris membro ne recipiat ſuperfluum, vtt
» euacues corpus paulatim, ne ſuperfluitates quæ
» ſolent cu rere ad aliud membrum, reuertanturr
» ad aliquod membrum nobile. Ego enim, in-
» quit, vidi plures mori ſubitò, eò quòd non fue-
» rint euacuati poſt cauterizationem. Quocirca ſi vnum tantum cauterium eſt quod claudi debet, priùs euacuatione leui præmiſſa, oportett globum, qui in vlcere ponitur, nõ totum ſimull eximere, ſed indies atque indies facere minorem: poſtea eximere in totum, & interim ægrũ à vino abſtinere & partem defenſiuis & aſtringentibus medicamẽtis, primùm mitioribus, poſtea fortioribus munire: tum vlcere clauſo iterum purgare, & purgationem ſingulis quatuordecim diebus ad duos aut tres menſes iterare. Sic enim paulatim fluxio fit minor, & tandem in totum à priſtino ſuo motu facilius deſiſtit. Si id non videatur eſſe ſatis, minuendo eodem modo paulatim vlcus, antequam totum claudatur, aliquo loco diſtantiore aut nonnihil op-

poſito

posito debet nouum vlcus excitari, & priore clauso illud duobus aut tribus circiter mensibus apertũ seruari: tum etiam occludi, & vtroque tempore corpus purgari: Propter distantiam enim euacuatio minor facta tandem facilius tota sistetur, & propter contrarietatem humor ad opposita loca distractus ab vtroque nullo negotio dissuescet. Vt si cauterium aliquod capitis sit claudendum, optimè fiet; si dum illud clauditur, alterum in brachio excitetur: si brachij, in crure, aut in altero brachio: si cruris in altero crure, aut in brachio, quod est è directo. Si plura cauteria sint claudenda, vel habẽt eundem vsum, vel diuersum: eundem; vt si plura ad vnius partis euacuationem posita sint: diuersum; vt cum vnum ad reuulsionem, alterum ad simplicem euacuationem aut deriuationem est applicatum. Si eundem habent vsum, videndum quodnam eorum minus conferat ipsi parti, aut minus fluat: nam hoc primò claudendum, alijs nonnihil relictis: tum ad alia eodem ordine transeundum. Si diuersos, vti accidit in ijs morbis qui per sympathiam oriuntur; ita est agendum. Si merè affectus est per sympathiam, & plura ad reuellẽdum inusta fuerint, prius claudendum est, quod minus reuellit: sin etiam aliquid contraxerit idiopathiæ, vt aliud ad mandantem, aliud ad recipientem sit adhibitũ; qua ratione primò fiebat illud, quod est ad

man-

mandantem, ſecundò quod ad recipientem; eadem ratione è conuerſo quod eſt ad recipientem primò, tum quod eſt ad mandantem eſt claudendum, quia, ſi quod eſt ad partem affectam ſeu recipientem vltimò clauderetur, periculum eſſet, ne ad eam traheret, ac ſua tractione fluxionem denuò ad eam cõcitaret. Verbi gratia, ſi pro dolore capitis ab vtero facto duo fuiſſent cauteria facta; illud quod in capite aut brachio eſſet, primùm deberet claudi: inde, quod in cruribus. Contrà, ſi arthritis eſſet à catharro ex capite deſtillante, primùm claudendum eſſet, quod eſt in cruribus; inde, quod in capite aut brachijs.

CAP. IIII. *An in cauterijs concoctio ſit expectanda.*

COncocta, inquit Hippocrates 22. aphoriſmo 1, medicari oportet, non cruda. Quapropter an hoc etiam in cauterijs locum habeat, poteſt dubitari. Ac videri quidem poſſit quod ſic: quia cauteria (loquimur autem hic de fontanellis) præcipuè deſtinata ſunt frigidis & pituitoſis morbis, adeoque diuturnis: in diuturnis autem expectanda concoctio eſt. Nam, vt inquit Hippocrates, cruda euacuari non debent, niſi turgeant, in ijs autem minimè turgent. Denique non prius cauteria vſurpanda ſunt, quàm totius corporis euacuatio ſit

tio sit prægressa: atqui talis euacuatio fieri non debet, nisi priùs materia sit concocta; quare nec cauteria citiùs sunt ponenda. Ecõtrà tamen videmus in articularibus doloribus, in cephalæis, epilepsia, paralysi, spasmo, apoplexia, lethargo, medicos in cauteriorũ adhibitione nullum concoctionis tempus expectare. Quapropter, cum non sit huius loci de purgatione materiæ ante aut post concoctionẽ disputare, pro quæstionis declaratione: dico breuiter; non esse in cauterijs tempus cõcoctionis expectandum. Etenim materiæ concoctio præcipuè est expectanda in magnis ac generalibus euacuationibus, talibusque quæ vehementi perficiuntur tractione, minimè autem in minutis ac paruis, & quæ potius naturæ expellentis, quàm remedij alicuius trahentis actione peraguntur. Ratio est, quia ideò maximè materiæ concoctio debet expectari, vt cum eam volumus euacuare, non habeamus naturam conatui nostro repugnantem: nam alioqui, si nos niteremur eam euacuare, natura verò retineret, præterquam quod contingeret nos persæpe intentione nostra frustrari, naturæ magna vis inferretur, vnde vires deijcerẽtur, animi deliquia, febres, deliria contingerent; & natura retinente, remedio trahente, malus humor remaneret, bonus verò & cum eo spiritus euacuarentur. In principijs autem morborum natura nititur humores concoquere, &

ad meliorem ſtatum perducere, & ideo tunc retinet: cum verò concoxit & maturauit, eos dimittit. Verùm in lentis & paruis euacuationibus & in euacuationibus talium humorum, qui à natura non retinentur, ratio iſta locum non habet, & ideò in eiuſmodi non eſt concoctio expectanda: quia in talibus naturæ nulla vis infertur, neque ipſa reluctatur, neque prædicta ſymptomata contingunt. Ideo cum euacuatio eradicatiua; quidem: at cum tantum minoratiua eſt obeunda, aſſerunt medici non eſſe cõcoctionem expectandam. Atqui in eiuſmodi vlceribus & fontanellis humor non attrahitur vlla vi, neque totus ſimul: ſed neque trahitur quidem (quia dictum eſt cauteria trahendi vim non habere) ſed ab ipſa potius natura educitur. Quapropter non eſt in ijs hæc concoctio expectanda. Etenim, cum quod ab ijs euacuatur, non remedij trahentis vi, ſed naturæ vltrò dimittentis ope excernatur; tantum abeſt, vt timendum ſit, ne naturam habeamus reluctantem, vt potius habeamus adminiculantem: & cum parum ſit quod euacuatur & paulatim; non eſt periculum vt naturæ moleſtia inferatur. Qua ratione etiam fit, quòd in euacuationibus quæ fiunt per latos canales, non ſit etiam concoctio expectanda: propterea quòd, qui in talibus hærent humores, non arctè à natura retineantur, ſed faciliter ſine vlla illi illata moleſtia

aut

aut lucta euacuentur. Denique in talibus euacuationibus concoctio est expectanda, quæ sunt talium partium & talium humorum, in quibus talis concoctio & maturatio fieri solet: in alijs verò frustrà expectaretur. Concoctio autem talis fit maximè in venis, quia in ijs concoquẽdi facultas viget, ac propterea in affectibus venosi generis, vt in febribus, & in euacuationibus humorum in venis contentorum, nempe purgatione, est expectanda. At cauteria & fontanellæ, cum sint cutaneum & externum remedium, magis externarũ partium, in quibus talis maturatio non fit, affectibus sunt destinata. Ideo in articulo ab humoribus obsesso, si velimus cauterium adhibere, minimè debemus humoris concoctionem expectare: quia cum pars sit frigida & sicca, ac minimè pollens facultate concoquendi, nunquam in ea concoctio est futura. Tertiò in morbis qui turgent aut vrgent non est (vti Hippocrates dixit) concoctio expectanda: tales autem sunt plurimi eorum, quibus cauteria adhibentur: vt spasmus, apoplexia, epilepsia, &c. Quartò concoctio est humorum qui quiescunt; qui sunt in motu non concoquuntur: In fluxionibus autem humores sunt in motu, ideò non concoquuntur: tum etiam, quia in fluxionibus noui semper ac noui humores generantur, quorum non est concoctio. Cauteria verò maximè fluxionibus destinantur.

FINIS.

Candide Lector

Correctoris inexperientia obrepserunt sequentes errores, quos velim à te sic candidè corrigi:

Fol. 4. lin. 1. pro candenti leg. candente. fol. 7. l. 7. pro ablationem) ex leg. ablationem &c.) fol. 17. l. 19. vsque ad finem paginæ pro hæc leg. illa & contrà. fol. 17. verso l. 4. pro minùs leg. nimis. fol. 21. vers. l. pen. pro reserare leg. obserare. fol. 37. lin. 20. pro ipsum leg. ipsa fol. 45. lin. 7. omissum est, vel quod ductibus non cõmunicent. fol. 63. lin. 20. delendum, quod. fol. 83. l. 9. pro esse leg. sint. fol. 95 vers. post sustinenda leg. segniora. fol. 107. vers. l. 5. pro sic leg. hic. fol. 118. vers. l. 10. pro habẽt leg. habet. fol. 119. l. 2. pro superpositæ leg. superposita. fol. 143. l. 23. pro latitudinem leg. longitudinem. & fol. vers. l. 11. pro omnes leg. omnem. fol. 149. vers. l. 1. pro eam leg. eum. fol. 150. vers. l. 6. pro habet leg. sic. fol. 188. l. 26. pro etiam lege Nam. fol. 191. pro partem leg. partem mandantem. fol. 219. l. 7. pro prosuntque leg proficitque.